COLLECTIO SCRIPTORUM

RERUM

HISTORICO-MONASTICO-ECCLESIASTICARUM

VARIORUM RELIGIOSORUM ORDINUM

TOMUS I

IN QUO CONTINENTUR

I. Reverendissimi Abbatis CAROLI STENGELII Monasteriologia

II. Ejusdem Authoris Mantissa

III. Auberti Miræi Origines Benedictinæ

CURANTE

P. R. D. MICHAELE KUEN

Can. Reg. Ord. S. Augustini ad Exemptas Insulas Wengenses Ulmæ Decano

PERMISSU SUPERIORUM.

ULMÆ.

Sumptibus GAUMIANIS, 1755.

<36611550840016
<36611550840016
Bayer. Staatsbibliothek
33

H. Mon. 129 2° 460. Kuen
–1/2

COLLECTIO SCRIPTORUM

RERUM

HISTORICO-MONASTICO-ECCLESIASTICARUM

VARIORUM RELIGIOSORUM ORDINUM

TOMUS I

IN QUO CONTINENTUR

I. Reverendiſſimi Abbatis CAROLI STENGELII Monaſteriologia

II. Ejusdem Authoris Mantiſſa

III. Auberti Miræi Origines Benedictinæ

CURANTE

P. R. D. MICHAELE KUEN

Can. Reg. Ord. S. Auguſtini ad Exemptas Inſulas Wengenſes Ulmæ Decano

PERMISSU SUPERIORUM.

ULMÆ.

Sumptibus GAUMIANIS, 1755.

Bayerische
Staats-
Bibliothek
München

TOMI I.

PARS I.

CAROLI STENGELII

Ord. S. Benedicti Abbatis Anhusani

MONASTERIOLOGIA BENEDICTINA.

Bayerische Staats-Bibliothek München

PRÆFATIO.

AB aliquot jam annis D. Joannes Fridericus Gaum Civitatis Ulmensis Bibliopola fama celebris, ac de Republica litteraria non semel bene meritus animo decreverat, Collectionem quamdam Scriptorum rariorum Historiam Monastico-Ecclesiasticam pertractantium præli ope publici Juris facere. Varia obstitere, cur minus satisfacere & propriis & aliorum desideriis potuerit. Tandem novis Eruditorum hortatibus, ceu stimulis animatus conceptum in mente sua decretum exequi statuit, postquam rariora ipsi quædam opuscula obvenere, pro complendis ad hunc finem tribus aut pluribus Tomis suffectura, quæ hactenus nulla industria, nullo ære comparare poterat. Quam emptu & paratu difficilia sint Monasteriologorum opera, qui vel elapso primum Sæculo scripsere, minime Viros Eruditos, & Ecclesiasticæ Historiæ cultores latet, placebit proin iis haud dubie hoc consilium, eique applaudent, probe gnari, quantum hujusmodi Collectiones tam sacram, quam prophanam eruditionem juvent, quidque ad dissipandas elapsi temporis tenebras conferre valeant. Ego plane, cum ingentia ex hujusmodi conatu in Rempublicam Litterariam emanatura emolumenta animo volverem, non potui non vel semel rogatus Collectionis hujus adornandæ curam in me suscipere. Nec curæ susceptæ unquam pœnitebit, qui occasionem optimam mihi gratulor bene merendi de quibusdam Monasteriis, quibus hanc animi mei promptitudinem probari & à me exoptari ex indubiis signis intellexi. Necessarium autem ante omnia duco in primi hujus Tomi Vestibulo instruere Lectores benevolos, quid in hac Collectione præstiturus sit Bibliopola noster.

Primo rarioris tantum commatis historica monumenta notitiam Monasteriorum concernentia, exhibebit hæc Collectio. Illos proin tantum Scriptores sibi emptores sperent, qui in officinis librariis vel ob distracta jam exemplaria, vel ob aliam quamcunque demum raritatis caussam minus frequenter occurrunt, aut difficulter inveniri & comparari possunt, quales sunt, solo fere Bruschio excepto, Monasteriologi omnes, etiam qui elapso primum sæculo scripsere. Locum etiam in illa invenient Relationes quædam manuscriptæ, varia authentica documenta aut diplomata, quæ hactenus edita non sunt. Datam hic fidem mox, Deo favente, liberabimus in secundo Collectionis Tomo.

Secundo. Illos duntaxat Scriptores promittimus, qui data opera & ex instituto de Monasteriorum originibus, quorumcunque Ordinum sint, narrationem instituunt. Ad hanc classem etiam varia revocabimus Chronica particularium quorundam Ascceteriorum historiam illustrantia.

Tertio. Omni cura ac diligentia cavebitur, ut Scriptores, quorum lucubrationes dabimus, incorrupti ac incastrati prodeant. Hoc omnino gratum fore Lectoribus nostris persuasissimum nobis est. Si quas notas, aut animadversiones criticas materiæ subjectas invenerint, illas non à nostro profluxisse calamo meminisse velint, sed ab ipsismet Authoribus margini fuisse inscriptas (quod præsertim Aubertus Miræus sæpissime assolet) ea, quam servabimus semper, fide ac fidelitate attestamur. In materia omnino delicata multisque crisibus obnoxia versamur, in qua facilis offensioni esset locus; præstabit itaque fidelem potius Collectorem, quam alieni laboris Reformatorem agere.

Quarto denique post primi hujus Tomi editionem elapso semestri novus succedet Tomus, qui nec mole nec pretio, ut ementium consulatur marsupio, præsentem excedet. Hunc tertius excipiet, & fors, si faveat cœlum, adhuc plures. In cujusvis Tomi vestibulo de vita, ætate, rebusque gestis Authorum, quorum lucubrationes publici juris fiunt, paucis agemus, nec dissimulabimus, quorum benevolentia vel opera fuerimus usi. Nec hoc omittendum esse censeo, plura, quam quingenta

)(hujus

hujus Collectionis Exemplaria non esse è prælo emersura. Quod itaque primum hunc Tomum concernit, comparebit in illo

I. *Monasteriologia, in qua insignium aliquot Monasteriorum Familiæ S. BENEDICTI in Germania Origines, Fundatores, clarique Viri ex eis oriundi describuntur, eorumdemque Ideæ æri incisæ oculis subjiciuntur. Auctore R. P. F. CAROLO STENGELIO ejusdem Ordinis Monast. SS. Udalrici & Afræ Augustæ Vind. Professo Augustæ Vindelicorum MDCXIX.*

MOnasteriologiam hanc rarioribus, immo rarissimis scriptis accenset Eruditus Vogtius *in Catalogo Historico Critico lib. rar. pag.* 645. addit: pleraque alia hujus Authoris Opera raro esse obvia & multo ære redimenda. Recusum nunquam fuit hoc Opus, etsi mature distractis Exemplaribus mox videri desierit in Bibliopolarum officinis. Iconismos singulis Monasteriis præfixos omittendos censuimus cum horum Monasteriorum jam alia sit facies. Qualis quantusque vir fuerit Monasteriologiæ hujus Author ex Hierarchia Augustana P. CORBINIANI KHAM *P. II. Collegiali* discimus. CAROLUS STENGELIUS vitales auras primo Augustæ Vindeliciæ hausit Anno 1581. 29. Januarii. Illustrissimo Benedictino Ordini nomen dedit anno 1596. in Imperiali Monasterio ad SS. Udalricum & Afram. Primam Sacerdos hostiam litavit Deo 1605. 18. Aprilis. Capacissimum ingenium à prima juventute variis doctrinis & artibus excoluit. Scientiæ individua comes virtus fuit. Disciplinam monasticam, dum verbo & exemplo magno cum fructu promoveret domi, evocatus est ad Abbatiam Anhusanam anno 1630. 16. Decembris: verum mox 1632. illam ob iniquitatem temporum deserere compellebatur. Interea per Tyrolin & Austriam facto itinere ad Abbatialem sedem post triennium redux, Monasterium pene devastatum invenit. Quo per triennium reparato altera vice migrare coactus est. Post exantlata per integrum biennium exilii mala, iterum ad Abbatiam anno 1640. suam admissus, altero mox anno postliminio fugatus, jam Augustæ, jam Heidenhemii, jam alibi hospes, jam Anhusium revisens, denique anno 1647. die 20. Februarii perveniens Augustam, stabilem sedem fixit in D. Udalrici & Afræ suæ religiosæ professionis Asceterio usque ad calamitosæ peregrinationis, & totius vitæ suæ terminum. Ubi traductis inter continua pietatis & litterarum 16. annis, ad cælestem Patriam Sacerdos Jubilæus anhelans viam universæ carnis ingressus est, piissimamque animam Creatori suo reddidit anno 1663. die 27. mensis Januarii. Funus in ambitu ad D. Udalricum locum sepulturæ accepit, cum hoc Epitaphio marmori inciso & ad parietem infixo.

D. O. M.

DIES MEI SICUT UMBRA

DECLINAVERUNT

ET EGO

CAROLUS STENGELIUS

ABBAS ANHUSANUS

SICUT FOENUM ARUI

DIE XXVII. MENSIS JANUARII

A. C. M. DC. LXIII.

ÆTATIS LXXXII.

RELIGIONIS LXVII.

ABBATIÆ DIGNIT. XXXIII.

VIXI, ET QUEM DEDERAS CURSUM,

DEUS ALME PEREGI.

Veniendum nunc ad litteratissimi hujus Abbatis ingenii monumenta, quibus de orbe litterario, Religione Benedictina, & universa Ecclesia præclare fuit meritus. Operum suorum Catalogum ipsemet præmissa præfatiuncula conscripsit, quem, olim Stengelianæ Mantissæ subjunctum, integrum huc transscribo.

F. CA-

F. CAROLUS STENGELIUS ABBAS ANHUSANUS.

Lectori suo benevolo Pacem & Veritatem.

QUoniam nonnunquam contingit temporum lapsu, aliis aliorum lucubrationes falsò adscribi; ut D. Hieronymo *quædam, quæ sunt* Sophronii, D. Augustino, *quæ sunt* Bedæ *aut alterius, &c. Egoque ipse, tantulus inter Scriptores, non ita pridem injuria affectus à quodam, qui scriptum quoddam (de quo scribendo ipse nunquam cogitaveram) mihi affingere ausus est, verso per Anagrammatismum meo nomine in* Lacorum Genestlium; *operæ pretium magnum mihi fore visum est, si hic nomina librorum, quos jam edidit gratia Dei mecum, & quos pro meis agnosco, quosque deinceps in lucem Deo bene favente sum daturus recenserem, & quibus quisque locis editus est, indicarem. Sic enim & Ordinis mei Honori, & rerum Veritati, & justitiæ optime consuluero, faciens scilicet, ut deinceps nemo bonus in suspicionem plagii falsò apud posteros veniat, neminem innocentem & doctum, mearum si quæ sunt, nugarum immerito pudeat. Mea igitur sunt, quæ sequuntur,* Latina, Germanica.

LATINA.

1. Vita S. Wicterpi Episcopi Augustani. Augustæ in 8. 1607.
2. Vitæ S. Wilhelmi Abbatis Hirsaugiensis, & Wilhelmi Gellonensis cum commentario. Augustæ in 4. 1611.
3. Vita S. Wunibaldi Abbatis. Aug. in 4. 1612.
4. SS. Nominis JESU cultus & miracula. Aug. in 8. 1613.
5. Αλεξητήσιον, id est, historia pestis. Augustæ 8. 1614.
6. Virginale Nomen MARIA, &c. cum fig. æneis. Augustæ 8. 1619.
7. Catalogus plusquam 1000. Monast. Ord. S. Ben.
8. Vita S. Joannis Apostoli & Evangelistæ.
9. Chronologica descriptio Mon. SS. Udalrici & Afræ. Aug. in fol. patenti. 1613.
10. Vita S. Simperti Episcopi Aug. Augustæ in 8. 1615.
11. Vita S. Josephi cum fig. Sadelerianis Monaci 12. 1616.
12. S. Michaëlis. } Historia Ingolstadii in 12. cum fig. æneis. 1619.
13. S. Gabrielis. }
14. S. Raphaëlis. }
15. De Familiaribus Christi.
16. De VII. Machabæis.
17. Monasteriologia cum fig. æneis. Augustæ fol. 1620.
18. De S. Petro. Augustæ in 4. 1620.
19. Officium parvum S. Caroli Borromæi, Aug. 18. 1621.
20. Vita S. Benedicti cum explicatione Regulæ cum fig. æneis, Aug. in 18. 1621.
21. Corona Lucida, de propagatione O. S. Bened. cum fig. æneis. Aug. in 8. 1621.
22. Vita S. Mariæ Magdalenæ cum fig. æneis. in 12. 1621.
23. Historia Passionis D. N. J. C. Augustæ 4. 1622.
24. Vita SS. Joachimi & Annæ cum fig. æneis. Aug. in 8. 1617.
25. Idæa Christianæ pietatis cum fig. Augustæ in 8. 1622.
26. Thuribulum aureum, cum fig. Augustæ in 8. 1624.
27. Vindiciæ S. Udalrico, &c. datæ Aug. in 8. 1614.
28. SS. Reliquiarum cultus & miracula, &c. & Ingolstadii in 8. 1624.
29. Imagines SS. Ord. S. Bened. cum Elogiis. Aug. in 4. 1625.
30. Meditationes in Reg. S. Bened. à Lotharingo scriptæ. Aug. in 12. 1623.
31. Rer. Ecclef. Aug. Vind. lib. 15. furto sublatus est.
32. Monasteriologiæ pars 2. cum fig. Aug. in fol. 1638.
33. Protheus gratulatorius. Monachii in 8. 1639.
34. Cæremoniale Benedictinum. Dilingæ in 8. 1641.
35. Brevis Index SS. Ord. S. Bened. Ingolstadii in 12. 1645.
36. Gazophylacium. Ingolstadii in 12. 1645.
37. De statu animarum post mortem. Aug. in 12. 1645.

38. Præſentium calamitatum origo, &c. Ingolſtadii in 12. 1646.
39. Artes bellandi. Ingolſtadii in 12. 1646.
40. Hortenſius in 2. Tomis. Auguſt. in 12. 1647.
41. Laudes S. P. N. Benedicti. Auguſtæ in 4. 1647.
42. Oeconomia Reg. S. P. N. B. Auguſtæ in 4. 1648.
43. Rerum Auguſt. Vind. commentarius. Ingolſtadii in 4. 1647.
44. Mantiſſa &c. Auguſtæ in 4. 1650.
45. Thaumaſia Benedictina 4. Auguſtæ. 1650.

Prælum proxime exſpectant.

46. Optica Paſtorum & Prælatorum.
47. Chriſtologia in duos tomos diſtincta: in qua primum Genealogia Chriſti, fuſe deſcribitur: deinde Hiſtoria Patriarcharum hujus Genealogiæ ab Adamo usque ad Chriſtum ſine interruptione continuatur: tertio ab Incarnatione Chriſti, ejus infantia, pueritia, usque ad Baptismum continetur; Tomo ſecundo vero vita ejusdem prædicantis, miracula patrantis, patientis, morientis, reſurgentis & in cœlum aſcendentis in capita diſtincta refertur.
48. Hierologia, ſive Templorum hiſtoria, &c.
49. Vitæ hiſtoria S. Jacobi majoris Apoſtoli.
50. Numerorum allegoriæ & myſteria.
51. Coronæ Lucidæ pars ſecunda, de Scriptoribus Ord. S. Benedicti.
52. Julii Nigroni Aſceticorum compendium.

GERMANICA.

1. Dialogus de Paſſione Domini. Auguſtæ in 8. 1606.
2. VII. Caſus Domini patientis cum fig. Auguſtæ 8. 1608.
3. VII. Opera Miſericordiæ corporalia cum fig. Aug. 8. 1608.
4. VII. Horæ Canonicæ cum fig. Auguſtæ in 8. 1608.
5. VII. Urbis Rom. Eccleſiæ, cum fig. Aug. in 8. 1608.
6. Calendarium ex Martyrologio cum fig. Aug. 8. 1608.
7. Vita B. MARIÆ V. cum fig. Auguſtæ in 8. 1609.
8. Vita S. Bened. cum figuris; & Regula Aug. in 8. majori. 1610.
9. Salutationes ad B. M. Virg. cum fig. Aug. 8. 1610.
10. Remedia contra 7. Peccata mort. cum fig. Aug. 8. 1610.
11. Miracula SS. Roſarii cum fig. Auguſtæ in 8. 1620.
12. De VII. Angelis Principibus cum fig. Aug. 8. 1611.
13. Peccati fomes, vincula, pæna, medela, cum fig. Aug. 8. 1611.
14. Vita S. Dominici cum fig. Aug. 8. 1612.
15. Vita Chriſti in forma orationis cum fig. Aug. 8. 1612.
16. XIV. Ord. Fundatores cum fig. Aug. 16. 1613.
17. Vita S. Caroli Borromæi cum fig. Aug. in 8. 1614.
18. Vita S. Bernardi cum fig. Aug. in 8. 1614.
19. Infantia Salvatoris myſtice cum fig. Aug. 8. 1614.
20. Vita S. Simperti E. A. Auguſtæ in 8. 1615.
21. Monaſteriologia cum fig. Auguſtæ in 4. 1620.
22. Chronicon Eccleſ. Auguſt. cum fig. Aug. in fol. 1620.
23. De XV. Auxiliatoribus. Aug. in 16. 1621.
24. Stemma D. N. J. C. in 2. part. Monachii in 8. 1648.
25. In laudem Mathematices.
26. Contra Aſtrologos ſortilegos.

E LATINO SERMONE IN GERMANICAM LINGUAM TRANSLATA OPERA.

1. Lignum vitæ Arnoldi Wion in 269. Tomis cum fig. æn. Aug. in 4. 1607.
2. Alphonſi Palæoti de SS. Sindone cum fig. Aug. 4. 1607.
3. Alphonſi Ciacconii de CC. Mart. Ord. S. Bened. Aug. 8. 1606.
4. Meditationes Joan. à Turrecremata cum fig. Aug. 8. 1608.
5. Triumphus Jeſu Chriſti crucifixi, Bartholomæi Riccii, cum fig. Auguſtæ in majori 8. 1609.

6. De

6. De Cruce transfeunte Jacobi Gretferi Ingolftadii 4. 1610.
7. Viridarium SS. Matthæi Raderi. Auguftæ 8. 1611.
8. Miracula S. Caroli Borromæi & Canonizatio. Auguftæ in 8. 1611.
9. Paradifus Sponfi & Sponfæ, P. Joannis David cum 100. fig. æneis Aug. in 8. 1610. ter impreffus.
10. Pia Defideria Hermanni Hugonis cum fig. Aug. 12. 1626.
11. Teftamentum Hominis Chriftiani Ant. Sucquet. Aug. 12. 1625.
12. Via Vitæ æternæ Ant. Sucquet cum fig. Aug. 8. 1624.
13. Eadem in duabus partibus, aucta Monachii 8. 1627.
14. Manifeftum pro Agonizantibus Cavetani. Auguftæ 12. 1628.
15. Cor Deo facrum P. Caroli Mufart. Aug. 12. cum fig. 1630.
16. Schola Cordis Benedicti Häffteni cum fig. Aug. 8.
17. Francifci Bourginei Litaniæ Lauretanæ, cum fig. Ingolft. 8. 1636.
18. Ejusdem Meditationes de Adventu.
19. P. Georgii Stengelii de SS. Nomine Jefu. Monachii 8. 1638.
20. Menologium Ciftertienfe.
21. P. Caroli Mufarti Peregrinus Calvariæ.

Meminit STENGELIUS in hoc Operum fuorum Catalogo *Monafteriologiæ Partis fecundæ*, quam pariter cum figuris Auguftæ Vindelicorum Anno 1638. in folio fuiffe editam afferit. Hoc Opus ipfa raritate rarius in nullis etiam inftructiffimarum Bibliothecarum Catalogis detegere potuimus, multo minus aliquo comparare pretio, aut ab Amicorum obtinere patrocinio. In celeberrimis etiam implorato Auguftanæ Civitatis Monafteriorumque Bibliothecis difparuit. Implorat omnes fupellectilis Librariæ Præfides Bibliopola nofter, ut Partis hujus fecundæ quocunque demum pretio redimendæ pro fuo in Hiftoriam Ecclefiaftico-Monafticam affectu participem reddere dignentur. Interea ufque dum aliquis appareat ex Machina Deus Collectioni huic inferta eft

II. *Reverendiffimi Abbatis* CAROLI STENGELII MANTISSA

RERUM AUGUSTANARUM Ampliorem Diœcefis Auguftanæ defcriptionem continens: in qua Civitates, Monafteria, Viri Ecclefiaftica dignitate illuftres quotquot inveniri potuerunt diligenter annotantur. Auguftæ Vindelicorum Typis Andreæ Apergeri. M. DC. L.

Minimè aliena eft à præfentis Collectionis inftituto nova rariffimæ hujus MANTISSÆ editio, utramque enim paginam replent Variorum Monafteriorum *Abbatum Catalogi*, qui ad Monafteriologiam magis illuftrandam apprimè fervient. Hanc MANTISSAM infequuntur

III. ORIGINES BENEDICTINÆ, *five illuftrium Cœnobiorum Ordinis S. BENEDICTI, Nigrorum Monachorum, per Italiam, Hifpaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgiam, Britanniam, aliasque Provincias exordia ac progreffus.* AUBERTUS MIRÆUS *Bruxellenfis, S. Theologiæ Licentiatus, Canonicus & Sigillifer Antverp. eruendo publicabat. Coloniæ Agrippinæ. Sumptibus Bernardi Gualtheri Anno M. DC. XIV.*

AUBERTUM le MIRE five MIRÆUM Joannes Albertus Fabricius *in Præfat. Bibliothecæ Ecclefiafticæ* Virum vocat non minus de Veteri memoria quàm de pofteritate omni monumentis in lucem editis infigniter promeritum. Gratitudinis Thure merito doctiffimos illius Manes colit magna D. BENEDICTI Pofteritas, cujus honori in præfenti Opere confecravit calamum, quod ex Veteribus MSS. ex omnium penè gentium Hiftoriis, ex publicis Cœnobiorum Tabulariis, privatisque Amicorum Bibliothecis ftudiofe collegit. Natus eft Bruxellæ anno 1573. 30. Novembris ex prænobili familia. Aliquamdiu elegantiores litteras in Patria docuit, ubi fimul fub Magifterio JUSTI LIPSII, magni illius Mufarum Arbitri, plurimùm profecit. Duaci meritiffimo Vertici Theologici Doctoratûs Lauream anno 1611. die Menfis Maji 4. impofuit GUILIELMUS ESTIUS. Ita quidem *Niceronius* in Eruditorum Memoriis refert. Moneo tamen, id intelligendum effe de prima, non de fuprema Theologiæ Laurea, qua infignitus nunquam fuerat MIRÆUS. Reliqua vitæ Ejus

Ornamenta à mortuo diſcamus, cujus Epitaphium, quale Antverpiæ in ambitu Chori viſitur, Poſterorum Memoriæ hunc in modum loquitur.

D. O. M. S.

AUBERTO MIRÆO, H. CATH. ECCL. DECANO, STUDIIS SCRIPTISQUE CLARISSIMO, QUI ORDINIBUS RELIGIOSIS ORIGINES, ANNALIBUS GESTA, PIIS FUNDATORIBUS FAMAM, HISTORIIS LUCEM, SCRIPTORIBUS PER ELOGIA VITAM, PATRIÆ CLARITUDINEM, ECCLESIÆ HUIC DECUS ASSERUIT: QUIBUS ASSIDUE LABORANTI AC FELICITER OPERANTI ET PERENNARE DIGNISSIMO MORS MANUM INJECIT ANNO M. DC. XL. MENS. OCT. DIE XIX. VITÆ EJUS LXVII. JOAN. CAROL. FRANCHEMIUS MIRÆUS EX ASSE HÆRES AVUNCULO MAGNO, PROPARENTI OPTIMO, IN H. E. CHORO CONDITO GRATITUD. ERGO MONUMENTUM P. C.

In choro à parte meridionali hæc leguntur.

UNI TRINOQUE DEO S. CUI QUOD DE TERRA ACCEPERAT, EIDEM HIC REDDIDIT AUBERTUS MIRÆUS, GUIL. F. JOANNIS QUOND. EPISC. EX FRATRE N. HUJUS CATH. ECCL. DECANUS ET EPISCOPAT. VICARIUS GENERAL. PROTONOT. APOST. S. TH. LIC. SER. ALBERTO ET ISABELLÆ, AUSTRIÆ ARCHID. BELGII PRINCIPIBUS, A SACRIS ORATORII ET BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS. PIIS MANIBUS LECTOR BENE APPRECARE.

Videatur *TOBIÆ MAGIRI Eponymologium Criticum pag.* 596. ubi Epitaphium hoc Bruxellæ reperiri aſſerit, quod tamen haud dubie Antverpiæ viſitur, conſtat enim, *MIRÆUM* non Bruxellenſem, ſed Antverpienſem Canonicum & Decanum fuiſſe. Libros, quibus Orbem Litterarium ſibi devinxit recenſet *NICERONIUS* in ſupra citatis Memoriis Eruditorum Gallico idiomate editis Tom. VII. pag. 277-287. quas Germaniæ noſtræ bono in vernaculam linguam traductas *D. SIGISMUNDUS JACOBUS BAUMGARTEN* Halæ Saxonum ab anno 1749. laudatiſſima induſtria auctiores publicare pergit. Ex his illas duntaxat *MIRÆI* Lucubrationes huc transpono, quibus apud Varios Religioſos Ordines immortalem memoriam meruit. Sunt autem præter *Origines Benedictinas* ſequentes.

Origines *Cartuſianorum* per orbem univerſum. Coloniæ 1609. in 8.

Origines Ordinum *Equeſtrium* ſive *Militarium* libri duo. Antverpiæ 1609. in 4. Coloniæ 1638. in 8.

Origines Virginum Ordinis *B. M. Virginis Annuntiatæ*. Antverpiæ 1618. in 4.

Origines Ordinis *Carmelitani* ab Elia Propheta inchoati, ab *ALBERTO* Patriarcha vitæ regula temperati, à S. *THERESIA* ad primævam diſciplinam revocati. Antverpiæ 1610. in 8.

Origines Ordinum *Auguſtinianorum*. Antverpiæ 1611. in 8.

Origines *Canonicorum Regularium* Ordinis S. *AUGUSTINI*. Coloniæ 1614. in 8.

De Collegiis *Canonicorum Regularium S. AUGUSTINI* per *Belgium*, *Franciam*, *Germaniam*, *Hiſpaniam &c.* Coloniæ 1614. in 8.

Ordinis *Præmonſtratenſis* Chronicon, in quo Cœnobiorum iſtius inſtituti per Orbem Chriſtianum Origines & progreſſus recenſentur. Col. Agrip. 1613. in 8.

Chronicon *Ciſtercienſe*. Coloniæ 1614. in 8.

Recenſita hæc Opuſcula omnia ſuis locis inſerentur in hac Collectione noſtra. Quæ ſi benignum Lectoris oculum inveniet, fors maturius è prælo eluctabitur. Interim Hiſtoriæ Monaſtico Eccleſiaſticæ ſtudioſos impenſiſſime rogatos vult Bibliopola, ut ſuo favore hanc Collectionem juvare, &, ſi quos forte Monaſteriologos ſuis in Armariis ſive nondum editos, ſive rarius in librariis tabernis occurrentes ſervent, benigne illos communicare nobiscum velint, quam benevolentiam grata ſemper recolemus memoria.

Dabam Ulmæ Svevorum in Exempta Canonia S. Michaelis Archangeli ad Inſulas Wengenſes dicta 30. Auguſti 1754.

MICHAEL KUEN, Can. Reg. & Decanus.

LECTORI SPECTATORI.

QUANTA *sit ordinis* S. P. N. BENEDICTI *dignitas & præstantia, vel ex solo Monasteriorum numero, quæ ejus vivendi normam sequebantur, perspicue intelligi potest. Nam, ut fide digni Auctores prodidere, eadem numerum triginta septem millium (absque præposituris, & sanctimonialium Monasteriis, quæ numerum quindecim millium excedebant) attigisse feruntur. A principio quidem Heremitæ Christiani nulla certa norma, aut regula victitabant, quod quisque DEO auctori, & liberatori maxime gratum & delectabile regebatur, magisque procul ab omni mortalium contagio, ad id incumbebat. Itaque alii speluncis sese includere humanæ conversationis penitus expertes, alii statu erecto, & immobili, tamquam cœlo, non solo adfixi, ætatem habere, plures silvis densissimis inter ferarum receptacula, vitam colere, omnes postremo innocentia, precibus, vigiliis, abstinentia, jejuniis Conditori suo perplacere, & ad perfectionem vitæ, diversa via niti.*

Sed posteaquam S. BASILIUS apud Orientem, *in* Occidente, *S. B. N. BENEDICTUS dispersos monachos in cœtus cogere, certisque legibus, veluti bene fundata Civitate, collectos inter se habere, instruere, firmare, cæperunt, incredibile dictu est, quantus ad eam vitæ formulam utroque orbe factus sit concursus. Itaque brevi Italia, mox Hispania, Gallia & Anglia, postremo & Germania, cæteræque provinciæ BENEDICTINORUM conventibus, & collegiis refertæ.*

Atque ut alias regiones taceam, Germania nostra non solum innumera, verum etiam illustrissima habuit Monasteria. Ac ne putemus Abbates eorundem cum suis monachis, quod antiquitus Germani solebant, in tuguriis habitasse; passim videas in his terris amplissima excitata Monasteria à Catholicis principibus, ut, qui in illa se abdebant, honeste possent ali, & educari tam ad pietatem, religionem, morumque honestatem, quàm ad omnem disciplinarum liberalium informationem. Porro ex his prodierunt, non solum sanctitate vitæ clarissimi, verum etiam excellentissimi in omni doctrinarum genere viri.

Tanta vero fuit adhuc utilitas illorum, ut magnificentissimæ urbium nostratium sint ædificatæ propè ista. Unde enim Civitas Sangallensis in Turgovia, nisi ex Monasterio S. GALLI. Unde Campidona, unde Werdea Suevica, unde aliæ complures, pagi, oppida, nisi ex Monasteriis; quibus conditis, statim accurrerunt aliunde alii, constructisque domiciliis loca incolere cæperunt, & in dies quidem magis ac magis, donec in urbes, oppida, pagos excrescerent. Occasione cœnobiorum in Germanicis provinciis oppida ista fieri cœpta sunt, *inquit* B. Rhenanus lib. 2. rerum Germanicarum.

Nec tantum à Monasteriis ortum ducebant, sed & iisdem plerumque subjiciebantur; tametsi non paucæ ex hujusmodi urbibus, ubi divitiis & multitudine civium invaluerant; excusso subjectionis jugo, in libertatem se asseruerunt.

Adjunctæ olim iisdem Monasteriis erant scholæ, in quibus & tenerior ætas ad ætatulæ huic consentaneas literas informabatur; & maturior ad maturiores ac severiores. Præerant scholæ doctissimi quique & probatissimi Monachi, hoc tamen discrimine, saltem aliquibus locis, ut duplices essent scholæ; aliæ internæ, Religiosis erudiendis dicatæ; aliæ externæ, in queis seculares, procerumque & nobilium liberi instituebantur: quam scholarum distinctionem reperires apud Ekerhardum in B. Notkeri vita. De hoc eodem instituto præclarè scripsit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, & post multa hæc subjungit. Magna in eis fervebat devotio: arsit in eorum mentibus regularis disciplinæ zelus commendandus, qui eos nunquam sinebat esse otiosos: salvo enim officio divino, cui omnes devote insistebant, de reliquo Monachii studio vacabant scripturarum, qui-

bus non folùm illuminabantur intellectu, fed etiam compungebantur affectu. *Nunc confilii mei rationem paucis exponam. Collegeram ante non paucos annos ordine Alphabetico, aliquot centena fupra mille ordinis noftri Monafteria, fed dum editionem differo, eaque augere, & origines ac progreffus eorundem penitius indagare laboro, ecce prodeunt in lucem* Origines Benedictinæ *à R. D. Autberto Miræo editæ. Noftram itaque collectionem fupprimere, & tenebris fempiternis obruere conftitui: non defuerunt tamen viri quidam reverendi, non tam doctrina, quam dignitatibus Ecclefiafticis præfulgidi, qui, ut etiam fœtum illum meum publici juris facerem, urgere non defliterunt. Cum ergo viderem, virum alioqui doctiffimum, Brufchio, qui res Monafticas non bona fide tractavit, nimis fideliter inhæfiffe; bonis confiliis cedendum, rurfumque manum operi admovendam effe fum ratus. Et quoniam priora confilia novis ac melioribus mutare confiliis, & promiffa factis vincere in his, quæ publicis rationibus expediunt, mihi femper vifum ex intimâ laude liberalitatis, idcirco acuratius in hiftorias inquirere animum induxi, ita tamen, ut non abfonum fidei ducam, quin à nobis item, ut fert humana conditio, five dormitantibus interdum, & peccata quæ* μνημονικὰ ἁμαρτήματα *vocantur peccantibus, five hallucinantibus, quædam literis fint prodita, quæ doctiorum, fi qui fortè labores noftros non contempferint, ungue notari poffint, cum nemo facile queat omne offenfionis, aut prolapfionis, aut errationis periculum evitare. Perfapienter enim Quintilianus monet:* Legentes non fibi perfuadeant, omnia, quæ magni auctores dixerunt, effe perfecta. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt. *Hoc minutis auctoribus quanto debet effe folatio? Omnium memoriam habere, & in nullo penitus peccare, divinitatis eft potius, quam humanitatis, inquit Juftinianus Imperator. Non erubefcimus igitur nos hominum fimiles confiteri, id eft, lapfos alicubi, & labi poffe: & meminimus, unum effe Deum* μόνον σοφὸν, *qui decipi non poteft.*

Igitur fi hic lapfus, tibi videor, ignofce lector, & candorem tuum proba, ut, fi forte occurrant errata, ea ex ingenii felicitate reftituas.

Ordinem, non in Monafteriorum dignitate, fed ætate fervavimus, ut fequitur.

SS. UDALRICI ET AFRÆ AUG. VIND. CCCIII. Ord. CIↃXII.
S. PETRI SALISBURGI DCXVI.
S. MAGNI in Faucibus DCXLVI.
S. EMMERAMI Ratisponæ DCXCVII.
MANSEE DCCXXXIX.
BENEDICTBEURN DCCXL.
NIDERNALTAICH DCCXLI.
TEGERNSEE DCCXLVI.
THIERHAUPTEN DCCLXX.
CAMPIDONA DCCLXXIII.
METTEN DCCC.
EINSIDELN CMVI.
PETERSHAUSEN CMLXXX.
SEON CMXCIV.
S. CRUCIS Werdææ MXXX.
LAMBACH MLVI.
SCHEUREN MLXXVII.
NöRESHEIM MXCV.
ELCHINGEN MCXXVIII.
URSIN MCLXXXII.
S. MONS ANDEX MCXX. MCDLV.
DECKINGEN CIↃ C. XXXVIII.

SERIE
MONASTERIORUM HEIC
CONLOCATA
NEMINI PRÆJUDICATUM
ESTO.

MONA-

MONASTERIUM

SS. UDALRICI ET AFRÆ AUG. VIND.

CCCIII. Ord. CIↃXII.

MOnaſterii SS. UDALRICI & AFRÆ antiquiſſimam originem fuiſſe, ex vetuſtis literarum monumentis & ſacris Eccleſiæ Auguſtanæ traditionibus perſpicuè doceri poteſt. Nam cum anno Chriſti CCCIII. VII. Id. Aug. S. AFRA, civitatis Auguſtanæ patrona, à Gajo judice ignis ſupplicio affecta fuiſſet, eam HILARIA mater memoria quam ſibi ſuisque conſtruxerat, condidit, & ſuper *ſacri corporis reliquias ædiculam vilibus ex lignis*, ut tabulæ Eccleſiaſticæ loquuntur, excitavit, ibique cum ancillis ad ſepulchrum excubans, martyrii coronam itidem accepit. Porro aream ſeu ſpatium ejusdem baſilicæ, à primis fidei Chriſtianæ AUGUSTÆ plantatæ incunabulis, Chriſtianorum ſepulchris fuiſſe dicatum, nemini debet eſſe dubium. Nam quod ſatis conſtat, ibi ſepulchri locum accepere, AFRA, HILARIA, DIGNA, EUNOMIA, EUTROPIA, AFER, DIONYSIUS, QUIRIACUS, LARGIO, CRESCENTIANUS, EUTYCHIANUS, CHARITO, PHILADELPHUS, PETRUS, NIMMIA, JULIANA, DIOMEDA, LEONIDE, AGAPE; addidere quidam EMBLASIUM, EURIAM, FAUSTAM. Item alii X. quorum nomina intercidere. Condita ibi quoque plurimorum aliorum pro CHRISTO necatorum corpora. Ea deinceps area, diu Epiſcopis noſtris ſedes vivis, ſepulchrum mortuis fuit. In qua eosdem ſynodos coegiſſe, myſteria diviſiſſe, de rebus divinis ſermonem feciſſe, ac omnia, quæ ad pietatis cultum pertinerent egiſſe, non eſt à vero alienum. Sacra verò ædicula, quam ſtatim ab AFRÆ morte inædificatam fuiſſe diximus, pro temporum varietate ſæpe diſiecta, ſæpe reſtituta, in baſilicæ denique amplitudinem, quam nunc oculis conſpicimus, excrevit, & urbe pomærio prolato recepta eſt. Eadem Eccleſia plerarumque circa domorum ſola, quæ ſolarii penſionibus nunc obnoxia habet, lege CONSTANTINI adjudicata accepiſſe ſentiendum, cum AFRAM poſſeſſiones id loci habuiſſe fama ſit proditum. Quinquies minimum fuit exuſta. In Annalibus refertur AUGUSTAM Hunnicæ tempeſtatis vi graviter concuſſam, fædè vaſtatam, ædiculam, quam cæmeterio poſt AFRÆ mortem additam diximus, inflammatam. Nam ATTILA, omnium poſt homines natos mortalium maxime ferox & ſuperbus, obvia quæque fulminis in morem protrivit atque diſiecit, annum circiter CDLI. Indubium eſt poſt acceptam cladem, à Chriſtianis, qui ſuperfuere, ædem memoratam reſtitutam, Clericosque adunatos fuiſſe, cum ante B. GREGORII tempora homines ſacris initiatos eum in locum habitaſſe, literis ſit conſignatum. Canonicos autem Regulares, Regulæ S. AUGUSTINI ſubditos fuiſſe, necdum conſtat, cum omnes ejus ætatis Clerici, & Epiſcopi, cum ſuis Canonicis vitam communem & Apoſtolicam, nullius omnino rei proprietatem ſibi uſurpantes, ſint ſectati. Rebus Romanis, Gothicisque in his locis labefactatis, Alemannisque à Francis devictis, eosdem quoque noſter locus magnos benefactores eſt expertus. E quibus præcelluere, DAGOBERTUS Magnus, PIPINUS & CAROLUS Magnus, FRANCIÆ Reges, qui eundem variis donis auxerunt & locupletarunt. Sub iisdem WICTERPUS & SIMPERTUS Epiſcopi præcipue locum hoſtili manu vaſtatum reſtaurarunt vivi, mortui ſepulturam acceperunt. Ac præter eos TOSSO, NIGDIGARIUS, & ADELBERO Epiſcopi omnes Auguſtani, & ſanctitate clari. Benefecerunt ſacro loco alii quoque principes viri, præcipuè Duces Noricorum, inter quos TASSILO plurima contulit, quorum propter frequentes hoſtium incurſus, loco nihil permanſit. Omnium tamen clariſſima extant beneficia S. UDALRICI (à quo nunc ipſi locum nomen) qui eundem bis inſtauravit. Primo anno CMXXIV. ordi-

 natio

nationis ſuæ primo. Secundo poſt crudelem illam vaſtationem per Hungaros anno CMLV. factam; ibidem conditus anno CMLXXIII. in hodiernum usque diem innumeris claret miraculis.

Canonicis à Regulari tramite deſciſcentibus, ſuffecit BRUNO Epiſcopus Religioſos Ord. S. BENEDICTI. anno circiter MXII. quibus REGINALDUM Abbatem præfecit. Hic ex S. UDALRICI gente Dilinganorum Dynaſtarum profectus, Kyburgenſis etiam ſtirpis ſurculus fuit. *Inter cætera pietatis opera*, uti Laurishamenſis Monaſterii annales produnt, *miſericordiæ compaſſionisque viſceribus totus diffluebat: adeo, ut inter beatos pauperes regnum cœlorum poſſidens, juſtitia ejus maneat in ſæculum ſæculi, & eleemoſynas ejus enarret omnis Eccleſia ſanctorum.* AUGUSTÆ non amplius triennium præfuit, inde EBERSPERGAM evocatus, undecimque annos in Bojca verſatus, magnam ſibi virtutis & pietatis laudem collegit. Sed præcipue benignitas ejus in pauperes prædicatur. Eberſperga ad Laurishamenſe Cœnobium miſſus, eidemque præfectus, non minori pietatis quàm religionis laude claruit. CHUNRADUS Salicus Imp. virtutis fama permotus, anno MXXXIII. apud Nemetes ad Spirenſis Eccleſiæ epiſcopatum curavit provehi, cui per annos VII. inſigni cum laude præfuit, talemque pontificem egit, qualem decebat illum, qui ex longa & religioſa diſciplina ad infulam invitus eſſet protractus. Poſito tandem ſpiritu, cœlo receptus eſt A. C. MXXXIX. & in ſanctorum numero habitus. Candelabrum Spiræ in ſumma æde penſile ex ære auro obductum, eximii operis, hodieque ibidem ſpectandum, REGINBALDI munus eſt. Verſus inſcripti circum extremam orbitam XXIV. auratis quamquam litteris, ætatis plumbum non potuerunt tegere. Sub finem ferè, hi duo ad MARIAM Virginem leguntur.

ISTUD NON MAGNUM DIGNANTER SUSCIPE MUNUS,
QUOD REGINBALDUS TIBI PRÆSUL REDDO MISELLUS.

Cæterum Monaſterio SS. UDALRICI & AFRÆ S. HENRICUS Imp. fundos ac prædia contulit, cujus conjux S. CHUNEGUNDIS locum donis ampliſſimis auxit. An. MXXXI. EBERHARDUS Epiſcopus addidit pontem LYCI cum theloneo. Circa annum MXLIX. LEO IX. Pont. Max. Aug. in ſæpe memorata baſilica ad SS. memorias venerabundus DEO ſupplicans, audivit voces Angelorum canentium: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.*

Floruere dicti Cœnobii Monachi magna certè virtute, doctrina, & conſtanti diſciplina ad poſtrema pene tempora. Quod petiti inde non modo in vicina Monaſteria Antiſtites, ſed frequentes etiam civitatum Epiſcopi demonſtrant, quorum tamen nomina, & res geſtas hoc loco referre, nec hujus loci, nec inſtituti noſtri eſt. Hoc tamen addam; Primos ſtatim poſt REGINBALDUM Abbates, DEGONEM, GOTISGENUM, FRIDEBOLDUM, HENRICUM, THEODONEM, ADALBERONEM, non ſolum verbo & exemplo ſuis egregiè præfuiſſe, ſed fama vel usque ad ſidera notos, ideoque ob tam præclaram nominis celebritatem, ad altiores dignitatum gradus promotos, hinc diſceſſiſſe, præter FRIDEBOLDUM, quem S. HENRICUS Imp. cui à confeſſionibus fuerat, tanto amore pariter & honore proſequebatur, *ut quotiescunque* curiam Imp. adiret, ei cum primatibus aſſurgeret, & nunquam prius *ipſi daret licentiam abeundi, quam aliquod clenodium pro munere acciperet à Rege* (*Catal. Ab. mſ. Chron. Meiſt. l.* 4. *c.* 13.)

ADALBERONIS VII. Abbatis conſenſu, S. P. Q. A. locum (cum toties hoſtium incurſibus potuiſſet) urbe Pomærio prolato recepit. Idem ALEXANDRI II. partes ſequutus, à civibus injuria affectus, Romæ benignè à Pontifice auditus, in reditu obiit MLXV. Eccleſia verò noſtra ab EMBRICONE Epiſcopo inſtaurata, dedicata eſt ab eodem, aſſiſtentibus ſibi GUNSONE (quem Bruſchius GUNDECARDUM nominat) Eiſtettenſi, & ELLENHARDO Friſingenſi, Epiſcopis, præſente HENRICO IV. in vigilia Nativitatis S. DEI GENITRICIS A. C. MLXXI. Eandem ob cauſam ob quam ADALBERO EGINO XIII. ab HERMANNO Epiſcopo exagitatus ſub PASCHALI II. Piſis vita exceſſit, miraculis clarus MCXXII.

Sub

Sub HEZILONE Abbate CONRADUS de Lützelſtain Epiſcopus Aug. Monachum induit, in hoc Cœnobio MCLVI. Eidem poſtea anno MCLXVII. vita functo, ſucceſſit HARDOVICUS de Lierhaim Prior noſtri Cœnobii. Anno MCLXXXIII. XVI. K. Jul. Monaſterium cum Eccleſia igne conflagravit. Exin novum templum excitatum, & ſolemni Eccleſiæ ritu dicatum, ſacratumque eſt, anno MCLXXXVII. VIII. Id. April. à CONRADO Archiepiſcopo Moguntino, aſſiſtentibus eidem UDALSCALCO Auguſtano, OTTONE Friſingenſi, HERMANNO Monaſterienſi, OTTONE Arelatenſi, BERCHTOLDO Tullenſi (*al. Treuerenſi*) Epiſcopis. Arca inſuper, qua ſacra D. UDALRICI Lipſana continebantur, ipſiusmet Imp. FRIDERICI (qui cum tribus filiis, multisque Imperii Principibus aderat) ac trium Epiſcoporum humeris, honoris cauſſa elata fuit. Columnæ lapideæ ambitus factæ ſub ERCHINBALDO circa MCXC.

Tempore Abbatis CONRADI I. qui iniit anno MCCCXXXIV. magnum extitit incendium, quo periere CCL. domus noſtræ parochiæ: ipſum Monaſterium inflammatum, Fratribus DEI ac S. AFRÆ opem implorantibus, & Reſponſ. *Martyr ſancta Dei* concinentibus, divinitus igne ſopito conſervatum eſt. Hinc poſteris temporibus ſolennis ſupplicatio per gyrum Monaſterii Dominica V. poſt Paſcha inſtituta fuit.

Levavit idem Abbas de fonte baptismatis omnes liberos LUDOVICI IV. Bavari Imp. cui etiam à confeſſionibus fuit, & non pauca privilegia & gratias ab eo conſequutus eſt.

Notatum eſt inter cetera, ut quoties locus bene reformatæ vitæ laude floreret, tum maxime ſigna ad SS. interceſſionem ibi ederentur. Habuit autem, ut multa ſunt indicia, primam reformationem ex Monaſterio Hirſaugienſi, quam novam ſeu Cluniacenſem reformatam appellant. Deinde decreto Concilii Conſtantienſis, & BENEDICTI XII. Conſtit. ſubjectum fuit Capitulo provinciæ Moguntinæ. Tertio reformationem accepit à Mellicenſibus, quam etiam per MELCHIOREM Abbatem per plura Monaſteria propagavit, præſertim OTTENBURAM, THIERHAUPTEN, FULTENBACH, miſſis illuc religioſis, bonique teſtimonii fratribus. Idem fecit de Monaſteriis Monialium KüBACH & HOLTZ, aſſumptis à ſe reformatis ſororibus ex ſuo Monaſterio S. NICOLAI extra muros urbis Aug.

Tum etiam SS. corpora effoſſa, reliquiæ SS. inventæ, & S. SIMPERTI diem feſtum celebrandi licentia eſt impetrata. Ejus porro ſacræ reliquiæ cum alias translatæ ſunt, tum maximo apparatu, quem præter FRIDERICUM Epiſcopum & clerum Auguſtanum, MAXIMILIANUS Cæſar, CHRISTOPHORUS & WOLFGANGUS Bojorum Duces coram honeſtavere, Anno MCDXCII. IX. K. Maji, tertia Paſcha feria.

Novæ templi ſtructuræ ſub prædicto MELCHIORE MCDLXVI. initium factum, quæ tamen MCDLXXIV. ventorum vi diſiecta, ipſo SS. PETRI & PAULI concidit, & XXXIII. utriusque ſexus obruens vita privavit. A fundamentis dein MCDLXXVII. novum templum excitari cæptum, quod anno ſæculari M. D. in die S. MARGARETÆ, ſolenni Eccleſiæ ritu conſecratum eſt, & eodem lapis primus pro fundamento novi Chori maxima pompa poſitus, per MAXIMILIANUM I. Imp. & FRIDERICUM Comitem S. SEVERINI, Cardinalem S. THEODORI, talem inſcriptionem continens:

JESU CHRISTO SACRUM.
MAXIMILIANUS. RO. CÆSAR. AUGUSTUS.
AD. III. IDUS. JULIAS. A. FUNDAMENTIS.
LAPIDEM. HUNC. PRIMUM. POSUIT. ANNO. M. D.

Trulla vero qua Cæſar utebatur hæc continebat.

PERPETUÆ. SECURITATI. ET D. UDALRICO. MAJORI.
ATQUE. PROPINQUO. SUO. EX. PROSAPIA. VETERE.
PRINCIPUM FERRETENSIUM. D. MAXIMILIANUS.
ROM. CÆSAR. COMES. DE. PHIRT. DEDICAVIT.
ANNO JUBILÆO M. D. AD. III. IDUS JULIAS.

Tantæ ſolennitati præter Card. & Imp. interfuere complures alii tam Eccleſiaſtici quam ſæculares Principes; præcipui numerantur BERCHTOLDUS Archiepiſcopus Moguntinus, & ERNESTUS Dux Saxoniæ Archiepiſcopus Magdeburgenſis. LAURENTIUS Herbipolenſis, GABRIEL Eiſtettenſis, JOANNES Dalburbius Wormatienſis, MELCHIOR Brixinenſis, ſimiliter Tergeſtinenſis & Viennenſis Epiſcopi.

FRIDERICUS Dux Saxoniæ & JOACHIM Marchio Brandenburgenſis, Electores. GEORGIUS & ALBERTUS Bavariæ Duces. ALBERTUS & GEORGIUS Saxoniæ, GEORGIUS & Henricus Brunswicenſes, HENRICUS & MAGNUS Megalopolitani, & WILHELMUS Juliacenſis & Montium. FRIDERICUS & CASIMIRUS Brandeburgenſes Marchiones, cum Mantuano. Adhæc Legati Regum Franciæ, Hiſpaniæ, Poloniæ, Hungariæ & Apuliæ, ac Venetorum, reliquorum Principum & Epiſcoporum ac Imperialium Civitatum (quæ per Legatos ſuos tum in Comitiis comparuerunt) nomina brevitatis cauſa tranſeo. Abbates Campidonenſis, Cæſarienſis, Vinearum, Salemitanus, Soretanus, Melicenſis, S. Crucis Werdeæ & SS. Udalrici & Afræ CONRADUS Mörlin, innumeri præterea Comites ac Barones.

Illud templum noſtro primum tempore feliciter eſt abſolutum; nam turris ad culmen usque perducta eſt A. C. MDXCIV. JACOBO Abbate: cætera patent ex inſcriptione quæ retro majus altare in Pario exciſa lapide extat.

D. O. M.

VIRGINI ΘΕΟΤΟΚΩΙ, *RELIQUISQUE, CÆLITIBUS*
PARTIM, HIC, AD, CULTUM, PUBLICUM, EXPOSITIS
PARTIM, IN, TERRAM, DEMISSIS, CONDITISQUE, ODEUM
PRINCEPS, TRIPLICESQUE, CHOROS, SACELLUM
SUPERIUS, INGENS, ARAS, QUATUOR, MAXIMAS
CUM NOVA, TOTIUS, PROPE, TEMPLI, SUBSTRUCTIONE
CERTE, INSTAURATIONE, OMNIQUE, ORNATU
INTRA, PROXIMUM, DUODECENNIUM, MOLITI.
JOANNES, ABBAS, DUODEQUINQUAGESIMUS
GREGORIUS, PRIOR
TOTUSQUE, CONVENTUS
POSUERUNT
ANNO POST C. N. CIↃ. IↃC. XII.

MONA-

MONASTERIUM
S. PETRI SALISBURGI DCXVI.

S. PETRI Salisburgi & vetuſtate, & dignitate nulli è Germaniæ Monaſteriis ſecundum, hac occaſione excitatum, in eam amplitudinem, quam nunc conſpicimus, evaſit.

RUPERTUS regio Francorum Scotorumque Principum ſanguine editus, Vangionum (quos hodie Wormacenſes appellamus) primum pontifex, à diſcolis auditoribus arreptus, ſervilem in modum flagris cæſus, pontificatu dejectus, ex urbe etiam eliminatus, à THEODONE III. Bojorum Principe benigne invitatus, & ab eodem Reginoburgi cum inſigni procerum comitatu obviam progreſſo, incredibili lætitia maximo applauſu exceptus, indicto jejunio illum Chriſtianæ fidei myſteriis erudit, eruditum & ſatis jam confirmatum, abdicato impio peſſimorum dæmonum cultu, ſalutari baptiſmate abluit. Principis exemplum plerique optimates ſequuti, & populi magna vis, nobilium ignobiliumque certatim Chriſto nomina dedere. RUPERTUS inde Principis hortatu ſecundo Danubio devectus, multam præterea pietatis ſementem fecit, Evangelio omnibus qui ſecus ripam colerent libero ſermone annunciato, ad inferiorem usque Pannoniam, ibi exſcendens iter retro pedibus tenuit.

Tum THEODO inſtitit RUPERTO, ſedem ſacrorum legeret firmaretque, ex qua ipſe & ſucceſſores Epiſcopi, ſubjectam provinciam ſalubribus præceptis informatum regerent. Placuit Juvavia, ſplendida olim Romani nominis colonia, tum afflicta ſuperiorum temporum barbaricis motibus & vaſtitate, in ruinis & ſolitudine cubans, urbis verius cadaver. Magno ſtudio, & alacritate inſtauratam, mutato veteri vocabulo Salisburgum dixere à præfluente Salsa. Templum Deo & Apoſtolorum principi PETRO cum Cœnobio poſitum. RUPERTUS dicavit, ſacerdotibus ſacerdotumque miniſtris, & omnibus ſubinde rebus quæ ad divinum cultum Chriſtiano ritu peragendum opportunæ, Ducis liberalitate fretus, ampliter inſtruens. Neque defuit Theodo conceptæ ſpei, largis ſubminiſtratis vectigalibus; Salisburgum enim pontifici conceſſit, prædia, villas, lacus, amnes, piſcationes, ſilvas, & venationes adjecit. Adhæc vineas ad Danubium prope Reginoburgum aliquot; Salinis, fornaces excoquendo ſali viginti, & decumæ omnino vectigalium, quæ fiſcus id loci cogeret.

RUPERTI ſanctiſſima facta complures literis conſignarunt, ubi ea copioſe cognoſci poſſunt.

Idem ERENDRUDEM neptem, quæ perperam quibusdam foror credita, numerofo facrarum Virginum collegio præficit, ædificato à REGINODRUDE THEODONIS uxore ad urbem monafterio, & anno poft C. N. CD. XXIII. & magnæ DEI Matri Virginique confecrato, Nonnarum montem etiam nunc appellant, in quo liberaliter ornando THEODIBERTUS patris pietatem adæquavit.

RUPERTUS fuperne monitus mortalium laborum finem, æternitatis prœmium prope effe, difcipulis vocatis oftendit, quem ex facerdotum numero fibi fucceflorem fubftituit cupiat, VITALEM videlicet, notæ fanctitatis, & apud omnes ordines gratiofum hominem, S. PETRI Cœnobii Abbatem. Ingravefcente per quadraginta jejuniorum dies morbo, fefta Chrifti refurgentis luce, quæ in VI. Kal. April. incidit, fefe ut potuit colligens, obita re divina, facrorumque myfteriorum percepto viatico multum de virtute hortatus difcipulos, leniffimo fermone paterno prorfus affectu, inter complorantium manus exfpiravit, Anno Chrifti, ut conjectant hiftorici certiores DCXXVIII. Auditæ canentium voces, angelorum creditæ, & vifi obverfari inter jufta funebria candidati hominum fpecie, quos quod eo officio functi difparuere, angelos fuiffe nemo dubitavit. RUPERTUS cœlo receptus, Boicæ Apoftolus & tutela habitus.

Poft RUPERTUM & VITALEM, deinceps ANSOLOGUS, SAVOLUS, EZIUS, FLOBARGISUS Salisburgenfibus præfuerunt, Abbates omnes hujus monafterii S. PETRI Apoftoli, quod RUPERTUS in ea urbe inftituit.

Permanfit Pontificia cathedra ad D. PETRI monafterium ufque ad S. VIRGILIUM Epifcopum, qui ingentis, & pofteris quoque admirabilis molis bafilicam plurium annorum opere ex ædificavit, & Epifcopalem cathedram ibi collocans, & primo Bojorum divinæ legis præconi & magiftro S. RUPERTO nuncupans, facras illius fimul & CUNIBALDI & GISILARII Comitum corporum reliquias religiofe tranftulit, ut loco nimirum reverentia accederet, tum fibi fucceſſoribusque Epifcopis tanquam fpeculum, quod ante oculos fitum femper infpicerent, proponeretur.

Idem VIRGILIUS Epifcopus inæftimabilis fanctitatis & meriti, id enim à vitæ fcriptore tributum elogium, pofteritas confentiens approbavit, leni morbo V. Kal. Decemb. deceffit A. C. DCCLXXXIV. Multa & mirifica, eaque falutaria plerisque figna, ad mortui cadaver funt edita, verum nullum uni beneficio anteferendum, & quod Carantanis Chriftianæ fidei myfteriis erudiendis vivus præftitit. GREGORIUS IX. P. M. divorum numero poft aliquot fæcula publice afcripfit, A. D. CIƆ. CC. XXXII. Salisburgenfibus juxta RUPERTUM, patronus & tutela colitur.

Eidem fubrogatus eft BERTRICUS, Abbas S. PETRI, qui vix toto anno fuperftes, fedem morte vacuam ARNONI tradidit; cujus primum opera & illuftri apud CAROLUM LEONEMque Pontificem gratia, Archiepifcopatus dignitas in eam commigravit, Extat Diploma LEONIS III. A. C. DCCXCVIII. datum.

ARNONI in Archiepifcopatu fucceffit AMMICONIUS itidem Abbas S. PETRI.

A. C. CIƆ. LXXIV. GEBHARDUS Salisburgenfis Archiepifcopatus, in honorem S. DEI Genitricis MARIÆ & S. BLASII Martyris & Epifcopi, Monafterium in valle Admontenfi conftruxit, & eodem anno III. Kal. Octobr. dedicavit. In quo Monafterio duodecim Monachos facerdotes ad ferviendum DEO ordinavit: ad quorum ftipendia, & veftes, nec non hofpitium & pauperum fuftentationes prædia tradidit.

Huic

Huic vero Cœnobio, consensu venerabilis D. REGINHARDI Abbatis Monasterii S. PETRI, primum Abbatem præfecit D. ARNOLDUM, Monachum hujus nostri S. PETRI Cœnobii.

Post REGINHARDUM præfuit IREMBERTUS, sed pertinaci morbo afflictus non erat oneri ferendo, eoque se ultro magistratu sacro abdicavit, suumque munus THIEMONI ex Altachensi sede jam fama celebri per GEBHARDUM pontificem Salisburgensem evocato commisit. Quod THIEMO susceptum cum ingenti cura, nec minori prudentia & laude administravit. Sed cum atrox in Ecclesia dissidiorum orta tempestas orbem concuteret universum, orbis capitibus Pontifice & Cæsare inter se dissentientibus, fulmen hoc etiam Salisburgensem provinciam afflavit, cum GEBHARDUS religiosissimus antistes contra HENRICUM diris execrationibus devotum, & ab Ecclesiæ societate proscriptum, pro GREGORIO VII. P. M. staret, eoque nomine & ipse gradu per Cæsarem dimotus esset, occupata à BERTHOLDO GEBHARDI Cathedra, ne THIEMO sanctiores partes secutus, contra Rom. pontificem cogeretur sentire, inde in Sueviam profugit, ædesque illic sacras Schaffhusianam & Hirsaugiensem lustravit, quod id ævi illa duo Cœnobia maxime fama virtutis & optimis institutis florerent, hæsitque totum triennium in postremo; ubi perinde se gessit atque unus aliquis de grege, ad omnia religiosæ disciplinæ officia demissus. Tum deinde ratus mitiora tempora secutura, simul ad suos rediit, à BERTHOLDO nunc promissis invitatus, nunc minis impulsus, ut in ejus & Cæsaris partes concederet, cum nullum periculorum exitum domi reperiret, iterum profugus in Admontanum cœnobium secessit. Interea GEBHARDUS cum illustri sanctitatis, fidei & constantiæ laude ad Superum societatem evocatus, sedem à Schismatico per vim occupatam, THIEMONI eorum consilio, qui sanam Pontificis rationem & auctoritatem sequebantur, & BERTHOLDUM lupum non custodem gregis arbitrabantur reliquit. Quas vero perturbationes, adversariorum persequutiones, vincula & ærumnas toto administrationis suæ tempore pertulerit, non est nostri instituti pluribus hoc loco prosequi;

Cæterum THIEMO sub finem vitæ consilium cæpit Hierosolyma petendi. Eapropter in orientem transgressus, in Galilæam, haud procul urbe, cui olim Corozaim exadverso Capharnai interlabente Jordane sita transmisit, ubi à paganis Turcis & Saracenis circumventus, ac pedicis indutus, cum simulacrum Mahumetis truncum (nam statuaria pingendi fingendive disciplina pollebat) integrare juberetur, illud membratim comminuit. Hinc jussu irati principis vestibus spoliatus, jumentoque impositus, scutica toxicata per viam cœsus, ubi in campum certaminis pervenit, circumfusus carnificibus & barbaris articulatim, per digitos, manus, pedes, brachia, (velut Jacobus ille apud Persas) inciditur, ac demum omnibus membris detruncatis, ad modum S. ERASMI, recluso ventre in testini caput bacillo implexum evolvitur, quoad per flexuosos orbes exhaustis ilibus ipsa sedes vitæ cor avulsum sequeretur, cum quo simul extremus pontificis spiritus est extractus, qui inter horrenda crudelitatis exempla assidue Numen veneratus in Davidis hymno animam in Dei sinum ac manus effudit, quam cœlitum symphonia cum Epinicio in templa cœlestia deduxit, ubi in omnes omnium temporum æternitates beata triumphabit. Vixit anno Christi CIↃ. CI. IV. Kal. Octobr. pridie S. MICHAELIS.

A. C. CIↃ. CLXVII. HENRICUS Abbas S. PETRI Gurczenfis Epifcopus creatur.

Habuit ampliffimum hoc Cœnobium continuata ferie Abbates religione & auctoritate præftantes, usque ad noftra hæc tempora, quibus eidem fumma cum laude præeft, A. R. D. JOACHIMUS ex celebri Weffofontano fuperioris Bavariæ Monafterio (quod ante octingentos & octoginta circiter annos fundatum, non fine miraculo, fcalæ apparentis, & angelorum in ea afcendentium, & defcendentium, & Apoftolorum Principis fcalæ innitentis, adhuc fupereft) evocatus, qui præter providam Abbatiæ fuæ adminiftrationem, aufpiciis, juffu & impenfis Reverendiffimi & Illuftriffimi Principis ac Domini D. MARCI SITTICI Archiepifcopi ejusdem Metropolitanæ Ecclefiæ, revocavit antiquiffimum illud Scholarum Monafticarum inftitutum, quibus olim doctiffimi quique & probatiffimi Monachi præficiebantur; quæque non folum Religiofis erudiendis dicatæ erant, verum etiam in eis feculares, procerumque & nobilium liberi inftituebantur, de quibus præclare Trithemius in Chronico Hirfaugienfi. Sed de hujus Salisburgenfis ftudii pro PP. Ord. S. BENEDICTI erecti fundatione, progreffu & inftituto forte alibi plura commodius tradentur ab aliis: nos hæc, præter inftitutum noftrum, hic tantum paucis infinuare voluimus.

MONASTERIUM

S. MAGNI IN FAUCIBUS. DCXLVI.

S. MAGNI totius late patentis Auguftanæ diæcefeos antiquiffimum Monafterium fitum Abufiaci in alpium faucibus, quas Julias dictas volunt, vario eventu. Porro alpes Juliæ, à Julio nomen fortitæ, triplices funt. Unæ apud Taurinos: Alteræ in Rætia: Tertiæ apud Venetos. De Ræticis nobis hic fermo; quæ a Septimo usque ad Braulium montem late patent, & in quibus Oenus fluvius oritur, extenduntur autem usque ad fontem Lyci fluminis, ubi olim juffu & imperio S. NARCISSI Gerundenfis in Tarraconenfi Hifpania Epifcopi, & Vindelicorum Apoftoli longe clariffimi, minifterio dæmonis draconem immani, vaftaque magnitudine, ac inufitata corporis mole præditum, qui maximam circumquaque vaftitatem faceret, utpote quod aerem circumfufum adeo venenaret, ut vel halitu ipfo peftifero multos exanimaret, aut venenum morfu letifero infpiraret, occifum ecclefiaftica referunt monimenta. Inde autem à Julio Cæfare loco nomen inditum fama eft, quod idem ab una rupe ad alteram Lycum equo tranfilierit, vel thermis ibidem ufus fuerit, Julenbachenfibus poft dictis. Extant adhuc eædem thermæ non procul ab oppido, & Monafterii S. MAGNI ditionis funt; falubres admodum, quod varias corporum male affectorum infirmitates tollant, nam peftiferos humores exficcant, nativum calorem reducunt, viresque debilitatas reftaurant, utpote, quæ multum falis, aluminis, & gypfi, nonnihil etiam fulphuris & alabaftri contineant.

Fauces vero locum dictum volunt, quia Lycus fluvius ibidem intra dictas rupes, angufto loco quafi per fauces tranfeat. *Fieffen* vero à pedibus humanis, quibus oppidi infignia exornantur, quod ibidem trium conterminarum regionum confinia fint, Tyrolis, Bojoariæ & Sueviæ.

Porro Monafterii hujus originem ita vetuftis literarum monimentis memoriæ proditam accepimus. B. MAGNUS, ante etiam MAGNOALDUS dictus, ex Hybernia oriundus, COLUMBANUM & GALLUM, perfpicuæ integritatis & innocentiæ viros ejusdem infulæ religiofos, partim prædicandi verbi Dei, partim folitudinis habitandæ caufa peregrinantes, fequutus, ita ambobus probatus eft, ut tum ftudio fapienter obediendi, tum pietate & fanctitate vitæ ac miraculorum virtute, utrique eorum admirationi effet. Qui cum ad filvam Brigantinam veniffent, eumque locum incolentes, multos ad fidem convertiffent, gravi Gentilium invidia

perur-

perurgente COLUMBANUS in Italiam, MAGNUS vero & GALLUS ad eam Eremi partem se contulerunt, quæ adjacet Arbonensi territorio, inter fines lacus Brigantini & Alpes Rætiarum.

Visione autem cœlesti admonitus MAGNUS peragratis pluribus regionibus, sparsaque in iis Evangelii doctrina, ad alpium Juliarum fauces contendit; quo in itinere cæcum illuminavit. Agrum autem Campidonensem attingens, olim quidem cætu hominum frequentem, tum vero incultum & desertum; offendit vermium & serpentum colluvie ac dæmonum infestatione ita horridum, ut nec feræ venatoribus elapsæ, nec homines casu eo delati, tueri vitam possent à miserabili interitu. Quin & ulterius progressus, in horribilem serpentem incidit, quem virtute Dei enecavit; moxque omnium serpentum & vermium monstra universa disparuerunt, virtute ac potentia orationum MAGNI expulsa. Repurgato autem ita eo loco, & ad habitandum accommodato, magna vicinorum gentilium turba ad CHRISTUM conversa est.

Veniens deinde ad locum Equicaput dictum, horridum & immanem draconem, sanctis reliquiis signoque crucis munitus, precibus extinxit. Demum ad fauces alpium pertingens Monasterium hoc, de quo nobis sermo, extruxit, & Ecclesiam per S. WICTERPUM Episcopum Augustanum in honore S. DEI Genitricis MARIÆ, & S. FLORIANI Martyris consecrari fecit, Anno ut quidam notant, DCXXVIII. ut Bruschius DCCX. nos alibi viam mediam elegimus, & pluribus rationibus firmavimus, atque annum circiter DCXLVI. statuimus. Cum vero fama virtutum ejus longe lateque diffunderetur, factus est magnus concursus populi ad eundem locum, quem & propter dignitatem tanti viri, *Cellam S.* MAGNI indigitarunt, multis quoque prædiis ac possessionibus ditarunt. Quare B. MAGNUS turbas declinans, secessum quæsivit, adque fauces ipsas digressus, dæmones inde expulit, & adjuvante TOZZONE Presbytero, qui postea Episcopus Augustanus evasit, exiguum sane Oratorium construxit, à quo & S. WICTERPUS Episcopus accersitus, illud sub honore ac titulo S. SALVATORIS dedicavit. Bono quoque virtutum B. viri odore delectatus, quosdam religiosos Clericos in DEI servitio instituendos, in disciplinam ei tradidit. Qui divino amore succensi per viginti quinque annorum curricula, quibus B. Vir supervixit, ejus imperio audientes in CHRISTI servitio die noctuque persistentes, ad finem usque perseverarunt Sanctus igitur Episcopus procuravit omnia necessaria ibidem degentibus, & profectus est ad aulam Regis Francorum, cui Alemannia etiam parebat, ubi à glorioso Duce B. PIPINO, dicto de Landis, patre SS. GERTRUDIS & BEGGHÆ, Majore Domus seu Magistro Palatii Regni Francorum sub CLOTARIO II. & DAGOBERTO MAGNO, honorifice admodum exceptus, eidem S. MAGNUM commendavit. Ille animo ad pietatem commotus, petitioni venerandi Episcopi annuit, atque locum ipsum sublimare, & terrenis commodis providere atque communire decrevit. Quapropter de vectigalibus vicinorum locorum, qui census & vectigalia annuatim regiis ærariis inferre tenebantur, reditus annuos beato viro in perpetuum addixit, & ne quis hanc donationem infringere ullo unquam tempore attentaret, illam donationem in publica instrumenta redigi, suoque sigillo muniri curavit, quatenus deinceps in saltu illo B. MARIÆ Virgini, & S. AFRÆ ex regia donatione addicto WICTERPUS Episcopus omnesque successores ejus, sine ullius contradictione, supremam obtinerent auctoritatem. Quibus ex animi sententia transactis, idem Episcopus & regiis auctus donis, & amplissimis sublimatus honoribus, lætus ad propria regreditur, & beato MAGNO potestatem fecit regularem instituere vitam, ejusque loci curam commendavit. Ab illo tempore locus ipse à B. MAGNO fundatus, atque à Pontificibus Augustanis locupletatus, adhæc usque tempora feliciter est propagatus.

S. MAGNUS præterea magna accolarum utilitate urso monstrante ferrifodinas adinvenit, ibique magnas virtutes operatus est, cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum reddidit; truculentas quoque feras obedire sibi fecit, aliaque plurima edidit miracula, quibus magnam incolarum ejus loci multitudinem, ad CHRISTI

fidem perduxit. Poſtquam autem viginti quinque annos in eodem cœnobio vixerat, ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo tertio, viri Deo dilecti & ſanctitatis laude celeberrimi anima, corpore leniter ſoluta, migravit VIII. Idus Sept. in cœlum; corpus eidem monaſterio perpetuum relinquens ornamentum. Aſſervantur ibidem theſauri pretioſi inſtar & alia veneratione digniſſima S. MAGNI monimenta, inter quæ principatum quaſi obtinet CRUX argentea, quæ non ita pridem alii pretioſæ hypothecæ deauratæ, gemmis & chryſtallo exornatæ incluſa fuit. Continet eadem crucicula reliquias B. DEI genitricis MARIÆ, Ligni, S. CRUCIS, SS. Martyrum MAURITII & Sociorum ejus, nec non BB. Confeſſorum CHRISTI COLUMBANI & GALLI. Eandem colle dependentem in via geſtare, cum vero orationi incumbere vellet, vel ex arbore vel alicubi ſuſpendere, & coram ea ſe proſternere ſolebat. Adhuc ſalutaris ejus uſus ſæpe invenitur. Ubi enim tempore tonitrui aſportatur, aerem mitigat, aereas poteſtates expellit, ſegetes à grandinibus præſervat: quin & Campana major hac cruce benedicta, magnam virtutem habet contra tempeſtates.

Religioſe itidem aſſervantur, S. MAGNI Cuculla, (quæ puerperio laborantibus impoſita, nonnunquam à periculo & dolore easdem liberaſſe proditur) Stola & Manipulus. Calix inſuper, ex quo bibentes à variis morbis ſanantur; præſertim à febri & maleficiis complures liberatos literis conſignatum habetur. Adhæc impetiginem capitis, quæ ex diſcraſia provenit, & alias mentis paſſiones, dentium dolores intolerabiles, ſyncopen & alias infirmitates ſibi propuliſſe, non pauci grati agnoverunt.

Præterea Scipio ſive Baculus, quo ante S. MAGNUM uſi fuere SS. COLUMBANUS & GALLUS, cujus virtutes admirandas, vere atque æſtate præſertim, ferme quotidie experiuntur agricolæ. Quando enim vel in agris, aut hortis, ſeu plantis, arboribus ſive herbis nocivi graſſantur vermes, aut cujuscunque tandem generis mures, erucæ, cyniphes, ſeu qualiacunque demum animalcula, venenatæ beſtiolæ, aut inſecta, quæ ludunt aut arrodent radices ſegetum, inficiunt, devorantve folia, flores aut fructus arborum, herbarum, cujuscunque generis plantarum: quamprimum ſacer iſte baculus, terræ, ubi peſtis illa graſſatur, infigitur, mox fugatur aut extinguitur. Eundem effectum habere ramos ſeu frondes arborum & fruticum, item terram, ſi baculo aut Cruce prædictis tangantur, ſignentur, & à Fratre quodam ejusdem Monaſterii benedicantur, experientia pene quotidiana docet. Hinc etiam apud longe diſſitas & externas nationes S. MAGNUS honore, feſtoque die ſolennitur colitur, interque eos Divos, quos ob ſpeciales quasdam prærogativas *Auxiliatores* vocamus, præſentiſſimus Patronus habetur.

Idem Cœnobium anno circiter DCCLXXXVIII. Boicis præſertim bellis miſere vaſtatum, flammis abſumptum, concrematumque fuit: quod ſic diſiectum SIMPERTUS Auguſtanæ Eccleſiæ Pontifex ſanctiſſimus CAROLI MAGNI auxilio fretus reſtituit, ædificia inſtauravit ac opibus auxit.

Idem poſtea donis ampliſſimis auxerunt & locupletarunt LEOPOLDUS Marchio Auſtriæ, & GUELPHO Dux Suevorum, quæ omnia paucis verſibus comprehendit Jacobus Philomuſus Poeta Laureatus.

Cœnobium Füeſſen Regali dote PIPINUS
Fundavit, ſancti permotus numine MAGNI.
Vaſtatum Cæſar reparavit CAROLUS *idem*
Atque Auguſtana SIMPERTUS *Præſul in urbe.*
Auſtriacæ poſthæc LEOPOLDUS *Marchio terræ,*
GUELPHO *Suevorum Dux ampliter augmentarunt.*

Habuit

Habuit hoc Cœnobium insignes quosdam Abbates, in quibus ceteris fere excelluerunt, CONRADUS Abbas II. qui religionis & sanctitatis laude plurimum floruit, ita ut *beati* prænomine etiam vocetur. HILDEBOLDUS præterea Abbas XXIII. insignis prorsus fuit, & innumerabilia officia præstitit HARTMANNO Episcopo Augustano. Obiit A. C. CIↃCC. LXXXIV.

Adhæc JOANNES V. Abbas XXXIX. doctrina & religione valde claruit, nam admirandæ fuit abstinentiæ, jejuniis, exercitiis spiritualibus, & vitæ contemplativæ totus deditus; ut interdum visus fuerit in mensa lectioni ita attentus, ut oblitus sit ferculorum, ac quasi raptus in extasin videretur. Interfuit Concilio Basiliensi, & propter doctrinam ac zelum religionis inter ceteros nostri Ord. Abbates præsidentis officio functus est, multumque laboravit pro reformatione Ordinis circa annum MCDL. Eidem in nullo dissimilis fuit successor ejus JOANNES Höss, adhæc arte pingendi & disciplinis Mathematicis plurimum claruit; & complura bona temporalia coemit, circa A. C. CIↃCDLXXX.

Hujus itidem successor BENEDICTUS Furtenbach, doctrina & pietate erga B. V. præsertim insignis, MAXIMILIANO I. apprime charus extitit. Sub cujus regimine Monachi doctrina, præsertim in Astronomia plurimum claruerunt; e quibus P. GALLUS Knöringer doctrina & pietate ceteris excelluisse proditur.

MONASTERIUM

S. EMMERAMI RATISPONÆ. DCXCVII.

HUjus antiquissimi pariter & amplissimi cœnobii origo talis est. EMMERAMI sanctissimi Episcopi & Martyris apud Bojos fama magis indies magisque clarescente, THEODO princeps cædis noxiam, cujus pœnitentia dudum caperetur, aliqua expensurus, GEORGII Martyris ædiculam adjecto monasterio, quo loco lucum olim Deorum religione sacrum fuisse memorant, ampliat, ipsius EMMERAMI nomine indito, uti sibi numen, & sanctum numinis testem reconciliaret. Cœnobium illud hodieque maxime floret, de quo ex MSS. membranis hæc habentur: *Diligenter est advertendum, quod olim temporibus paganismi & infidelium, in illo colle, ubi nunc est Monasterium S. EMMERAMI situatum, tunc extra muros civitatis fuit lucus arborum sylvestrium, ubi diversorum simulacra Idolorum ab infidelibus colebantur. Qua superstitiosa hominum stultitia tandem divina gratia evanescente, & fide Catholica parum scintillante, ibidem luco deposito viles casæ pauperum hominum suburbanorum civitatis constructæ fuerant, & inter easdem casas constructum fuerat humile oratoriolum, in quo consecratum altare fuerat per fideles CHRISTI, tunc tenuiter clarantes in honore D. GEORGII Martyris. Quæ quidem Capella steterat ibi tugurii more, araque ipsa ibidem in eodem Monasterio cernitur hodie ejusdem Martyris S. GEORGII ad latus australe, versus ambitum dicti Monasterii. Ante quam aram D. EMMERAMUS primum fuerat tumulatus dicto Epitaphio adjuncto. Nemo denique mortalium de hoc ipso mirari debet, quandoquidem beatissimus Martyr in eadem capella Domino jubente voluit quiescere, & extremi sententiam examinis præstolari: Quia quem primo gratia docendi populum in fide Catholica in Ratisponam transtulisset, post crebros frequentes labores circa gregem Domini dictam Capellam à tumultu hominum alienam, sæpius idem vir sanctus solum Deo placere desiderans, vigiliisque & orationibus incumbens inhabitavit.*

Huic Cœnobio primus Abbas præfectus est APOLLONIUS, anno post CHRISTUM natum DCXCVII. & præsederunt Abbates huic Monasterio annis CXXXIII. usque ad annum DCCCXXX. Postea vacavit Abbatia dicta annis CLV. alias CXLV. Nam Episcopi Ratisponenses se intromiserunt de ordinatione & regimine dicti Monasterii, consentientibus Imperatoribus, usque ad tempora S. RAMVOLDI, patruelis S. WOLFGANGI, quem idem pius pontifex à Trevirensi urbe vocatum,

catum, constituit Abbatem, exinde continuata serie jam LV. numerat Abbatem R. D. HIERONYMUM, cui proinde adhuc multos annos precamur.

Erat idem Monasterium, priscis temporibus vix Capella Monachorum, sed postea per SIMPERTUM Ratisponensem Episcopum, jussu & sumptibus CAROLI MAGNI magnifice fuit inchoatum A. C. DCCLII. perfectum cum magni operis basilica DCCLXXXIII.

Dictus Imperator dedit privilegium immunitatis & exemptionis, ut solis Romanorum Imperatoribus ac Regibus subjectum sit, confirmans omnia à patre suo Pipino Rege, & ab antecessoribus suis data, quod idem etiam successores Imperatores & Reges fecerunt, quorum diplomata pleraque apud Hundium ex Aventino citata invenies.

Supra reliquos autem munificus & liberalis erga hoc Cœnobium ARNULPHUS Imperator extitit, qui ob amorem & honorem S. EMMERAMI ipsam civitatem RATISPONAM ampliavit, ipsumque Monasterium inter muros inclusit, eamque civitatis partim S. EMMERAMO tradidit, ut colligere videtur Hundius. Adhæc quadraginta vineas in monte, qui est in ripa Danubii, juxta eandem civitatem dono addidit. Insuper & reliquias S. DIONYSII Areopagitæ, Episcopi Athenarum, & Parisiensium in Gallia Apostoli, Martyris, & Hierarchici Doctoris celeberrimi, una cum pretiosissimo Evangeliorum Codice, quem Carolus Rex Franciæ, postea Imperator dictus Calvus, fieri jusserat, ad Monasterium S. EMMERAMI transtulit, Anno DCCCC. pridie Kal. Decembris.

Postea venit in Germaniam LEO IX. Pontifex M. anno CIↃLII. rogatu Andreæ regis Hungariæ ad componendam pacem inter Imperatorem Henricum & ipsum, simulque ad petendum militem & auxilia contra Nortmannos, qui provinciam pontificiam vexabant. Sub eam occasionem dum RATISPONÆ, Pontifex cum Henrico moratur, declarat publica auctoritate tabularum (quæ hodie leguntur, & subscribi possent, nisi apud Baronium extarent) servari RATISPONÆ S. DIONYSII corpus, furto per ARNULPHUM Imperatorem Parisiis olim sublatum, indeque RATISPONAM deportatum. Sed contra Rigordus historicus gente gallus, qui sub PHILIPPO LUDOVICI F. scripsit, exerte obnititur, docetque S. DIONYSII sacra pignora custodiri Lutetiæ, nec unquam fuisse inde sublata, literas esse confictas à Bojis; quod mihi procul à vera videtur ratione abesse. Quæ enim causa Bojos adegisset litterarum excogitandarum, si DIONYSIO caruissent? aut quorsum illa opinio gentem invasisset, si non Imperator ipse ARNULPHUS corpus in Bavariam transtulisset? an ut umbram DIONYSII, vel cærula cæli adorarent.

Præterea diploma LEONIS pro Bojis, ut ipse Baronius affirmat, in veteribus pontificum Romanorum scriptis repertum ex Antonio Augustino posset hic collocari, nisi apud Baronium legeretur. Quid ergo Bojos de literis confictis accusant? Otho tamen Frisingensis videtur rem in medio relinquere, sed quamobrem? Eodem loci LEO, S. WOLFGANGUM & ERHARDUM antistites olim sanctissimos RATISPONÆ, multisque mirandis operibus vivos mortuosque fulgentes, cælesti inter Sanctos religione colendos præcepit.

Idem ædem S. EMMERAMI corruptam incendio, instauratamque resecravit. Dedicatum ab eodem Sacrarium SIMONIS & JUDÆ supra fornicem (in capitolio) curiæ contiguum.

Reliquas donationes ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus viris ac fæminis huic amplissimo Cœnobio factas, diligenter apud Hundium in Metropoli Salisb. annotatas invenies.

Illud porro Monasterium Romano Imperio, quo ad secularia, immediate subjectum est, à quo & Regalia in feudum tenet. ALBERTUS Romanorum Rex, concedit Abbati regalia feuda principatus. Idem fecit JOANNES Rex Bohemiæ, nomine patris sui HENRICI, Imperatoris, tunc in Italia agentis, Anno CIↃ. CCC. XIII. his verbis: Verleichen ihme sein Fürstenthum und Regalia.

Idem

Idem WENCESLAUS Rex, RUPERTUS Rex, infeudum concedit regalia & fæcularia feuda, Anno CIↃCDI. idem poftea, Anno CIↃCDV. **Lechenschaft und Mannschaft** **2c.** unde & Princeps Imperii ab illis Imperatoribus ac Regibus nominatur. LUDOVICUS Imperator IV. ita illi fcribit: Dilecto noftro Principi, ALBERTO Abbati S. EMMERAMI in Ratispona, Anno CIↃCCCXXXII. LUDOVICUS Marchio, filius LUDOVICI IV. vocat eum **den Ehrsamen und Geistlichen Fürsten, Anno** 1348.

Principes Bavariæ funt Advocati ac defenfores hujus Monafterii, quoad ea bona, quæ in Bavarica ditione funt fita. Cætera ficut & ipfum Monafterium ad Romanum Imperium fpectant.

In hoc celeberrimo loco plures tam fanctitate, & religione, quam feculari etiam dignitate clariffimi viri & fæminæ fepulturæ locum acceperunt, inter quos, ut fidus quoddam fulgidiffimum emicat S. WOLFGANGUS Epifcopus, qui nobili Suevorum fanguine natus, in Augienfi monafterio litteris apprime imbutus, poftea in Hercinia Sylva, monachum profeffus eft. Ubi aliquamdiu commoratus, & in Noricum diffeminandæ fidei caufa profectus, invitus Epifcopale faftigium RATISPONÆ confcendit. Ibi munere fuo fanctiffime perfunctus, ad cælites evolavit pridie Kal. Nov. A. C. DCCCCXCIX.

Ejus corpus in S. EMMERAMI æde conditorio claufum, ibi in crypta annos IↃLXXVII. latuit, ac præteritis demum annis à WOLFGANGO altero nominis hujus poft S. WOLFGANGI Ratisponenfis præfulis antiftite repertum, & fumma cum religione, publicaque celebritate translatum, novoque facrario honoratum eft.

Ex eodem S. EMMERAMI archifterio prodiit B. GUNTARIUS Epifcopus, de cujus mirabili electione, hæc Dietmarus *lib.* 2. *Imperator* (OTHO M.) *audita Ratifponenfis Ecclefiæ præfulis morte, eo perrexit: & ut Epifcopatum non alii daret, nifi ei, qui primus fibi occurrerit, in fomnis admonitus eft. Craftina autem die primitus inlucefcente, Cæfar ad Monafterium CHRISTI Martyris EMMERAMI, Monachis hoc nefcientibus, cum paucis venit, & paulatim oftium pulfans, à quodam GUNTHERO Ecclefiæ pervigili cuftode, & per omnia venerabili patre, intromiffus eft. Quem intuens ad adorandum primo fupplex proceffit, denique talibus aggreditur: Quid, mi frater, pro adipifcendo Epifcopatus honore vis dare? Senior ad hæc fubridens, calceos, inquit, meos. Hunc autem cum cæteris confratribus ad Electionem Antiftitis ad fanctum Petrum venientem, Cæfar explicato cunctis fomnio, cæteroque rei eventu, cum confilio Cleri, totiusque populi ad facerdotem conftituit. Is vero accepta benedictione fedebat tantum VI. menfes, ægritudineque compreffus valida, ad modicum convaluit, fumptoque in manus cinere, locum, quo de fæculo migrare voluit, figno fanctæ crucis, ipfe confurgendo fignavit, folo tenusque pofitus, illud beati Job carmen beatus & ipfe cecinit: Auditu auris, audivi te Domine, nunc autem oculus meus videt te: Idcirco ipfe me reprehendo, & ago pænitentiam in favilla & cinere. Et continua confeffione cum lachrymis peracta emifit fpiritum.* Anno CCIↃXXXVIII.

Ibidem in Crypta requiefcit B. RAMVOLDUS Abbas, juxta aram S. GREGORII, & omnium Confefforum, cum hoc difticho:

Signis clarefcit pius hic RAMVOLDUS *humatus,*
Cælo fulgefcit cæleftibus affociatus.

Epitaphios ad S. Altare in ipfa crypta hic etiam hodie legitur, totius vitæ decurfum fuccincte complectens.

B. RAMVOLDUS D. WOLFGANGI PATRUELIS COGNATIONE, AMORE, PIETATE ET ORDINE GERMANUS, VIR VITA ET CONVERSATIONE INTEGER ATQUE SANCTISSIMUS, EX TREVIRENSI URBE ET MONASTERIO S. MAXIMINI A. S. WOLFGANGO EVOCATUS ANNO 975. *HUJUS LOCI ABBAS CONSTITUITUR, UBI IN LABORE ET SOLLICITUDINE PASTORALIS VITÆ STRENUE DESUDANS, MAGNO SE ARDORE ET CONATU ADVERSARIIS OP-*

POSUIT, PLURIMUMQUE PRO LIBERTATE MONASTERII HUJUS LABORAVIT. OTTONI II. ROM. IMP. SEMPER AUGUSTO APPRIME CARUS, MIRO DEI JUDICIO BIENNIUM CÆCUS, MIRACULO CRUCIFIXI AD SEPULCHRUM S. EMMERAMI VISUM RECEPIT. CRYPTAM HANC AD SANCTORUM ET POST. MEM. A FUNDAMENTIS EXCITAVIT ETC. TANDEM CUM XXVI. ANNOS; MENSES V. DIES XVII. SANCTISSIME REXISSET, FEBRICULA CORREPTUS ANNO DOMINI CIↃI. XV. KAL. JULII, ÆTATIS SUÆ C. BEATO FINE QUIEVIT, MIRACULIS CLARUS.

Ex eodem S. EMMERAMI Monaſterio, ad HIRSAUGIENSIS Cœnobii gubernacula aſſumptus eſt WILHELMUS, fama ſanctitatis, eruditione, & miraculorum gloria celeberrimus, qui Monaſtici Ordinis Reformator egregius, & plurimorum per Germaniam fundator Cœnobiorum extitit. Obiit IV. NON. JUL. A. D. MXCI. ſuſcepti regiminis XXII. ætatis vero ſuæ LXV. Ejus vitam notis & commentariolo illuſtratam, ante aliquot annos publici juris fecimus.

Ibidem in Auſtrali ambitus plaga beatæ memoriæ ADALBERTUS Abbas ſepultus, requieſcit in cancello fereo, cujus mauſolæo inſcripta hæc carmina.

Floruit hic ſignis Abbas ALBERTUS *opimis*,
Illius precibus JESU *Rex parce redemptis.*

Obiit Anno CIↃCLXXVII.

Præter enumeratos celebres viros XVIII. Epiſcopi Ratisponenſes ibidem requieſcunt.

Sanctitate etiam clara habetur ibidem AURELIA Virgo, Franciæ Regis filia, quæ ob vitandum mariti commertium profuga, venit ad Monaſterium S. EMMERAMI, quam S. WOLFGANGUS collocavit in ſolitudinem, quæ nunc vocatur Sacellum S. Andreæ, juxta urbis Ratisponenſis mænia, ubi in vigiliis & orationibus LII. annis devotiſſime vixit, & Anno CIↃXXVII. Idibus Octobris obiit, & in ambitu Monaſterii hujus ſepulta jacet, ad partem Auſtralem, cum hoc diſticho.

Hic pia floreſcit AURELIA *Virgo ſepulta*,
Quæ pœnas neſcit, *cœli dulcedine fulta.*

Ex ſæculari ſtatu præcipui habentur ARNULPHUS Imp. ejusque filius LUDOVICUS Rex Rom.

Item HENRICUS Bavariæ Dux, HENRICIS Imp. pater, vere pius & pro ſancto cultus, cujus hoc Epitaphium:

HENRICUS *regis pater*, *& defenſio legis*,
Bavariæ cultus, *pius eſt hic duxque ſepultus.*

Aliæ præterea illuſtres utriusque ſexus perſonæ, quas hic commemorare longum eſſet, & complurium etiam monumenta frequentibus ruinis obruta fuerunt.

MONASTERIUM
MANSEE. DCCXXXIX.

LUNÆLACENSE, LUNÆLACUS, una dictione LUNELACH, vulgo MANSEE Monaſterium in ea Bavariæ parte (quæ terra ſupra Anaſum viciniſſima, & pene contigua eſt) ad ejus nominis inſignem lacum, & elegantem Marcam intra Alpes Julias ſitum: omnium fere Bavariæ Cœnobiorum ampliſſimum, magnificentiſſimum ac opulentiſſimum (ut à quibusdam in literis relatum invenio) fundatum legitur circa annum DCCXXXIX. vel, ut alii prodidere, DCCXLVIII. ab UTILONE illuſtriſſimo & religioſiſſimo Bojorum Duce, in honore S. PETRI Apoſtolorum Principis, & S. MICHAELIS Archangeli.

Hanc

Hanc fundationem THASSILO UTILONIS filius, religiofiffimus Bojorum Dux, qui etiam à fanctitate plurimum commendatur, & ob miracula divinitus ad ejus tumbam poft mortem oftenfa, fummis in cœlum laudibus à probatiffimis Scriptoribus effertur, Anno Chrifti DCCLXXI. confirmavit, additis infuper multis reditibus, cenfibus, prædiis, curtibus, grangiis, pratis, & hominibus in Rottal, Maligow & Alergow. Idque exemplum fingulari quodam zelo fequuti & æmulati ejusdem terræ viri nobiles, plurimum ad loci amplificationem & religiofum augmentum contulerunt.

Eidem loco Abbatis dignitate primus præfuit OPPORTUNUS, vir religiofiffimus, qui cum viginti aliis fratribus ex Cafinenfi S. BENEDICTI in Campania Cœnobio evocatus, Abbatiæ huic præfectus eft Anno Domini DCCXLVIII. præfuit annis XXXII. & obiit anno DCC. LXXXI. ipfis Kal. Januarii. Extant de eo & ejus Fratribus tales verficuli:

Caffino de monte legunt, & adhuc ibi degunt.
Domnos clauftrales: nec habebat Norica tales.

OPPORTUNO fucceffit HENRICUS, qui anno poft CHRISTUM natum DCCLXXXVII. cum ARNONE Salisburgenfi Epifcopo (cujus primum opera & illuftri apud CAROLUM, LEONEMque Pontificem gratia, Archiepifcopatus dignitas in eam fedem commigravit) Romam miffus fuit. Ibi conftituti HADRIANUM Papam THASSILONIS nomine, adeunt, ut pacem iterum communis pater conciliet, rogant.

Non detrectavit operam Pontifex. Ut vero copiofa oratione CAROLUM perfuadere aggreffus eft, ftatim fibi eo labore fuperfedendum intellexit, refpondente quippe Rege, nihil fibi pace antiquius vel antehac fuiffe, vel nunc quoque effe, cujus rei luculenta dederit teftimonia, quæ nihil opus commemorare, fe multa expertum, quo THASSILONEM religione fœderum in officio contineret, quod fruftra fuerit, culpam certe præftare non debere. Quin ipfe HADRIANUS, pacis conditiones nunc coram inter præfentes diceret, eas fe, pro veneratione qua Apoftolicam fedem femper profequutus fit, recepturum polliceri. Tum tergiverfari legati, neque fe ea mandata domo afferre, neque fine mandato rem tantam, qua Principis obftringatur fides fpondere. Apparebat magis moram bello, quam id quod prætexebatur quæri. Iratus itaque Pontifex, THASSILONEM, quique ejus partes fequantur, diro anathemate percellit, nifi fanctitatem facramenti, quo PIPINO prius nexi, nunc CAROLO teneantur, per omnia ratam habeant.

Simul eum per hos ipfos legatos feria admonitione obteftatur, etiam quo progrediatur cogitet, nam fi porro pervicacia & perfidia animo indulgere pergat, fe CAROLUM & Francos, DEO & S. PETRO auctore, jam nunc crimine folvere, cædes, incendia, rapinas, quæque alia mala bellum femel motum confequantur, in ipfius caput recafura, ipfum omnium fcelerum fupplicia luiturum. Hæc legationis illius fumma fuit.

Huic Abbati dedit poftea idem Archiepifcopus ARNO Ecclefiam S. MARTINI in Strafswalden cum omni integritate, qua antea S. PETRO & S. RUPERTO impendebat fervitium.

Pofthæc LAMBERTUS Abbas vitæ integritate & fanctimonia clarus, interventu nobilium Comitum ERNESTI & ALBERTI à Rege LUDOVICO obtinuit territorium (quod pofterioribus feculis à S. WOLFGANGO nomen tulit) in Abernfee, cum toto nemore circumjacente. Facta eft hæc donatio in in Tranftorph Anno C. DCCXIX.

Anno pofthæc CCMXXXI. Rex LUDOVICUS LUDOVICI Imp. filius, ad petitionem HEMMÆ Reginæ uxoris fuæ, Monafterium Manfee BATHURICO Ratisponenfi Epifcopo tradidit in permutationem pro Monafterio fuperiori B. Virginis Ratisponæ, *Obermünfter* dicto, quod ad prædictam Ratisponenfem Ecclefiam pertinebat. Inde per longum tempus, fratres Cœnobii, etfi pauci numero ob tenues & exiguos reditus fibi relictos (nam plerique dilabebantur, locumque defe-

 rebant

rebant, eo quod Epiſcopo violenter multa & ſuperbe agenti ſubeſſe nollent) facultatem eligendi Abbatis non habebant, ſed eos à Ratisponenſibus Epiſcopis ſibi præfectos accipiebant. Poſt CM. etiam annum cum Hungari ſæpius finibus ſuis egreſſi Germaniam impune fere popularentur, Bavariam quoque agreſſi inaudita crudelitate, cæde, ferro, flamma cuncta permiſcerent, etiam Manſeenſe hoc aſceterium fæde vaſtarunt, diripuerunt, tantumque non ſolo æquarunt.

Anno deinde CMLXXII. Ratisponenſis Eccleſiæ præſul creatus eſt WOLFGANGUS, qui cum aliquot annis magno concionandi, hortandi, viſendi, curandique labore, non ſine cœleſtium prodigiorum ſuffragatione, à pravis vitiorum corruptelis commiſſum ſibi gregem ad Chriſtianum diſciplinam revocaſſet, ejusque gloria adeo celebraretur, ut ab omnibus velut unus è cœlitibus in terram delapſus coleretur;

Is popularis applauſus adeo afflixit animum illius, ut ad alpes Noricas Falconem montem, ſaltumque ad lacum Abernum pertinentem, haud procul Salisburgo confugeret, ibique totum quinquennium in ultima vitæ inopia, ſed magna cœleſtium gaudiorum copia inundatus traduceret, prodigiis clarus, cum varia terriculamenta phaſmatum, phantasmatumque architectus technarum dæmon objectaret, ut montes inter ſe colliſi, medium inde WOLFGANGUM eliſuri viderentur; cum ex dura ſilice largos undarum fontes ictu pedi educeret, cum forte jactu ſecuris, qua impacta erat rupi, æditulam conſtitueret, quæ hodieque ſumma religione, magnaque peregrinorum frequentia celebratur. Hanc omnem vitæ rationem in ſolitudine præſertim transactam, mirandaque WOLFGANGI opera, loci habitum, ſacellum, lacum, alpes, ſtupenda ac vere inaudita miracula vernacula lingua deſcripta, annis ab hinc XX. publici juris eſſe juſſit A. R. D. JOANNES CHRISTOPHORUS hujus Monaſterii (ſub cujus ditione prædictus ſacer locus continetur) Abbas longe clariſſimus.

Subſequentibus annis S. HENRICUS Imperator reſtitui juſſit Monaſterio, quæcunque ei injuſte & violenter ablata fuerant. Sed & Epiſcopis Ratisponenſibus præcepit, ut Cœnobium Manſeenſe priſtinæ libertati reſtituerent, & vel ablata vel violenter uſurpata plene redderent. Idipſum his teſtatur Aventinus: *Manſee Noricorum ædem, ab Epiſcopis Ratisponenſibus, in paupertatem redactam, ſacris* D. BENEDICTI *impoſito Magiſtro reddit Imperator* HENRICUS *ſanctus*. Hinc rurſus canonice electi Abbates huic loco præſidere cæperunt.

A. C. M. C. I. RUPERTUS Abbas Ratisponæ ab Imp. HENRICO IV. & HARDOVICO Epiſcopo Ratisponenſi impetravit complures decimas, & parochiales aliquot eccleſias, Wiſelburgum, & Steinakirchen cum omnibus ad eas pertinentibus rebus ac juribus.

A. D. MCXXVII. B. CUNRADUS ex Sigenbergenſi monaſterio (in quo ſub CHUNONE Abbate floruit,) evocatus, ab eodem CHUNONE jam Epiſcopo Ratisponenſi Abbatiæ huic Lunacenſi præficitur. Præfuit utiliſſime annis XV. Conſequutus privilegium ab INNOCENTIO II. P. M. ne impoſterum Abbas præficeretur in Manſee, niſi quem monachi communi concilio, aut certe ſanioris partis conſilio & aſſenſu ſecundum DEUM, & B. BENEDICTI regulam providerint eligendum, idque privilegium datum eſt A. C. cIↄc. XLII. Trucidatus eſt à colonis ſuis ob defenſionem rerum & facultatum Eccleſiæ, A. D. MCXLV. ſepultus ſub inſigni marmore in media Eccleſia principaliore, è regione majoris ſuggeſti, ſub minore.

Ejus ſucceſſor quoque WALTHERUS vir bonus & religioſus, cum XII. annis præfuiſſet, obiit MCLVIII. ſepultus in ſacello S. PETRI, quod olim S. ANDREÆ ſacrum erat: claruit miraculis.

Qui hunc etiam in regimine ſequutus eſt HENRICUS impetravit à LUCIO Papa omnium veterum privilegiorum confirmationem, aliquot ſuperadditis novis A. C. MCLXXXII. Conſequutus eſt à CONRADO Epiſcopo Ratisponenſi Eccleſiam S. MARTINI in Weyhemnerlingen cum omnibus juribus, A. D. MCXCIV.

Ejus.

Ejusdem Abbatis temporibus resignavit CHUNO Ratisponensis Episcopus cœnobio in Mansce super altare S. MICHAELIS totam Forestam quæ dicitur Obersech, una cum territorio S. WOLFGANGI, quæ omnia Episcopi Ratisponenses diu injuste detinuerant, & usurparant. Hæc donatio facta est anno MCLXXXIV. IV. Non. April.

Magnam rerum suarum jacturam fecit hoc Cœnobium A. C. MCCIII. quando bellum fœdissimum inter EBERHARDUM Archiepiscopum Salisburgensem contra LUDOVICUM Bavariæ Ducem exarsit, in quo multæ arces dirutæ, tota Bavaria ferro, flammisque plurimum vastata, reliquiæ Sanctorum abreptæ, & alia facinora inaudita sunt perpetrata. Porro calamitatum hujus Monasterii misertus RUDIGERUS Pataviensis Episcopus, dedit eidem annuos proventus duarum Ecclesiarum Steinenkirchensis & Wiselsburgensis. A. C. cIↃccxxxv. Verum paucis post annis alia non minor calamitas hanc sequuta est, nimirum A. D. MCCXLII. quo HENRICUS Episcopus Ratisponensis cum Bavariæ Duce bellum gerens castrum Wildeneck Monasterio vicinum obsidione cinxit, & devastavit: & omne territorium Manseensis Cœnobii rapinis & incendiis, ferro & flammis fœde depopulatus est. Abbas tamen postea A. C. MCCXLVI. in ejusdem Episcopi tuitionem susceptus est.

Incendium in idem grassatum est A. C. MCCLXXIII. rursum LXXXII. ejusdem seculi præclare tamen ab Abbatibus restitutum fuit.

Anno MCCCX. Barones Austriæ & Stiriæ collecta sex pene millium equitum manu Lunælacensem Abbatiam & omnem circumjacentem districtum violenter intrantes ferro & incendiis deleverunt, & magna præda inde secum abducta ad sua redierunt.

Tertio etiam exustum fuit sequenti seculo, aliasque calamitates pertulit hoc Cœnobium, præclare tamen semper reparatum.

Post annum C. MCD. CONRADUS Abbas à BONIFACIO IX. P. M. impetravit usum mitræ & ceterorum Pontificalium ornamentorum pro se & suis successoribus. E quibus SIMON Reuchlinus imprimis vir bonus, maturus, & religiosus extitit: erat enim regularis observantiæ fervens zelator, in gubernandis temporalibus providus & circumspectus. Invenerat Monasterium in spiritualibus pene collapsum, quod ipse adjutus à Pontifice Romano ac Bavariæ Ducibus præclare & fortiter reformavit: omnia loca conventualia ampliavit & de novo condidit, præter Ecclesias quas vel de novo instauravit aut certe insigniter reparavit.

Successor quoque ejus BENEDICTUS Egglius erexit à fundamentis totam elegantissimam & sumptuosissimam Ecclesiam Manseensem: eam & Bibliotheca & clinodiis præclare auxit.

Hujus quoque successor WOLFGANGUS, præter cetera magnifice & præclare facta extitit Regularis disciplinæ & Benedictini instituti fortis zelotes, unde complurium Monasteriorum visitator & reformator esse meruit. Erat fratribus & in Choro, & in Refectorio semper fere conjunctus, ut eos suo etiam exemplo ad pietatem & vitæ sanctimoniam invitaret. Longum nimis foret, si cuncta hic egregie patrata commemorare vellem; unum addo, adhuc insigniter florere, utque perpetim floreat hoc perillustre Monasterium, summis me votis à DEO exoptare.

MONASTERIUM
BENEDICTBEURN DCCXL.

BEURN Monasterium prope alpes in superiori Bavaria situm, post tot seculorum ætates, & structuræ dignitate, & vectigalium magnitudine adhuc mirandum, hac occasione fundatum est circa A. C. DCCXL.

Temporibus CAROLI Martelli, quibus etiam UTILO rerum in Boica potiebatur, complura maximarum molitionum & impenſarum ſacra ædificia, viginti fere annorum curriculo, intra illius provinciæ fines excitata, & annuis immenſis reditibus inſtructa ſunt, tum ipſius Principis tum aliorum Dynaſtarum religioſa pietate, & effuſa liberalitate. Sed LANFRIDI, VALDRAMI, ELILANDI illuſtrium fratrum, in hoc genere monumenta, non tam laudem & admirationem habent, quam fere eſt ut fidem vincant, quippe quibus maximorum hodie Regnum comparata munificentia, tenuis ſæpe & modica videatur.

Sunt qui VALTERIO Bliantii Comite natos, VALTERIUM cum CAROLO Martello ex Gallia veniſſe tradant: alii Antorfæ & Loyſæ Comites aliquanto probabilius exiſtimant, nam peregrinitatis fidem, potentiæ æſtimatio detrahit. Octo per omnem Boicam fere prope Alpes & Lycum ſparſere monaſteria, BEUREN, SCHLECHDORF, VESSESPRUN, POLLING, ſuperſunt poſt annos paullo minus octingentos, ſive à primo ortu incolumia, ſive reſtituta: SIVERSTAT, SANDAU, & STAFELSE, COCHELENSE, ad cognomines utrumque lacus, perierunt. S. BONIFACIUS, Moguntinus Archiepiſcopus, qui tum temporis Germaniam univerſam verbo doctrinæ illuſtrabat, & non raro eandem ob cauſam Boicam inviſebat, templa dedicavit, Cœnobia legibus ad Benedictinam normam inſtituit. Prioribus monachi, poſtremis tribus virgines tranſcriptæ, Cochelenſi GAILSVINDIS, trium fratrum ſoror præfecta.

Cum vero ab anno CM. usque ad CMLV. quo in Campis Vindelicis internecione deleti ſunt, Hungari ſæpius finibus ſuis egreſſi, Germaniam invaſiſſent, dici non poteſt, quam multa inauditæ crudelitatis & libidinis exempla paſſim ediderint; Tum etiam Noricum, Alemanniamque percurſare, agere, rapere, ferre omnia, ſacra, profana; incendia cædibus miſcere; nullumque crudelitatis genus prætermittere. Hac occaſione Cœnobia ædesque ſacras, quas mox commemoravimus, cum virorum ſanctorum, tum ſacrarum Virginum alias fœde vaſtarunt, alias funditus everterunt.

In quam ſortem & BURENSE aſceterium venit; quod cum aliquandiu in ſitu & ſqualore jacuiſſet, per RICHOLPHUM Præſulem inſtauratum eſt, tempore OTHONIS Imp. & S. UDALRICI Epiſcopi Auguſtani.

Ab inſtauratione vero inhabitarant illud non parvo tempore Canonici Regulares, ſed iis eliminatis, opera ADALBERONIS, Comitis de Sempta, Advocati hujus Monaſterii, reſtituitur Benedictinis, per HENRICUM III. Imperatorem, qui eo HELENGERIONEM, Abbatem Tigurinum, cum XII. Monachis tranſtulit, teſte Aventino.

HENRICUS IV. Abbatiam Burenſem, dictam in pago Sondergeu, in Comitatu Sigmari Comitis ſitam, ELENHARDO Epiſcopo Friſingenſi, & illius Eccleſiæ, omni jure, & utilitate, quam Imperator ibi habuit, in proprium dedit ac tradidit, ita ut liberam poteſtatem habeat tenendi, conſtruendi, & quicquid ad communem illius Eccleſiæ utilitatem voluerit, faciendi. A. C. cIↃLXV. Extat diploma in libro traditionum Friſingenſis Eccleſiæ.

Anno cIↃ. CCXLVIII. domeſtico igni totum Monaſterium exuritur, ſub OTHONE, Duce Meraniæ, Advocato, & OTHONE Duce Bavariæ, inter quos antea graviſſimum bellum fuit, in quo Monaſterium plurima mala & devaſtationes paſſum eſt; Vide *Aventinum libro ſeptimo.*

In libro Fundationis Advocati & Abbates hujus Monaſterii ſequentes repe1riuntur.

SIGMARUS juvenis Comes, tertius Advocatus, cujus pater ADALBERTUS, filius ADALBERO, uxor SIGMARI GERTRUDIS ſub HENRICO IV.

SIGMARUS Advocatus dedit Monaſterio, pro ſe & anima fratris ſui ADALBERONIS interfecti, prædia in Phrumore *ex lib. trad. ibi.* De qua familia hi fuerint, an de Sempta, an vero de Huſin, hoc eſt Andecenſi, ut Aventinus in Epithomate ponit, non ſatis conſtat; Hundius putat fuiſſe Comites de Sempta.

BERNHARDUS Advocatus ſub RAYMUNDO Abbate.

POPPO,

POPPO, Comes de Andechs, Advocatus ſub WALTHERO, Abbate ſeptimo, A. C. cIↄ. C. XL. & XLIII.

OTHO Comes de Andechs, frater BERCHTOLDI, quem alias Marchionem vocant, ſub ADALBERTO Abbate, A. C. cIↄ. CLXXXV.

ADALBERTUS Advocatus, A. C. cIↄ. CXLIX. ſub CONRADO Rege.

OTHO Dux Meraniæ, ſub GEBHARDO Abbate.

HENRICUS Abbas, A. C. cIↄ. CCLII. quartus ante ipſum ejusdem nominis Abbas.

ORTHOLPHUS Abbas. Huic RUDOLPHUS Imperator regalia contulit, ac de adminiſtratione temporalium legitimè inveſtivit, vocans ipſum Principem dilectum, A. C. cIↄ. CC. LXXV.

HENRICUS Abbas, A. C. cIↄ. CCLXXXVI. huic quoque RUDOLPHUS contulit regalia feuda principatus, quem obtinet, & hoc ad inſtantiam filiæ ſuæ, Duciſſæ Bavariæ, OTHO Abbas, A. C. cIↄ. CCXII. Idem cIↄ. CCCVIII.

EGGEBERTUS Epiſcopus Bambergenſis, OTHO Dux Meraniæ, & Palatinus Comes Burgundiæ, & ALBERTUS Comes de Tyrol, A. C. cIↄ. CCXXVIII. interceſſerunt apud Abbatem Burenſem GEBHARDUM, poſt obitum D. OTHONIS Ducis Meraniæ, defenſoris olim in temporalibus quatenus Advocatiam illam filio OTHONIS conferret, quoniam ipſe pro libitu eligendi Advocatum poteſtatem, & libertatem haberet, ſub certis conditionibus & articulis jurejurando, & inſtrumentis confirmandis: Primo, ne illis detur Judex, niſi ad petitionem Abbatis & Conventus; ſecundo ne ſteuræ ab hominibus eorum extorqueantur; tertio, ne aliquis infra Parochiam judicium exequatur; quarto, ne res vel homines eorum ſub jure advocatiæ ulli in feudum concedantur; quinto ne ab hominibus ipſorum, vel ab ipſis telonium accipiatur, in Wolfratzhauſen, vel in Montanis.

BENEFACTORES hujus Monaſterii, & alii, quorum in libro fundationum ibi fit mentio.

UDALRICUS de Elſindorf, vir nobilis, ſe cum conjuge & unica prole, ac omnibus bonis ſuis & poſſeſſionibus, ſcilicet Elſindorf, Surgeloch, Mages, Rufian, DEO ac S. BENEDICTO obtulit, tempore HENRICI IV. Imp.

ARNOLDUS de Aſpach, vel de Lucilſteten, Nobilis domo, donavit Monaſterio prædium Aichaim, quod à parentibus in Svevia, juxta Hilaram fluvium per ſucceſſionem habuit, quodquod GUELPHO Dux, ejecta ſua matre, per vim occuparat, &c. facta eſt hæc traditio, A. C. cIↄ. CXLIII. ſub WALTHERO Abbate I. & BERCHTOLDO Advocato.

Quædam illuſtris matrona, GISELA nomine, de Asmunting, locum ſibi apud S. BENEDICTUM elegit, Marquardus maritus tertius, Agnes filia, Robertus & Goſwinus, filii, Diethericus, frater Domini Marquardi de Dorf.

HENRICUS, Comes Andecenſis, Marchio Iſtriæ, fundator Miſſæ ibidem, circa, A. C. cIↄ. CCXXVIII.

OTHO Dux Meraniæ, Comes Burgundiæ, eodem tempore.

BERCHTHOLDUS & *HENRICUS*, Comites de Eſchenloch, fundatores luminis perpetui, ad ſepulturam progenitorum ſuorum, circa A. C. cIↄ. CC. XXVIII.

BERCHTHOLDUS Comes de Eſchenloch, filius Berchtoldi, inſtituit anniverſarium ibidem pro remedio animæ ſuæ & progenitorum, A. C. cIↄ CCXCIII.

HENRICUS de Rotenburg, Magiſter Curiæ *OTHONIS* Ducis Carinthiæ, Comitis Tyrolis, UTO de Matrey Judex, *GRIFO* de Matrey, milites, *HENRICUS* de Ufenſtain, fideles ejusdem *OTHONIS*, A. C. cIↄ CCIIC.

BERNARDUS liber de Weilhaim, A. C. cIↄ CCXXVIII.

D. HENRICUS de Weilhaim filius circa A. D. cIↄ CCLIII.

D. GEBHARDUS de Weilhaim circa annum cIↄ CCXCV.

EGILOLPHUS & *GOTHARDUS* de Andechs, Nobiles, circa annum cIↄ CCXXVIII.

GOTSCALCUS & *LUDOVICUS* de Widerſperch.

EBERHARDUS & *LAZARUS* de Porta.

HENRICUS de Lechiſperg, uxor Diemuet, filii eorum Philippus, Rupertus & Hermannus, tempore *HENRICI* anno cIↃ. CCLII. contulerunt aliquid Monaſterio.

HENRICUS & *OTHO* de Sechſenhauſen, A. D. cIↃ CCXCI. *OTHO* dedit Huobam in Engelberting, anno cIↃ CCXCII.

D. DIETHERICUS de Pfluegdorf.

S. CONRADUS & D. ENGELSCALCUS de Wildenrot, anno cIↃ. CCCIII.

D. HENRICUS de Tainingen, anno cIↃ CCXCV.

VERTINGUS & *HENRICUS* de Schmichen.

BERCHTOLDUS de Ave, ſub *HENRICO* Abbate, anno cIↃ CCLV.

D. JOANNES Miles de Awe, anno cIↃ CCXIX.

D. CONRADUS der Reitter von Aw, A. C. cIↃ CCXCV.

BERCHTOLDUS de Fuozſtain.

In antiquo libro fundationis ſeu traditionis circa annum cIↃ CCL. *ſequentes hujus Monaſterii vaſalli reperiuntur.*

D. HENRICUS de Seeveldt.

D. ULRICUS de Rörmos, Vicedominus Ducis *LUDOVICI*, & filius ſuus *ULRICUS*.

D. WATTO de Geckrnpeunt.

D. BERCHTOLDUS de Egolvingen.

D. HERMANNUS Wittolshover.

D. ENGELSCALCUS de Haldenberg.

WIRNT de Adelungeshoven.

HENRICUS de Seckenhauſen.

D. DIETRICUS de Pfluegdorf.

D. HENRICUS de Pfetten.

D. CONRADUS de Duringenveld.

Item *H. TAININGER*.

Item *VERTINGUS* de Schmiechen.

Item *BERCHTOLDUS* de Fuezſtain.

Poſſidet ampliſſimum hoc Cœnobium corpus *S. ANASTASIÆ* Virginis & Martyris, quod circa A. C. cIↃ. LIII. eo translatum eſt, ubi non raro cœlitus beneficia piis cultoribus exhiberi certum eſt. Ejus martyrium ita deſcribitur. ANASTASIA Romana Prætextato viro clariſſimo, Gentili tamen patre, & Fauſta matre Chriſtiana nata eſt, quæ animi & corporis pulchritudine excellens in fide Chriſtiana educata, & à CHRYSOGONO viro pio ejus myſteria edocta, à patre invita Publio viro quidem nobiliſſimo, at Chriſtianæ religionis hoſti acerrimo, matrimonio copulata eſt. Ea viro in adminiſtratione rerum publicarum occupato, vili amictu induta, unica ancilla ſe comitante carceres obibat, pecunia cuſtodibus data martyrum corpora curabat, lavabat pedes, & caput, pilos tondebat, vulnera ſanabat, cæteraque charitatis explebat officia. Confeſſores etiam paſcebat, & fovebat. Quibus cognitis Publius illam in domeſtico carcere diu afflixit, quam tamen CHRYSOGONUS per litteras eſt conſolatus; ac profecturus in Perſidem vinculis conſtrictam reliquit, in eam poſt reditum animadverſurus. Sed eo in itinere defuncto, ANASTASIA libertati priſtinæ reſtituta, priſtina officia pietatis reſumpſit, bonis in uſus confeſſorum, & martyrum obſequia erogatis. Cum autem Diocletianus Aquileiæ S. CHRYSOGONUM morte affeciſſet, & poſt illum AGAPEN, CHIONIAM, & IRENEN ſorores in CHRISTI confeſſione conſtantiſſimas martyrio coronaſſet, illarum corpora *ANASTASIA*, quæ eo Roma profecta fuerat, ut martyribus inſerviret, pretioſis unguentis delibata ſepeliit. Quod cum aliis martyribus feciſſet, agones illorum deplorans, deprehenſa ad Florum Illirici Præſidem producitur, qui illam ob ſummam nobilitatem non auſus attingere, Romam ad Imp. miſit. A quo interrogata: *Ubi aurum, ubi opes à patre tuo viro clariſſimo, & Deorum amico relictæ?* Reſpondit: *Si aurum haberem, quo DEI ſervis ſubvenirem, non me tibi tradidiſſem. Nunc, omnibus erogatis, quod reliquum eſt, corpus CHRI-*

STO meum offerre ſtatui. Quibus dictis, Præfecto examinanda traditur; qui ea fruſtra blanditiis & minis deterrita, Ulpianum Capitolii Pontificem actu pollentem accerſit, ut *ANASTASIAM* aliqua fraude ad impietatem alliceret. Sed cum hic nihil profeciſſet, quod illa ad omnia mala perferenda paratiſſima erat, dolens quod ſuum martyrium differretur, tridui inducias ad deliberandum martyri conceſſit; quæ ad Ulpianum: *Cogita jam hos tres dies elapſos eſſe: nam eadem animi, quæ nunc, tunc erit ſententia.* Triduo transacto, in quo mulieribus gentilibus depravanda tradita omnis cibi & potus expers fuerat, Deum precata, ne optata martyrii palma fruſtraretur. Ulpianus ad eam accedens quaſi aliquid inhoneſtum attentaturus, repente oculis captus eſt, nec multo poſt acrius doloribus cruciatus interiit. *ANASTASIA* autem liberata ea moleſtia, paulo poſt à Floro Illyrici Præfecto, quod *THEODORAM* matronam ad martyrium animaſſet, carcere diu incluſa, in Palmariam Inſulam cum CC. viris, & LXX. fæminis deportata, ibi pedibus, manibusque extenſis ad palos ligata, & circa eam igne accenſo martyrium conſummavit, corpore ejus ab igne nil læſo, ſociisque vario genere mortis interfectis. Paſſa eſt anno Chriſti CCC. VIII. Kal. Januarii. *Ex ejus Paſſ. à Sur. tom. 6. Petr. lib. 2 c. 2. Mombrit. tom. 1. & ab al. rel. Catal. SS. Italiæ.*

Corpus ejus Trojæ in Apulia, ubi ea maximè colitur, quieſcere fertur. Sed in Germaniam ad hoc BURENSE Cœnobium translatum eſſe, vetuſtiſſimis monumentis credimus: ubi non ſolum ejus caput, verum etiam oſſa corporis ſacri, ingentis proceritatis Heroidem referentia, oſtenduntur.

Circa A. C. cIↄ. DL. floruit in eodem Cœnobio R. P. F. FLORIANUS Treflerus, vir eloquentiæ ſingularis, ut orationes ab eo editæ demonſtrant: Impreſſæ ſunt Auguſtæ Vind. apud Philippum Ulhardum, anno prædicto, & ſæpius.

MONASTERIUM
NIDERNALTAICH, DCCXLI.

ALTACHIUM ſeu ALDECHIUM inferius, germanice Nidern-Altaych ad differentiam ſuperioris Altachii, & à veteri quodam ex quercubus conſtante luco ſic dictum. *Fama manet*, inquit M. Velſerus, *lib. 5. rer. Boic. nec à nominis ratione, nec à vero abhorrens, ſtetiſſe iis locis ad Danubii ripam prægrandes & annoſas quercus, Deorum ſuperſtitioni dicatas, quas victimarum ſanguis ſæpe reſperſerit, Bojos, poſtquam gentilem errorem excuſſere, excidiſſe, eccleſiis Chriſtiano ritu ſubſtitutis. Nam Maximus Tyrius, ex Platonis ſchola Philoſophus altiſſimam olim quercum pro Jove Celtico cultam ſcriptum reliquit.*

Situm eſt hoc ampliſſimum magnificentiſſimumque Cœnobium in Bavaria inferiori ac Patavienſi Diœceſi, in ſiniſtra deſcendentis Danubii, ad unum miliare Germanicum, infra Deckendorfum civitatem Bavaricam, prope Hengersbergenſem Marcam (quæ hodie adhuc eidem Cœnobio ſubeſt tota) fœcundo ſolo, & peramœno loco ſitum: Fundatum legitur conſilio S. PIRMINII Epiſcopi, ab UTILONE Duce Bavariæ in honorem S. MAURITII, Anno DCCXLI. ſub ZACHARIA Pont. Max. & ſubinde licet ab eodem Duce UTILONE multis prædiis & poſſeſſionibus ditatum, bellis tamen & incendiis vaſtatum & attenuatum fuit. Inſtauratum vero eſt per Imperatores & Reges Romanos, qui illud maximis muneribus & privilegiis auxerunt. Auctum etiam & ditatum eſt ab HILTRUDE Regina, ejusdem UTILONIS Conjuge, ac PIPINI Francorum Regis ſorore. THASSILO quoque filius UTILONIS, plurima prædia huic Monaſterio dedit, quorum magnam partem per diſcordiam Principum amiſit.

CAROLUS Magnus tradidit huic Monaſterio privilegia immunitatis, illudque multis prædiis dotavit, A. D. DCCXII. LUDOVICUS item junior munificentiſſimus huic loco fuit, nam non ſolum privilegia, & immunitates eidem tradidit, ſed etiam

in fuam tutelam recepit, & ab omni exactione & onere exemit, addens duas Ecclefias Ingolftadii (nunc celebris Academia civitas, tunc tantum villa erat) & curtem Dominorum illic exiftentem, vulgariter den Herrenhoff, cum centum & triginta agri jugeribus, pratis item quæ faciunt CD. fœni vehicula, cum fervis & ancillis in eadem curte degentibus, cum omnibus item bonis ad eadem pertinentibus hoc eft, campis, filvis, pratis, pafcuis, equis, aquarumque decurfibus, molendinis, mobilibus & immobilibus. Actum in Regio Palatio Heiligbrunnenfi XVIII. Augufti DCCCXL.

Poftea circa A. D. DCCCXLIII. GOTSBALDUS Abbas impetravit à GREGORIO IV. PONT. MAX. corpora SS. Martyrum FELICISSIMI & AGAPITI in Iferhoven collocata, unde extant in vitro Chori ad S. STEPHANUM tales verficuli.

Sunt à GREGORIO *Romano Præfule Quarto*
GOTSBALDO *de* ALTHA *Sanctorum tradita membra.*

ARNOLDUS, Dux Bavariæ, dictus malus, ambiens Imperium & rebellans CONRADO & HENRICO Aucupi Rom. Regibus, pleraque hujus Monafterii bona tam in Auftria, quam in Bavaria diripuit, ac militibus fuis diftribuit; hinc norma monaftica ibidem defecit, tamen fub regula Canonicorum usque ad tempora OTTONIS III. quafi per centum annos permanfit, qui confilio S. WOLFGANGI Ratisponenf. & PILIGRINI Patavienfis, Epifcoporum, eundem locum Regulæ priori S. BENEDICTI reftituit, & collapfas res Monafterii præclare & feliciter denuo inftauravit, ejusque auxiliis ERCHAMBERTUS Abbas præfectus eft, Anno CMXC. Sub ejus regimine Monafticen profeffus eft S. GOTHARDUS, qui ad ALTACHIUM inferius, honeftis parentibus, patre RATMUNDO dicto natus ibidem primum facrorum ordinum gradum hypodiaconi indeptus, vel à FRIDERICO, Archiepifcopo Salisburgenfi, ut habet Hundius, vel à CHRISTIANO Patavienfi Epifcopo, qui dictum Cœnobium ceu beneficiarius gubernabat, ut eft in vita apud Surium, poftea etiam Diaconus ordinatur, & Præpofitus Canonicorum inftituitur, à PILEGRINO Patavienfi Epifcopo, ut iterum tradit Hundius. Verum hæc nimis confunduntur, PILEGRINUS enim CHRISTIANUM, in Epifcopatu præceffit, ut conftat ex Catalogo Epifcoporum illius Ecclefiæ. Poft à S. WOLFGANGO Sacerdotio initiatur, tandem Cœnobio Abbas præficitur, cui pie & laudabiliter præfuit annis XXVI. Confecutus eft aream in Ratispona ab HENRICO Imp. Anno MII. Condidit primus infigne Sacellum fuper Hengerfpergenfen Marcam in peramæno colle fitum, quod S. TRINITATI ac beatiffimæ VIRGINI MATRI, confecratum ac dicatum eft à WERNHERO feu Berengero, Patavienfi Epifcopo ipfa die Purificationis B. MARIÆ.

Addidit vero eidem Ecclefiæ aliud etiam facellum B. BENEDICTO dedicatum. Habuit in commendis etiam HERSFELDIAM præpotens HASSIÆ Monafterium, ubi cum collapfam difciplinam reformaffet, illius præfecturam reliquit ARNOLDO, ejusdem loci antea Præpofito Anno MXI. ipfe vero ad ALTACHIUM fe recepit, illudque fummopere excolere atque ornare conatus eft, puta codicibus, facris veftibus, ad divini facrificii minifterium pertinentibus, aliisque variis & utilibus Ecclefiæ ornamentis: imprimis autem, quod quidem compertiffimum eft, per multos illic fratres fcientia & morum integritate infignes atque fpectatos enutrivit, quos poftea, Rege & Epifcopis id petentibus, in diverfa monafteria patres & doctores ablegavit. Cum vero effet vir literis & vitæ fanctimonia clarus, ad HILDESHEMENSIS Epifcopatus clavum ac gubernaculum avocatur Anno MXXII. ubi munus Epifcopale, quod invitus fufcepit, magna cum laude XVI. annis religiofe geffit: Ecclefias, Monafteria, & Xenodochia plurima erexit.

Inter opera fupra naturam mirifica ab eo patrata, etiam hoc narratur. Perduelles ex fubjectis quosdam anathemate ictos cum facrificii tempore templo de more excedere juffiffet; illique contumaces reftitarent, ex dudum fepultis, quos anathematis vincula ftrinxerant, de tumbis furgunt, templumque egrediuntur; quos pudore fuffufi, vivi illi rebelles etiam fequuntur. GOTHARDUS adhortatione acri ad

fub-

ſubjectos, quibus mortuos obſequentiores haberet vivis adhibita, defunctos cenſura ſoluit, qui capita pontifici inclinantes ad ſuum quisque tumulum redeunt. Deceſſit Anno Chriſti MXXXVIII. Multa ubique mentio ſanctiſſimi viri, quem INNOCENTIUS II. P. M. in Viennenſi Concilio Divorum Albo adſcripſit MCXXXI.

Eodem S. GOTHARDO Abbate Anno Chriſti MVIII. fundata & inchoata eſt præpoſitura quædam RINCHNA dicta, tribus ab ALTACHIO milliaribus verſus montana & nemora Bohemica ſita, à S. GUNTHERO Monacho ALTACHENSI & primo RINCHINENSI Eremita, qui illic ad ſui nominis ſaluberrimum fontem, precibus & jejuniis Deum ſtrenuiſſime coluit.

Fuit hic cognatus S. STEPHANI Pannonum Regis, apud Turogos regia ſtirpe oriundus. Cum vero ex ephebis & adoleſcentia etiam exceſſiſſet, vitæque eum ſolutioris admodum pæniteret, vocatis in conſilium cogitationibus, cœpit faſtidire omnia præſentia, cœlumque toto pectore ardere. Abit itaque ad Cœnobium, genus vitæ orditur laborioſum, nec ſatis expedit rationes fortunarum, quibus abundabat, donec ſæpedictus Abbas S. GOTHARDUS, illum ſeveriore periculi denunciatione territum firmavit. (1006.) Exin ingentes facere progreſſus in curriculo virtutis, opes omnes negligere, ſeipſum abjicere, parere non majoribus, ſed paribus & humilioribus etiam, ſevere in ſe animadvertere, nec legibus aliorum rigidis contentum, addere inſuper alias corpore afflictationes, & paulatim in ſanctitatis opinionem venire.

Jam ad STEPHANI Regis aures fama cognati delata, etiam animum incenderat cupidine GUNTHERI coram ſpectandi, allegantur ad ipſum, qui humaniter invitent ad Pannonias & regem viſendum; recuſat ille, præfatus, ſe in alterius regis & CHRISTI auctoritate eſſe, omnibus propinquitatibus defunctum. Sed iterum ac tertium vocatus, cum fauſta religioſorum imprecatione ſe cum legatis dedit in viam, ſalutatus à rege ingenti gaudio perfuſo, regioque epulo exceptus, à carnibus tamen omnino abſtinuit. Sed iterum ac ſæpius à rege fatigatus, uti ſaltem ex pavone appoſito aliquid guſtaret, ne durus in regem & hoſpitem, & cognatum videretur, nihil ille quidem de alite attigit, ſed capite in manus fuſo, Deum precibus & lachrymis adiit, ut ſine offenſa Regis, ſalvis ſuis legibus à menſa ſurgeret: impetravit, ut rediviva avis è patina ingenti prodigio avolaret: unde Rex, omnisque aula attoniti, de cætero GUNTHERUM urgere ad guſtandas carnes deſierunt.

Tertio autem à converſione ſua anno, ipſe cum aliquot familiaribus inde in ſaltum Narwaldenſem Bohemiæ bona ſui Abbatis venia ſeceſſit, (1008.) ibique ſeptem & triginta annos religioſiſſime vixit, in ſanctæ religionis ſtudio & in ſumma voluntariæ paupertatis ſeveritate cum ſociis ſuis perſeverans.

Victus eorum ſane varius erat, vario ſtudio à rege Hungariæ, atque è Bohemia & Polonia aliisque diverſis provinciis una cum veſtitu conquiſitus. Potus quidem, quod omnibus notum eſt, non niſi aqua ſola fuit, quæ etſi hoſpitibus apponebatur abunde, at fratribus tamen non niſi ad certam menſuram. Literas ille prorſus ignoravit, pſalmis exceptis, & tamen mira erat præditus evangelii, legis & prophetarum intelligentia, nec hiſtoriarum rudis fuit: quam ille intelligentiam conſequutus fuit tum ex crebra fratrum relatione, tum ex avida verbi DEI auſcultatione: adeoque ſæpiſſime ille myſticos & arcanos ſenſus interdum jocando, interdum verò adhortando non ſine audientium ſtupore proferebat. Erat profecto vir ille, ut de S. BENEDICTO ſcribit B. GREGORIUS, quem poſt Dominum JESUM vita & moribus præcipue imitabatur, *& ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus.*

Vixit autem poſtea etiam 5. annos in ulteriori eremo Breznich, quoad à BREDISLAO Sarmatarum & Boëmorum principe venationibus intento deprehenſus, in alterum illi diem ſuum è vita diſceſſum poſt diuturnam & religioſam ſermocinationem aperuit; qui prima luce cum SEVERO Antiſtite ad oſtium GUNTHERI adeſt, cæleſtem agnum in viaticum porrigi jubet; ubi ille inter piorum lachrymas & vota exſpiravit, anno Chriſti cIↃ. XLV. VII. Idus Octobris. Corpus per jumenta

jugi insueta ad BRUNOVIENSE Cœnobium deductum, prodigiis vitæ prioris sanctimoniam ostendit, ipse cœlestibus post religionibus consecratus.

Porro Cœnobium RINICHNACHENSE, cujus idem auctor fuit, ALTACHENSI inferiori per HENRICUM Imperatorem ipsius rogatu GUNTHERI subjectum, adjecit KUNIGUNDIS & GISELA illa HENRICI sponsa, hæc CONRADI conjux prædia & silvas, aliique principes auxere.

Ejusdem Ecclesia consecrata est à BERENGERO Episcopo, in honorem S. JOANNIS BAPTISTÆ, DEIPARÆ VIRGINIS, & S. CRUCIS, Anno MXIX.

ALTACHENSE vero Cœnobium totum fere igne periit, Anno Domini MXXXIII. IV. Non. Martii. Reædificatum à fundo ab Abbate hujus loci RATMUNDO, S. GOTHARDI ex sorore nepote (qui plurima emit prædia, multumque terræ incultæ excoli fecit) auxilio ejusdem sancti, tunc Hildeshemensis Episcopi, & RICHERII Abbatis Casinensis, Anno MXXXVII. Consecratum iterum divino honori XI. Kal. Octobr.

In hoc ipso Cœnobio se contubernio S. BENEDICTI addixit S. THIEMO, qui & THEODAMARUS & DIETHMARUS à quibusdam vocatur, inde evocatus SALISBURGI S. PETRI Cœnobio præfectus, post etiam ejusdem urbis Archipræsul, ac tandem clarissimus Christi Martyr evasit Anno Christi, cIↃ. CI. IV. Kal. Octobr.

Deinde anno circiter cIↃ CCXXXIII. DIETMARO III. hujus nominis Abbate (qui per Hermannum Monachum impetravit à Gregorio Papa mitram, uti tradit Hundius ex Aventino) nova dissensione coorta inter Bertholdum & Albertum Comites Pogenses unius, & Raphatonem ac Henricum Comites de Ortenberg, alterius partis; Monasterium rapinis, incendiis ac suorum hominum captivitatibus, jumentorum abactionibus misere quassatum & vexatum est Hengersbergensis Marca, & Althachensis Villa incendio vastatæ sunt, templa parochialia undiquaque miro sacrilegio effracta, calices & alia ornamenta templorum piis usibus dicata, prophanata & ablata, pecora & armenta abacta sunt: ita ut Abbas & Conventus fecerint in hac calamitate jacturam viginti millium Rhenensium aureorum.

Posthæc anno Domini cIↃ CCLXII. HERMANNUS Abbas HENRICI Ducis inferioris Bavariæ liberorum lustricus Pater, Historiographus, & Chronographus sui Cœnobii, B. VIRGINIS Sacellum Hengersbergense in superioribus tumultibus direptum & vastatum, plæclare renovavit, & denuo consecrari fecit per ANSELMUM Legatum summi Pontificis, consensu OTHONIS Pataviensis Episcopi.

Huic etiam Cœnobio incorporata est Præpositura Cœnobioli Benedictini in AUGIA B. VIRGINIS ad Fledinczium amnem, Richingensi vicina, quæ fundata est Anno Domini cIↃ CCCXLII. ab HERDWICO Milite de Degenberg (cujus germanus frater erat RUGERUS Abbas Altachensis) ope LUDOVICI Bavari Imperatoris, qui & Altachensis Monasterii benefactor munificus fuit, sicut & alii prædecessores ejusdem Imperatores & Bavariæ Duces: præsertim S. HENRICUS, CONRADUS SALICUS, HENRICUS III. FRIDERICUS I. CONRADUS III. CAROLUS IV. quorum donationes, & immunitatis privilegia diligenter annotavit Hundius in Metropoli Salisburgensi.

MONASTERIUM
TEGERNSEE DCCXLVI.

AMPLISSIMUM hoc atque perquam magnificum Monasterium ad lacum Tegerensem, in superiori Vindelicia intra Isaram & Oenum in faucibus Alpium circa Annum Domini DCCXLVI. conditum, quod cetera quam late Boica patet, splendore & dignitate multis modis superat, fossa & propugnaculis in regiæ speciem

ſpeciem cinctum, nam & Abbas miniſtris ex equeſtri nobilitate, Principum more utitur, & vero Principis aliquando nomen ab Imperatoribus tulit, ut patet ex privilegio LUDOVICI IV. anno Domini cIↄ CCCXXI. dato.

Condidere ADALBERTUS & OTCHARIUS Tegerenſes Comites, ſive GRIMOALDO Duce, ſive patre HARTWICO Burgundo, matre Boja nati, duplex enim hic quoque fama eſt.

Vetuſtorum diplomatum (*Ottonis* 2. *& Henrici* 6.) fide hactenus liquet, illuſtri genere ortos, quod Reges propinquitate attingeret, cetera fere obſcura ſunt, Romam religionis cauſſa profecti, cum omnia hoſtium incurſionibus vaſta, urbem luctu & pavore oppletam reperiſſent, commoti homines militares, qui primam pietatem interpretarentur, ſacrorum ſedem inultam indefenſamque non relinquere, ſeſe Romanis duces eosdem vindictæ, & ſocios periculi præbuere. Nec mora, hoſtes aggreſſi ſecundis aliquot præliis, egregia virtute, ingentem gloriam pepererunt. Magna factum ſequuta gratia, Pontifex egregii muneris loco, S. QUIRINI corpus petentibus conceſſit, quod in TEGERENSI Eccleſia ſancte adhuc colitur.

Reverſos, ardens adeo religionis ſtudium ſubiit, ut poſthabitis quæ apud mortales ceteroqui prima ſunt, monachorum inſtituta, in monaſterio quod ipſi condiderant profiterentur. Major fratrum ADALBERTUS, Abbas dictus, centum quinquaginta monachis præfuit.

Quæ poſt per CC. ferme annos geſta fuerint, obſcura permanſerunt, neque in Annalibus quidquam reperitur; niſi quod anno Domini CMLV: Hungaris Noricum & Alemanniam ſæve devaſtantibus, hoc Monaſterium quoque crudeliter devaſtatum & igne exuſtum fuit, cum prius etiam per ARNOLPHUM Ducem deſpoliatum, & bona illius militibus beneficii loco conceſſa fuiſſent.

Inſtauratur itaque per OTHONEM II. Imperatorem, & OTHONEM filium LUITOLPHI, fratris OTTONIS II. Ducem tum Bojoariæ & Sveviæ, qui Monachis Cœnobium cum prædiis reſtituunt, HARTWICUM Abbatem S. MAXIMINI Treveris huic loco præficiunt, profanis, qui locum ſacrum occupaverant, procul ire juſſis. HARTWICUS ipſe benedictionem accepit ab Abrahamo Epiſcopo Friſingenſi, Anno Domini CMLXXIX.

Huic etiam loco ab anno ſalutis cIↄ. I. S. GOTHARDUS Altachenſis & Hersfeldenſis Abbas, & poſtea etiam Hildeſemenſis Epiſcopus, aliquamdiu præfuit à S. HENRICO eam ob cauſſam præfectus, ut reformaret locum inſolentia Monachorum pene collapſum.

Poſtea anno gratiæ cIↄXXXV. Monaſterium igne periit, & ſequenti anno à furibus ſpoliatum eſt.

Anno dehinc cIↄLIII. SEIFRIDO Abbate præſidente, corpora SS. Martyrum CHRYSOGONI & CASTORII à quodam fratre à Verona, ex Monaſterio S. MARIÆ ad organa, ad hoc Monaſterium translata ſunt.

Anno cIↄ. CL. EUGENIUS III. hujus Monaſterii privilegia confirmavit, illudque ſub protectionem ſedis Apoſtolicæ recepit Idem fecit ALEXANDER III. Anno cIↄC. LXXVIII. Item URBANUS III. Anno cIↄCLXXXVI. qui & confirmavit uſum Mitræ & annuli ab ALEXANDRO antea conceſſum.

Exinde PERCHTOLDO hujus nominis I. Abbate, hoc TEGERENSE Cœnobium cum aliis vicinis, per LUDOVICUM Ducem Bavariæ, & OTTHONEM Comitem de Phallai, in bello, quod contra HENRICUM Marchionem Iſtriæ, tunc Advocatum Monaſterii, geſſerunt, miſere deſolatum & vaſtatum eſt. Deinde Anno cIↄ. CCXI. ob diſſidium MANEGOLDI Epiſcopi Pataviensis, (erat hic BERCHTOLDI Comitis Bergenſis & GISALÆ Comitiſſæ Andecenſis filius, ex Chremiphanenſi, etiam Tegerenſis Abbas, & poſt Anno cIↄ. CC. VI. Epiſcopus electus) & cujusdam RAPETONIS, Comitis Palatini Bavariæ, de familia Comitum Ortenbergenſium huic Monaſterio, cum quibusdam aliis, grave damnum illatum, poſtea Anno cIↄ. CC. XIV. tertia vice igne exuſtum eſt.

Anno cIↃ CDXXIV. anterior pars Chori inter cænandum corruit, Altare S. CHRYSOGONI una cum arca, in qua facrum ipfius corpus affervabatur comminuit falvis tamen reliquiis.

Tempore CASPARI Abbatis (qui ob egregia merita alter fundator dictus, Monafterii inftaurator, reformator, locupletator, totum Monafterium fere ex novo conftruxit & obiit anno cIↃ CDLXI.) inventa eft vena Petrolei, quod S. QUIRINI vocatur.

Perilluftre hoc Cœnobium inter præcipuos fautores & benefactores numerat OTTHONEM II. S. HENRICUM, CONRADUM II. HENRICUM III. & VI. FRIDERICUM I. & II. ac LUDOVICUM IV. & V. Rom. Imp. & alios plures principes, qui illud donariis & privilegiis mirifice exornarunt, quæ ab Hundio in Metropoli annotantur.

Habuit idem Cœnobium, quod etiam fupra infinuavimus, quemadmodum cæteri tam Ecclefiaftici, quam feculares Principes Imperii, miniftros ex equeftri nobilitate, Marefcalcum, Camerarium, Magiftrum Coquinæ & Pincernæ.

MARESCALCI officium una cum pertinentibus prædiis & redditibus, olim WICKNANDO de Iringfpurg, OTTONI filio & fucceſſoribus mafculis, Anno cIↃ CCLXXXVI. fuit conceſſum, quibus defunctis, fucceffere in officio Nobiles de Thor, ficut in caftro Irinfpurg.

CAMERARII fuere olim Nobiles de Warngew, poft Nobiles de Pienzenaw.

ARCHIMAGIRI officium, quod alias Truchsässen Ampt dicitur gerebant aliquando Nobiles de Hochenrain, poftea Nobiles dicti Turndl, tandem Nobiles de Höchenkirchen.

PINCERNÆ feu Pocillatoris officium olim habebant Nobiles, dicti de Eling: Poftea Sunderndorffer.

Inter præcipuos hujus Monafterii Patronos numerantur SSs. Tutelares, QUIRINUS, CHRYSOGONUS, CASTORIUS, Martyres Romani omnes, quorum facra Lipfana, ut fupra notatum eft, huc translata funt, & eorum hiftoria brevibus fic comprehenditur.

CLAUDIO GOTHICO annum fecundum in Imperio agente, à falute noftra Anno CCLXX. *quidem è Perfide Chriftiani Romam venerunt ad orationem Apoftolorum,* MARIUS & MARTHA *ejus conjux, cum filiis Audiface & Abachum. Hi cum perveniffent Romam, ftuduerunt folicite inquirere corpora fanctorum quæ erant in cæmeteriis, & Chriftianos invifere qui detinebantur in carcere. Et cum veniffent in carcerem trans Tiberim pofitum, confpiciunt hominem fidelem,* QUIRINUM *nomine, qui pro* CHRISTI *nomine multa verbera perpeſſus fuerat, & fuis facultatibus fpoliatus. Ad quem venientes, miferunt fe ad pedes ejus obfecrantes ut pro ejus oraret. Ibique manferunt diebus octo miniftrantes beato* QUIRINO, *& aliis qui ibidem erant, lavantes pedes eorum qui vinculis tenebantur conftricti; & ipfam aquam fuper capita fua ac filiorum fuorum fpargebant.*

Eo tempore juffit Claudius, ut Chriftiani, qui inventi fuiffent in vulgo, aut in carceribus, fine interrogatione punirentur. Ipfo autem edicto promulgato, tenuit ducentos fexaginta duos Chriftianos, qui damnati ante fuerant ad fodiendam arenam via Salaria pro nomine CHRISTI: *quos ductos Romam, & in amphitheatrum inclufos, milites fagittantes interfecerunt.*

MARIUS & MARTHA *hæc fcientes, contriftati funt vehementer, & una cum filiis & beato* JOANNE *presbytero venerunt ad corpora fanctorum martyrum, quæ ex igne fublata fubtraxerunt, & in linteaminibus involuta fepelierunt in crypta, via Salaria, in Clivo Cucumeris: fimul etiam fepelierunt Tribunum Claudii nomine* BLASIUM: *quo in loco permanentes, vigilias & jejunia & orationes multis diebus cum Joanne celebrarunt.*

Audiens hæc CLAUDIUS, *curiofe juffit perquiri* MARIUM *& uxorem ejus: & non invenerunt, quod occulte iftic agerent. Venientes vero Romam ad carcerem, requirebant beatum* QUIRINUM: *quem non invenientes contriftati funt: fed invenerunt presbyterum nomine PASTOREM, qui enarravit eis, quomodo noctu beatus QUIRI-*

NUS

NUS gladio fuerat interfectus, & jactatus in Tiberim. Corpus ejus remanſerat in inſula quadam. Quo audito perrexerunt noctu cum familia ſua & PASTORE presbytero, & collegerunt corpus ejus, & ſepelierunt in cœmeterio PONTIANI in crypta, VIII. *K. Aprilis.*

Sacræ corporis reliquiæ, poſt annos à perpeſſo ſupplicio propemodum quingentos, Bojorum Principum pietate ad TEGERENSES deportatæ, condito monaſterio, ut ante diximus, inſigni venerationis cultu hactenus habentur.

Ante annos totidem & eo amplius, METELLUS monachus, vitæ necisque hiſtòriam, & multa quæ deinde rerum miracula conſequuta ſunt, operoſiſſimo carmine, in quo ſibi, ſæculi vitio, moleſtas difficilesque parodiarum, & ſimiliter cadentium verſuum leges præſcripſit, complexus eſt.

S. CHRYSOGONUS verò, DIOCLETIANO Imp. Romæ incluſus in carcere, ibi biennium S. ANASTASIÆ facultatibus vixit: quam etiam afflictam propter CHRISTUM à viro ſuo Publio, proptereaque à ſuis orationibus per literas auxilium poſtulantem, mutuis epiſtolis eſt conſolatus. Interea DIOCLETIANUS Romam ſcripſit, ut reliquis Chriſtianis, qui in vinculis eſſent interfectis, CHRYSOGONUS Aquileiam ad ſe duceretur.

Tum Imperator: Accerſivi, inquit, te Chryſògone, ut honoribus augeam, ſi modo induxeris animum Deos colere. At ille: Egò eum: qui vere eſt Deus, mente & oratione veneror: deos autem, qui nihil ſunt niſi dæmonum ſimulacra, odi & execror. Quo reſponſo excandeſcens Imperator, ad Aquas Gratatas eum ſecuri percuti jubet, VIII. K. Decembris, cujus corpus projectum in mare, paulo poſt in littore inventum ZOILUS Presbyter in ſuis ædibus ſepelivit. Paſſus eſt circa annum CHRISTI CCC.

Eſt Romæ vetus titulus S. CHRYSOGONI, cujus mentio habetur in Concilio ſub SYMMACHO celebrato; eumque GREGORIUS II. ornavit, donisque auxit.

S. CASTORII autem nomine duo celebres habentur; prior cum CLAUDIO Commentarienſi, NICOSTRATO primiſcrinio, VICTORINO & SYMPHORIANO à S. SEBASTIANO ad fidem CHRISTI converſus, & à B. POLYCARPO Presbytero baptizatus eſt.

Eundem cum ſociis in perquirendis ſactorum martyrum corporibus occupatum Fabianus Judex comprehendi juſſit, & per decem dies minis & blanditiis exagitans, cum in nullo penitus poſſet commovere, juſſit tertio torqueri, ac poſtea in mare præcipitem dari. Is Non. Julii ſacris faſtis adſcriptus habetur.

Diverſus omnino ab hoc eſt alter S. CASTORIUS qui cum ſociis iisdem cum ſuperioribus nominibus appellatis, ſub DIOCLETIANO Imp. paſſus eſt; quod cum eſſent, ſummi ſculptores, nullo modo adduci potuerant, ut idolorum ſtatuas facerent: & ad Solis ſimulachrum ducti ut illud venerarentur, numquam commiſſuros ſe dixerunt ut adorarent opera manuum hominum.

Quam ob rem in carcerem conjecti, cum ibi multos dies in eodem propoſito perſtitiſſent, primum ſcorpionibus cæſi, deinde vivi plumbeis loculis incluſi, in flumen dejiciuntur. Exſtat in urbe Eccleſia ſub nomine Sanctorum quatuor Coronatorum, ubi horum quinque martyrum corpora honorifice ſepulta ſunt, & eorum feſtivitas VI. Id. Nov. celebratur. Paſſi ſunt circa annum Chriſti CCC.

Hujus poſterioris venerabilis TEGERENSIUM Congregatio corpus poſſidet, ejusque ſolennem memoriam prædicto die celebrat.

MONASTERIUM THIERHAUPTEN DCCXLXX.

THIERHAUPTEN ſuperioris Bavariæ celebre Cœnobium, ad Achium piſculentiſſimum rivum, non procul à Lico, tribus ab Auguſta Vindelicorum, & totidem à Danubiana Peninſula, ubi nunc Werdæa Suevica, percelebris Imperii civitas; duobus vero à Rhaino Bavarorum oppido milliaribus, in colle (ex quo & Auguſta & Donawerda videri poſſunt) ad ejusdem nominis amplum pagum, fœcundo & maxime fertili loco ſitum: dictum ab animalis ſeu feræ capite; ſed non ob eam rationem, quam Bruſchius prodidit, quod nempe in venatione ibi THASSILONIS Ducis filium trucidarii, id enim alibi accidit. Nam major filiorum THASSILONIS GUNTHERUS, Laureaco ſub brumam venatum egreſſus, in raræ magnitudinis aprum forte incidit, propter fontem & piſcinam, quam hinc nomen traxiſſe ajunt: comitibus per ſylvam dilapſis, animum ſolitudine non deſpondens, venabulo objecto, feram ſtrenue excipit, & luculento vulnere conficit: ipſe viciſſim à dolore & furore percita conſauciatur, ambo in eodem veſtigio corruunt. Ibi canis latrantis indicio repertus, magnæ indolis adoleſcens, miſerandum ſuis in tam triſti exitu præbuit ſpectaculum. Pater, quantum maximum potuit, ſepulturæ honorem habuit, templo cum monaſterio magnificentiſſime excitato, & ampliſſimis reditibus inſtructo, quod à præfluente Chremſa nomen traxit. VALDERICUS, VIRGILIUS & SIMPERTUS Epiſcopi dedicarunt, HADRIANUS Pontifex, AGAPITI Præneſtini martyris corpus, Roma honoris cauſſa dono miſit.

Hoc vero Thierhauptanum fundatum eſt ab eodem THASSILONE circa A. C. DCCLXX. non L. ut Bruſchius & Hundius prodidere, cum eodem anno rerum necdum potiretur, & vixdum octavum ætatis annum ageret.

Natus eſt enim eodem anno DCCXLII. quo CAROLUS Magnus, quarto decimo anno rudimentum Martis in PIPINI caſtris poſuit, proximo anno ſe, gentemque totam in PIPINI clientelam dedit, quem altero & viceſimo deſervit, neſcio quomodo vel à PIPINO, vel officiis aulicis offenſus, & rupto primum fœdere domum ad UTILONEM patrem refugit, uxorem dein LUITPURGAM Deſiderio Longobardorum Rege natam, duxit, cum annum ageret octavum ſupra vigeſimum. Suſcepit ex conjuge geminos virilis ſtirpis liberos, GUNTHERUM, ab apro in venatione interemptum, & THEODONEM ſtirpis ultimum ab HADRIANO Pontifice Romæ ſacro fonte luſtratum; tanta fuit THASSILONIS pietas, ut ipſe filium Romam portaret, ut à ſummo orbis parente Chriſtianis ſacris imbueretur. Hoc vero offendit THASSILO, quod pactis non ſteterit cum PIPINUM & CAROLO Magno initis; quin & arma contra movere LUITPURGA inſtigante ſæpius conatus, tandem regno, & poteſtate exutus, reusque Majeſtatis veniam ea conditione impetravit, ut in Monachum attonſus privatam cum filio vitam coleret. At pietas adverſus cœleſte Numen & omnes cœlites fuit in THASSILONE ſingularis: quis ex Bojorum principibus plura cœnobia condidit, quis deſita inſtauravit, THASSILONE? ille CREMISSAM, ille THIERHAUPTUM, idem MATSEUM, CHIEMSEUM geminum virorum ac Virginum à fundamentis excitavit, idem S. VALENTINI ſacrum corpus Tridento Batava, S. CORBINIANI Majis Friſingam, B. VIVILONIS Laureacenſis Archiepiſcopi Batava ſumma cum religione tranſtulit, Batava civitatem Epiſcopo cum fundis & prædiis ampliſſimis conſecravit, Salisburgenſem Eccleſiam donis plurimis auxit. Denique vitam Lauriſſæ nobili Cœnobio humili tectus cultu ſanctiſſime finivit. Miranda quædam opera mortem ad ejus tumbam ſecuta, vetera monumenta teſtantur ejus Epitaphium tale fuiſſe ferunt:

THASSILO *Dux primum, poſt Rex, Monachus ſed ad imum,*
Idibus in ternis deceſſerat iſte Decembris.

Hæc

Hæc de fundatore. Auctum vero, & locupletatum eſt THIERHAUPTUM à LOTHARIO Imp. LUDOVICI Pii filio, A. C. DCCCXLVI. Devaſtatum vero & deſtructum ab Hunnis A. D. CMLV. Secundo erectum & auctum eſt à GEBHARDO Ratisponenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Comite Andecenſi Dieſſenſi & Hohenwarttenſi ſecundum Aventinum, non Witelſpacenſi, ut Bruſchius opinatur; necnon à fratre prædicti GEBHARDI Epiſcopi Comite RAPOTHONE, fundatore Hohenwartenſis Monaſterii, ac HEMMA ejus conjuge (quam Bruſchius alibi Ducisſam Auſtriæ, alibi vero Comitiſſam Werdææ vocat, quod veriſimilius eſt) A. C. cIↄ. XXII.

Contulerunt autem huic Monaſterio & Witelſpacenſes Comites multa bona. Matthæus Mareſcalcus de Biberbach vicino caſtro, Canonicus Auguſtenſis, in libro ſuo de Calatinis, c. 50. & 79. refert aliquas inſcriptiones in hoc Monaſterio extantes, de Palatinis Witelſpacenſibus, & eorum traditionibus Domina GEBBA de Pach piiſſima ac nobiliſſima fæmina ſumma hujus Monaſterii benefactrix, quæ & aurea & alia pretioſa ornamenta plurima dedit.

Sub JOANNE Abbate XIX. viro magni ingenii & conſilii, LUDOVICI Bavariæ Ducis Conſiliario bene merito, incendio periit hoc Monaſterium per eundem magnifice reſtauratum, Anno Domini cIↄ. CDIII. Incendio collapſum fuerat etiam antea, circa A. C. cIↄ. CCCL. at per HENRICUM de Höchſtetten Abbatem ſtudioſe fuit reparatum. Poſtea cum diu in deformatione jacuiſſet idem Monaſterium, MELCHIOR Abbas SS. UDALRICI & AFRÆ Auguſtæ, juſſu & permiſſu LUDOVICI Bavariæ Ducis, miſit illuc Priorem ſuum HENRICUM Hotz, qui ibi decennio Abbas præfuit. Poſt eundem varios commendatores habuit, etiam ſeculares, qui ſua potius quærentes ad maximas anguſtias res ejusdem deduxerunt; donec in bello Bavarico hoc Cœnobium, una cum pagis ſuis miſere vaſtatum eſt.

PETRUS Wagner, qui ex Auguſtano S. UDALRICI Monaſterio evocatus, huic loco tum præſidebat, hæc mœſtus videns, biennio exulavit Auguſtæ, is ſua manu teſtatur: *Igne in templo graſſante, Venerabile Sacramentum more Catholico ibidem aſſervatum, manibus ſæcularium in repentina neceſſitate vix ereptum, alium, quam fabricam ferrariam, locum illa nocte non habuiſſe.* Tandem pacata iterum Bavaria, ſuis redditus ita Cœnobium reſtituit ac inſtauravit, ut ejus ſecundus fundator dici meruerit, qui anno cIↄ. DXI. obiit; Senſit magnum benefactorem ALBERTUM Bavariæ Ducem, qui pro reſtauratione Monaſterii dedit Teloneum & ungeltum, ut vocant, in villa ibi, usque ad ipſius & ſucceſſorum ſuorum revocationem, A. C. cIↄ. DVI. Habuit ſucceſſores ex eodem Cœnobio Auguſtano LEONHARDUM Gregg) JOANNEM Rumpfardum, JOACHIMUM Fendium. Monaſterium hoc in bello Schmalcaldico A. C. cIↄ. Iↄ. XLVI. bis direptum eſt, tam ab hoſtibus Cæſaris, quam ab ipſis Hiſpanis, extra tamen Clenodia aurea & argentea vaſa ac ſupellectilem meliorem, quæ ingruente bello, mandato Illuſtriſſimi Ducis Bavariæ WILHELMI piiſſimæ memoriæ ad tutiora loca tempeſtive fuerant translata ac depoſita. Sepulti ſunt ibi Nobiles Hinterskircher de Schönleuten, ex quorum familia extitit Martinus qui prædia, fundos & ſilvas donavit, ut teſtantur litteræ A. C. cIↄ. CDLIII. datæ. Clemens VIII. P. M. conceſſit uſum mitræ, & Pontificalium A. C. cIↄ. DXCV. R. D. BENEDICTO Gaugenrieder Abbati venerabili & ſucceſſoribus.

MONASTERIUM CAMPIDONA DCCLXXIII.

CAMPIDONENSE facile princeps in Germania Cœnobium condidit HILDEGARDIS, CAROLI MAGNI uxor. Hanc ut domi pernobilem, Suevam originem fuiſſe ſatis conſtat, quamvis ſint qui Andecſii in Boica matre REGARDA Andecſenſi Comite natam eſſe contendant. Fidem adhibere Theganus vetat, à quo IMMA GOTOFRIDI Alemanniæ Ducis proneptis, HILDEGARDIM peperiſſe, planè traditur. Fuit igitur non Boica, ſed Sveva genus, GEROLDI Comitis & Boicæ prætoris ſoror, qui hanc ampliſſimam præfecturam affinitatis ſuffragatione à CAROLO conſequutus eſt, ut ex certis monumentis compertum eſt. Hunc veteres ſcriptores comitem & conſiliarium, atque ſigniferum CAROLI promiſcue dixere, non nemo conſanguineum. Valafridus Augiæ in Acronio lacu Abbas, ſive æqualis huic ætati, ſive ſuppar, inſigne virtutis teſtimonium, quanquam duris & incultis verſibus perhibuit.

Hic vir in hac patria ſumma pietate nitebat,
Moribus egregius, verax manſuetus, honeſtus,
Cui Regina ſoror, LUDOVICI *chara genetrix*
HILDEGARDIS *erat, parili bonitate venuſta,*
Viribus ille potens, ſanctoque potentior actu.

Augienſes Annales Puſſenium Comitem appellant. *Puſſen* in excelſo Sveviæ monte arx ſita, nomen retinet. Hanc illi patriam ſedem fuiſſe, ſit veriſimile ditione longe protenſa. Cum liberis careret, amplum patrimonium locis fere ſacris, Augienſi imprimis, & Sangallenſi Monaſterio dilargitus eſt. Ipſe contra Hunnos acie inſtructa, manus jam conſerturus inter ordines obequitans, dum apta oratione militum animos erigit, certam adverſus hoſtem eum victoriam ſpondens, qui ſpem adhuc omnem in fuga poſuerit, incertum cujus virtute an ſcelere improviſo cecidit, nam equites eum comitati duo, ſimul interfecti ſunt; facti auctor latuit, corpus in Augiæ Monaſterio conditum. Cecidit Kal. Sept. A. C. DCCXCIX.

HILEDGARDIS itaque, poſtquam CAROLUS DESIDERII Longobardorum Regis filiam repudiaſſet, eidem legitimo matrimonio conjuncta A. C. DCCLXXI. (quamvis non nemo ſequentem annum annotet, & C. Baronius ante ſeptuageſimum quartum non eſſe idem conjugium initum, evincere velit ex Epitaphio, quod eſt in Cœnobio S. ARNULPHI extra Metenſem urbem) Anno vero DCCLXXIII. HILDEGARDIS dotem ſuam maternam contribuit ad fundandum CAMPIDONENSE Cœnobium, cujus primum lapidem eodem anno poſuit ROLANDUS CAROLI Magni è ſorore BERTHA nepos, *omnium Gallorum*, Sabellico teſte, *fortiſſimus*, præſentibus multis principibus ac nobilibus.

Eodem anno dum DESIDERIUS Pontificem recuſantem CAROLOMANNI liberos inungere Franciæ Reges, vexat bello; rogatus à Pontifice CAROLUS, victricia ubique arma infert Italiæ: & bis fuſo Longobardorum exercitu, Ticinum obſidione cingit, Veronam capit: ubi duos CAROLOMANNI liberos, & matrem recipit. Cum vero Papiam vallaſſet, *dirigens continuo in Franciam*, inquit Anaſtaſius Bibliothecarius, *ibidem apud Papiam adduci fecit ſuam conjugem excellentiſſimam Hildegardam Reginam & nobiliſſimos filios.*

Anno ſequente DCCLXXIV. dum adhuc obſideretur Papia, CAROLUS appetente Paſchali ſolemnitate Romam venit: ubi apparatiſſimè exceptus eſt. Poſt octo dies Papiam reverſus, facta deditione urbem recepit. *Glorioſus itaque Domnus Rex Francorum CAROLUS*, inquiunt Annales Francorum, *Italia ſubjuguta, cuſtodia Francorum in Papia relicta, magno triumpho, Deo adjuvante, cum UXORE ſua, & reliquis Francis reverſus eſt in Franciam.*

Eodem

Eodem anno à CAROLO confirmatum, & DCCLXXVII. XI. Maji, quæ CHRISTO cælos aſcendenti ſacra fuerat, conſecratum eſt CAMPIDONENSE Cœnobium. Sequenti anno HILDEGARDIS gemellos peperit, & altero decedente, ſuperſtiti LUDOVICI nomen, ſic volente patre, inditum. Anno poſthæc DCCLXXX. labente CAROLUS è Saxonia, comitibus duobus filiis, & Regina HILDEGARDE uxore, autumnali tempore in Italiam pervenit. Natalem diem Domini Ticini celebravit; ſequenti autem anno ſacratiſſimum diem Paſchæ Romæ: ubi uterque filius à Pontifice Rex appellatus coronatur: LUDOVICUS quidem Aquitaniæ, & PIPINUS Italiæ; quibus actis redit in Franciam.

Demum anno DCCLXXXIII. Pridie Kal. Maji moritur HILDEGARDI Regina uxor CAROLI Magni & ampliſſimi CAMPIDONENSIS Cœnobii Fundatrix, cum eidem vitro ſuo trigeminos ſtirpis virilis, & totidem muliebris peperiſſet, CAROLUM, PIPINUM, LUDOVICUM, qui proximus à CAROLO imperavit; ROTRUDIM, BERTAM & GISLAM. Ibidem in Eccleſia à ſe fundata ſepulta (quamquam, ut ſupra monuimus, à quibusdam apud Mediomatrices condita prodatur) in cujus tumulo poſt ducentos circiter annos, cum denuo inſtauraretur CAMPIDONENSIS Baſilica, inventa eſt plumbea tabula, cum tali, quantumvis rudi & inculta inſcriptione:

Annis decurſis ſeptingentis octogintaque tribus
Buſto in hoc buſtarii fælicem buſtarunt HILDGARDIN
Quæ variis claruit ſignis, Dei vigore in multis,
Cujus in pace ſancta requieſcat anima. Amen.

Hanc HILDEGARDIS Fundatricis hiſtoriam idcirco pluribus proſequuti ſumus, ut commentitias & fabuloſas quasdam narrationes, quæ à quibusdam proferuntur, & tamqam veriſimiles aliquo modo fidem meruerunt, excluderemus; quandoquidem alii auctores, qui de CAROLI Magni rebus geſtis, vita & morte ſcripſerunt, nihil de iis rebus memorant. Earum vero loco antiquiſſimas, fideque digniſſimas confirmationis regiæ literas proferemus, ex quibus illuſtriſſimi hujus Monaſterii fundatio, & largiſſima dotatio luce clarius cunctis patebit; earum tenor ſequitur.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, CAROLUS *divina favente clementia, Imperator Auguſtus. Si ſanctam Dei eccleſiam digno magnitudinis noſtræ munere ſublimare, augmentare, atque ſubvenire, ad æternam noſtram remunerationem, & regni noſtri ſtabilitatem prodeſſe confidimus ideoque noverit omnium ſanctæ Dei eccleſiæ fidelium, noſtrorumque præſentium ſcilicet, & futurorum ſolers induſtria, qualiter nos ob interventum ſanctiſſim. patris noſtri ADRIANI Papæ, ac ſupplicem rogatum dilectæ conjugis noſtræ HILDEGARDIS, nec non propter nobilem ac fidelem famulatum JOANNIS Augienſis, & S. GALLI, reverendi Abbatis, ejusdemque Epiſcopi Conſtantienſis precem, ob meritum RUDANGI Metenſis Epiſcopi, & STURMI Wuldenſis Abbatis, ſeu cæterorum principum innumerabilium, nobis aſſiſtentium, ANDEGARIUM quendam nobilem, magnæ religionis virum, & primum CAMPIDONENSIS Cœnobii, ad regularem diſciplinam inſtructorem, aſſumpſiſſimus, & in eodem loco CAMPIDONENSI, qui ab eodem in honorem ſanctæ DEI genitricis MARIÆ, conſtitutus eſt, in pago Ylergew, Abbatem eum confirmavimus, & à Papa ADRIANO in ſancto die Paſchæ conſecratum, pretioſiſſimus ſanctorum martyrum GORDIANI, & EPIMACHI, corporibus donatum in ſuam Abbatiam honeſte transmiſimns. Sed quoniam prædicta conjunx noſtra, in eodem Cœnobio locum ſepulturæ ſe habituram ordinavit, diverſis muneribus ditando, quicquid in pago Ylergawe, & Augusgawe, & Albgawe, materna hæreditate legitime obtinuit, cum noſtra poteſtativa manu, & imperiali largitione illuc tradidit, & in proprium jus ejusdem Monaſterii transfudit, & perpetualiter poſſidendum, ſicut in alio brevi continetur donavit. Nos igitur eundem locum, utpote de noſtro, & in noſtro fundatum, ac in noſtro noſtrorumque ſucceſſorum mundiburdio, ſive defenſione fore conſtituentes per noſtræ autoritatis munitionem confirmamus, & præcipimus, ut nullus publicus judex, neque dux, neque comes, aut quibuslibet ex judiciaria poteſtate, villas, curias, aut loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones, memorato mo-*

nasterio, præsenti tempore subjacentes, &c. & in fine sic concluditur. *Quod ut verius credatur, & omni tempore incorruptum habeatur, manu propria roborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.*

Amplissimo igitur huic Archisterio ANDEGARIUS nonnullis AMELGARIUS dictus primus Abbas præfectus, sacris initiatus est Romæ præsente CAROLO MAGNO & HILDEGARDE fundatrice ipso Dominicæ Resurrectionis die, anno Domini (non ut Bruschius inter complures alios lapsus male habet 773.) DCCLXXIV. ante illum annum enim CAROLUS nunquam Romam venerat. Consequutus est idem venerabilis Abbas pro se & successoribus suis omnibus insigne privilegium ab ADRIANO Pontifice, in quo Pontifex CAMPIDONAM alteram vel secundam Romam appellans, ab omni eam Episcopali jugo exemptam, & perpetuo liberam esse statuit. Abbati vero concedit plenam potestatem ante meridiem sacra faciendi, post meridiem vero gladii, ad exercenda jura forensia, ad tuendos bonos, ac è medio tollendos malos, usurpandi. Unde versus natus quem Abbas & Princeps loci hujus cum Herbipolensi Episcopatu communem habet:

CAMPIDONA sola judicat ense, stola.

Est etiam CAMPIDONENSIS Abbas unus è quatuor illis, quibus inter Germaniæ proceres sunt primæ sedes, quique in consessibus publicis ac pompis maximè honorantur; utpote quibus amplissimæ sint jurisdictiones, nomenque & jura Principum Imperii habeant. Hoc vero Advocatos ac tutores habet, Ducem Bavariæ, Marsallum: Saxoniæ Ducem, Pincernam: Montisfortis Comitem, Dapiferum: ac Comitem de Nellenburg, Camerarium Abbatis.

Circa Annum Christi CMXX. sæva Hungarorum gens finibus suis egressa per omne Noricum, Vindeliciam, & Boicam ferro flammaque grassata, omnia fœdis populationibus & rapinis implevit, sacraque profanis, profana sacris permiscuit, Cœnobia ædesque sacras minime paucas cum virorum sanctorum, tum sacrarum Virginum alias fœde vastavit, alias funditus evertit. In quam sortem & hoc CAMPIDONENSE asceterium venit, quod etiam his temporibus, tribus distinctis vicibus igne ferroque vastatum est tam misere, ut fratribus hinc inde dispersis, Monasterium non nisi latrocinantium undiquaque Hunnorum latibulum fuerit.

Donec tandem ERNESTUS Sveviæ Dux motus lachrymabili tam illustris loci statu, & præcipue duorum Cœnobitarum AMANDI & FELICIS querulosis vocibus commotus, ope præsertim S. UDALRICI, qui tum temporis locum hunc in commendis habuit, cœpit Monasterium quasi de novo instaurare, Cœnobitas recolligere, Abbatem certum his præficere, novamque omnium privilegiorum confirmationem ab Imp. OTHONE I. petere, quam & obtinuit.

Rursum hujus Cœnobii magna pars incendio periit A. C. cIↄ CC. LXI. postridie S. MAGNI, unde hi versus:

Annis transactis plus uno mille ducentis
Et sexaginta combusta fuit domus ista
Post festum Magni præcelsi nocte sequenti.

Eodem circiter tempore extructæ turres magnificæ, quarum altera S. HILDEGARDIS, altera S. LUDOVICI dicta.

Habuit illustrissimum hoc Cœnobium ad hæc nostra usque tempora continua serie Abbates S. R. I. Principes tam generis nobilitate, quam animi generositate & religione (utpote qui non semel Capituli Provincialis Præsidentes fuerint) viros præstantissimos, usque ad modernum Reverendissimum ac Illustrissimum Principem ac Dominum D. JOANNEM EUCHARIUM de clarissima Wolffurtorum stirpe natum, cui proinde multos annos & faustissima quæque apprecamur.

MONA-

MONASTERIUM METTEN DCCC.

METANIA vel MEDENA hodie METTEN, pervetuſtum in inferiori Bavaria Monaſterium, dimidium miliare ſupra Deggendorfenſem civitatem, paululum à ſiniſtra deſcendentis Danubii ad lucum ſeu foreſtam non inamœno loco ſitum: conſtitui cœpit temporibus CAROLI MAGNI Imperatoris omnium Chriſtianiſſimi ac munificentiſſimi Eccleſiarum erectoris, annum Chriſti circiter Octingenteſimum; uti notant Andreas Presb. Ratisp. Aventinus, Bruſchius, & Hundius. Vera originis hiſtoria ſic ſe habet.

Habitabat in hujus loci ſolitudine, & vaſta, adhuc tum temporis Danubiana utriusque ripa, Eremo, ad Michelsbucenſis Parochiæ inter Danubium & Iſeram ſitæ gubernaculum, pius quidam ac venerandus ſenex, beatus GAMELBERTUS, nobili genere apud Bavaros natus: Is abjecta armorum cura non ſine prodigio, aliquando religionis ergo ROMAM ad SS. PETRI & PAULI limina profectus, caſu ibi baptizavit infantem quendam, quem UTHONEM nominavit, prævidens vir ſapiens in ſpiritu, ſibi aliquando in gubernatione ſuæ paternæ Eccleſiæ ſucceſſurum.

UTHO iſte cum ad virilem ætatem perveniſſet, relicta Italia patria, peregrinatus eſt & ipſe religionis ergo in Germaniæ partem illam ad Danubium ſitam: ubi cum ad S. GAMELBERTUM veniſſet, humaniter ab eo exceptus, ac parochia ea ipſa Michelsbuchenſi à viro Dei jam decrepito ſene donatus eſt. Præfuit hujus parochiæ plebeculæ rudi adhuc & parum in Chriſtianismo exercitatæ poſt obitum S. GAMELBERTI, itaque etiam UTHO iſte: donec aliquando ingruentibus bellicis inter CAROLUM MAGNUM & THASSILONEM Bavariæ Ducem odiis ac tumultibus cogeretur bonus vir parochia deſerta, trans præterfluentem Danubium ſecedere, & in ſilvis, inter feras quietem & tutum refugium quærere. Ibi cum omnino animum ad eremiticam vitam adjeciſſet, cœpit ſibi ipſi pius pater ad fontem ſui nominis conſtruere cellulam perexiguam in honore S. MICHAELIS, quod in his Bavariæ tumultibus bonorum angelorum præſidio ſervatus, & ex hoſtium manu liberatus eſſet. Pacatis rebus iterum in Bavaria, & ſub jugum miſſo jam multoties rebelli THASSILONE, cum daret CAROLUS victor venationi operam: caſu, aut potius Deo ſic ordinante ad hanc cellam venit, cumque ad conſpectum & colloquium ſuum evocaret ſenem UTHONEM, barbatum Eremitam; intelligens ex illius cultu & oratione (quæ plerumque certus minimeque fallax animi character & index eſt) virum eſſe integræ, & ſecundum Deum laudatiſſimæ converſationis: data ei dextera opem promittit: ſenemque diſcipulos colligere, ac plenius Oratorium ibi erigere jubet.

Sic Monaſterium hoc ſumptibus CAROLI MAGNI inchoatum ac fundatum eſt, cujus primus Abbas ab ipſo Imperatore deſignatus eſt UTHO iſte. Perierunt hujus loci monumenta pleraque, præcipue vero diplomata Carolina à Magno ipſo CAROLO primo fundatore data: Ludovicorum, & aliorum Carolorum ac ARNULPHI Imperatoris ibi privilegia plurima.

Sepeliuntur in hoc Cœnobio illuſtres Barones à Degenberg, nobiles ab Egk, fundatores parochialis templi S. MARTINO dicati, nobiles item Forſteri, Falckemari, ac alii Bavariæ proceres plurimi.

Hiſtoria B. UTHONIS breviter ita colligitur. S. UTHO patria Romanus, in Germaniam peregrinatus ad S. GAMELBERTUM venit, à quo primum Michelsbachenſis parochus deſignatur. Is paulo poſt in belli tumultibus fuga elapſus in vicino & transdanubiano nemore Cellam ſibi conſtruxit eremiticam ad miraculoſum fontem, quem adhuc vulgus hodie S. UTHONIS FONTEM appellat: in quo qui morbo Gallico, ſeu ſcabie Hiſpanica polluti ſunt, ſeſe lavantes emundantur: certis tamen annis, quos ita ſalubres annos (ut ab hujus loci Cænobitis & agricolis

animadversum est) Epidemia & grassans pestis plerumque excipit. Quamdiu bonus is pater Abbas præfuerit; in fastos à nemine relatum est, aut si relatum est, certe in bellicis tumultibus periit, ac in cineres redactum est.

Sepelitur Abbas iste in Choro templi ante aram maximam sublimi tumulo, cum tali Epigraphe:

Abbas hic primus UTHO *nec laudibus imus*
Hic jacet ut limus, cœlis requiescat opimus.

Postea anno DCCCLXXX. WIPPO Abbas hujus loci accepit privilegium à LUDOVICO Imp. in villa regia Forcheim, cujus tenor est talis:

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HLUDOVICUS *divina favente gratia Rex. Si petitiones servorum Dei juste & rationabiliter aurem serenitatis nostræ petentium ad effectum perducimus: hoc nobis procul dubio ad æternæ remunerationis præmia capienda profuturum liquido credimus. Quapropter notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, nostrisque præsentibus & futuris: qualiter nos ob nostræ mercedis augmentum, & pro remedio animæ Matris nostræ & antecessorum nostrorum concessimus quasdam res proprietatis nostræ in Comitatum Cunberti, cuidam Monasterio constructo in honore* S. MICHAELIS *Archangeli, ad petitionem* WIPPONIS *Abbatis, qui eidem Monasterio præësse dignoscitur: omne scilicet forestum & prædium inter ipsum Monasterium & Danubium, hoc est in pago, de Steine usque in Khrapfenrayn, inde in Pranne, inde in Zwerchloë usque in Zeidlorn & sic usque in Danubium. Itaque quidquid infra scriptos terminos habere visi fuimus, totum in proprietatem dominationis jam dicto Abbati, & fratribus prædicti loci perpetualiter possidendum condonavimus, ut eos pro nobis, pro conjuge & prole nostra, & totius Regni prosperitate misericordiam omnipotentis Domini melius exorare delectet. Et ut hæc nostra concessionis authoritas firmior habeatur, & per futura tempora, à fidelibus nostris melius credatur, manu propria nostra subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus.*

Signum HLudovici Serenissim. Regis.

L. S. *Arnulphus Cancellarius ad vicem Luitberti Archicapellani recog.*

Datæ quinto Nonas Maji Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXX. *Indictione* XII. *Anno Quarto Regni HLudovici Serenissimi Regis. Datum Forcheym villa regia, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Post multa annorum curricula Anno Domini cIↃ CXXXIV. periit universum Metaniense Cœnobium, præsidente GERBERTO Abbate. Anno enim Domini cIↃ CXXXIII. Henrico IV. Imperante, qui patri in regni solio successerat, diversisque ducibus Bavariæ ducatum tenentibus, uno nimirum ejecto, alio recepto, pax à tempore primi OTHONIS per successionem sex Imperatorum ad hæc usque tempora vigens tepescere cœpit. Dissensionibus ortis in regno Ecclesia perturbata est, Monasteria destructa sunt, Clerus in odio & contemtu erat, Justitia & Religio sub pedibus impiorum jacebant.

In hac ipsa calamitate, Monastica etiam regula & disciplina pristinis annis strenue hic observata, in hoc etiam Metaniensi Cœnobio collapsa desiit, ita ut locus iste aliquamdiu sub seculari Clero Canonicorum in Pfaffenmünster (quod est Collegium elegans è regione civitatis Straubingensis ad Danubium vel paululum à Danubio versus Bohemiæ montana & nemora situm, à THASSILONE Bojorum Duce olim fundatum & liberaliter donatum) esset, ad annum nimirum cIↃ CLIII. usque.

Tum enim FRIDERICO I. FRIDERICI Svevorum Ducis filio ad Imperii decus & dignitatem evecto, pax diu desiderata universæ Germaniæ feliciter est restituta. Hic ipse FRIDERICUS cognomento BARBAROSSA, HENRICO Saxonum

xonum Duci, HENRICI alterius, ejus nimirum qui à CONRADO Rege proſcriptus, & ex univerſa Bavaria ejectus erat, filio, Bavariæ ac Norici Ducatum reſtituit: & HENRICUM patruum ſuum Marchionem Auſtriæ, tunc Ducum Bavariæ ab eodem Ducatu tranſtulit ac amovit. Quia vero ejusdem HENRICI Marchionis præcipua nobilitas ac ſumma honeſtas exigebat, ut nomen Ducis neutiquam amitteret: & ut Duces Bavariæ minus deinceps contra Imperium tumultuari, rebellare, & ſuperbire poſſent, Imperator de voluntate & conſenſu Principum in Comitiis anno Domini clↃ CLVI. Ratisponæ habitis, Marchionatum Auſtriæ à Jurisdictione Ducum Bavariæ eximendo, & quosdam ei Comitatus de Bavaria adjungendo convertit in Ducatum. Sic iſte HENRICUS factus & deſignatus legitur primus Dux Auſtriæ.

Is anno Domini MCLVII. Monachos in Metanienſe hoc Cœnobium reduxit, ſacerdotibus ſecularibus ad Pfaffenmünſter, unde antea adducti fuerant, redire juſſis. Sic Auſtriæ iſte nobiliſſimus Dux, ſecundus hujus loci fundator eſt, & dici meretur. Quis vero hujus ſecundariæ fundationis tempore ad clavum hujus loci ſederit, nusquam reperio in literas aut monumenta relatum.

BERNOLDI Abbatis tempore, incendio periit univerſum Metanienſe Cœnobium Anno gratiæ clↃ CCXXXVI. & mœnia totaliter deſtructa, & vaſtata ſunt. jacuitque locus penè deſolatus ad annum usque clↃ LXIV. quo renovari denuo cœpit, IV. Id. Julii, promovente negotium OTHONE Bavarorum Duce.

Ejusdem ope & præſidiis CONRADUS de Auwerbach Abbas hujus Cœnobii præclare reſtauravit illud. Præfuit anno clↃ CCLXXXVII. & anno clↃ CCXCIII. quo OTHO Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ *reſarcire intendens* (hæc diplomatis verba ſunt) *graves defectus, quos Metanienſis Eccleſia in ſuis hominibus & bonis, ex diverſis rapinis & incendiis perpeſſa erat, cum beneplacito fratrum ſuorum LUDOVICI & STEPHANI fecit Abbati & Conventui hujus loci triennalem remiſſionem omnis præſtationis Steurarum, herbergarum, & omnis Juris Advocatitii, faciens eis hanc de ſuæ liberalitatis munificentia ſpecialem gratiam.*

Tempore ULRICI hujus nominis I. Abbatis, cœpit concurſus hominum ad miraculoſum fontem S. UTHONIS, anno clↃ CCCVI. Sub ejusdem regimine venit Cœnobium anno clↃ CCCX. in tuitionem D. JUTHÆ Bavariæ Duciſſæ, quæ fuit ſoror OTHONIS Regis Hungariæ, & uxor STEPHANI Bavariæ Ducis.

Poſtea anno Chriſti clↃ CDXXXIX. ANDREAS Abbas hujus loci, infulam & cætera pontificalia ornamenta per ALBERTUM illuſtriſſimum Bavariæ Ducem à Concilio Baſilæenſi impetravit pro ſe & ſucceſſoribus ſuis uſurpanda.

Sub regimine Abbatis OSWALDI, (qui iniit anno clↃ CDXCV. & obiit clↃ DXV.) viguit peregrinatio ad miraculoſum fontem S. UTHONIS, & liberati ſunt ejus beneficio à morbo Gallico multi advenæ. Hanc peregrinationem mox peſtis ſecuta eſt. Conſtruxit idem Abbas tabernam, excoluit vineam Cœnobio proximam, renovavit aras omnes, fecit fieri pretioſam Infulam.

Habuit idem Cœnobium alios plures præclaros & laude dignos Abbates, qui ſua cura & diligentia rem domeſticam mire auxerunt, & interim ſpiritualia etiam non neglexerunt.

MONASTERIUM
EINSIDLEN CMVI.

MONASTERIUM HEREMI DEIPARÆ MATRIS in Nigra Helvetiæ ſylva, ut vocant, ſitum; locus, quo vix ullus uſpiam Chriſtiano in orbe alius neque Reginæ Cœlorum præſentia religioſior, neque Antiſtitum nobilitate, & ſucceſſione illuſtrior, neque Pontificum, Imperatorum, & Regum, Principumque privilegiis, & beneficiis honoratior, aut poſtremo omnium prope nationum peregri-

nationibus frequentior, atque miraculis eſt inſignior. Adeo alias aliis in locis ſacras ædes videtur ſummus ille Architectus rerum omnium ab reliquis conſtitutas accepiſſe, & probaſſe; hanc, tamquam perpetuum ſui amoris, & honoris erga matrem monumentum, & ſimul in genus humanum refugium, ſolatiumque ſua veluti manu poſuiſſe, ſtupendis ſignis, & incrementis inſolitis foviſſe, & ditaviſſe, omniumque pene provinciarum, & gentium cultu, & religione, & concurſu celebrari voluiſſe.

Porro hanc HEREMUM, ſive ſolitudinem, MEGINRADUS, Sulgoviæ Comitis filius & Augiæ Inſulæ Monachus primo ſanctitate, mox ſanguine ſuo illuſtravit, & conſecravit; de quo ita ſcribit Hermannus Contractus; MEGINRADUS *Augiæ monachus, & primus incola Heremi quæ Thuricino adjacet lacui à quibusdam latronibus inibi XII. Kal. Februarii peremptus poſt mortem virtutibus claruit, Augiæque ſepultus eſt. A quo uſque hodie Heremus ipſa à ſanctis, & religioſis viris in nobile, & famoſum jam dudum excrevit Cœnobium.*

Et Martinus pœnitentiarius. S. MEGINRADUS *primus incola Heremi quæ Thuricino adjacet lacui à duobus latronibus inibi occiditur. XII. Kal. Februarii, & ab angelis lucis ſuſcipitur: & in cæleſti fulget vita Martyr, Presbyter, Monachus, & Heremita.*

HEREMUS ab MEGINRADI obitu absque aſſiduo colono, & cultu annos quatuor & quadraginta fuit, niſi quia apud vicinos ſacri incolæ celebris memoria vigebat, multique qui opem ab eo ſuis in neceſſitatibus perſenſerant, voti condemnati martyris locum, & ob rara inde, & ſupra naturam ſublevamenta, & auxilia, quod conſtituerat ibidem DEIPARÆ VIRGINI Sacellum frequentare ſolitabant. Sed ex his ad longinquos quoque fama pervadebat. Motus inde BENNO ex regia Burgundiæ regum ſtirpe Canonicus Argentinenſis (illum Benedictum ex vitæ ſanctitudine poſtea dixerunt) rerum humanarum deſpectu, ſimul vitæ ſolitariæ cupidine in eam cum paucis ſociis recipere ſe conſtituit, fecitque anno CMVI.

Sub cujus adventum Cella S. MEGINRADI ætate, & incultu, temporumque injuria, & ſolitudine loci ferme dilabebatur, Sacellumque religio magis, quam tecta tuebatur, cetera circum ſentibus, & arbuſtis aſpera, & denſa, prorſus ad priſtinam vaſtitiem pene cuncta redierant. Igitur ubi BENNO loci ingenium ſatis perſpexit, ſitusque ex opportunitate Cœnobio idoneum maxime judicavit, ad Comites Raperſuillanos, in quorum Dominatu tota ſolitudo erat, tetendit, utque eorum beneficio, & conſenſu eam colere, & manſuefacere liceret obtinuit. Ita Sacellum primo inſtauravit, mox S. MEGINRADI cellam habitamentis adauxit, pluresque eo amicos, & familiares incolendæ, & frequentandæ Heremi invitavit, & perduxit. Vicina hinc perpurgare orſus, erutis, & exuſtis arborum, & truncorum radicibus, campum ſatis amplum, vulgo Bruel nunc vocant, patefecit. Objectum pariter montem, quem ex ejus vocabulo Bennau poſteri nuncuparunt, cultus patientem reddidit. Nihil denique intermiſit, unde ſolitudinis aſperitas miteſceret, & incolendi deſiderium creſceret. Sed quia ſitus admodum aſper, & horridus, omnisque melioris arboris infœcundus erat, antiſtitam Sanctionenſem acceſſit, & ab ea Ufnoviam lacus Tigurini inſulam vicinam, & amœnam beneficio perpetuo impetravit. Eam mox omni felici arbore, & elegantiori cultu expolivit: fructus, & cetera inde emolumenta Cellæ S. MEGINRADI, ſervato nihilominus Sanctionenſis Eccleſiæ jure omni beneficiario, dedit, & conſignavit. Id poſtea jus beneficiarium OTHO I. Imp. redemit, & HEREMITIS conceſſit, ejus loco alias poſſeſſiones Sanctionenſibus attribuit, beneficium, & uſum, in dominium vertit, ut poſtea videbimus. Loci religione, & BENNONIS propinqui amore, eodem tempore, excitatus ADELBERO Baſilienſis Epiſcopus ad MEGINRADI cellam & ipſe inviſit, probatoque ejus maximo opere pietatis ſtudio, & cura illuſtrandæ ſolitudinis, quo magis impenſæ ſuppeterent, & in propinquum, Cellamque venerationem ſuam teſtaretur, Sierns Elſatiæ Superioris nobilem vicum hæreditarium BENNONI, & ejus loci ſucceſſoribus proprium fecit, quidquid in eo juris ab majoribus habebat libere, & munifice reſignavit, Cellæ S. MEGINRADI perpetuum eſſe juſſit.

Huc

Huc etiam BENNO quæcumque à parentibus acceperat contulit, & poſtquam XIX. annos Heremum incoluiſſet, in Mediomatricum Epiſcopum electus eſt A.C. CCIↃXXV. ſed poſt biennium inſidiis appetitus, & luminibus privatus, rurſus, in Heremum quam ægre deſeruerat perduci ſe curavit, in eaque inſigni innocentia, patientiaque quidquid fuit vitæ reliquum peregit, obiitque Anno CMXL. III. Nonas Auguſti.

Etſi vero, primus apud Heremum ſocios BENNO habuit, longe tamen EBERHARDUS illuſtrator, & conditor Princeps habitus. Is ex Comitibus Franconiæ, Heſſiæ, & Veteroviæ Provincialibus Præpoſitus Argentinenſis, divino admonitu, Angeloque ductore, & inductore, ad Heremum advectus, Anno CCIↃ XXXIV. amplis facultatibus, & hæreditate opulenta, ſtatim ad novi, & ampliſſimi monaſterii, Baſilicæque in honorem, & nomen DEIPARÆ MATRIS, divique MAURITII Legionis Thebaicæ principis, & ſociorum ſtructuram, & conditionem animum applicavit. Inde Anno CMXLV. multis per ædificiorum, & totius conventus neceſſitudines impedimentis, cum minus, quam ab initio quæſierat, optaratque ſibi, & vitæ ſolitariæ, ab turbis remotæ, ac diſſitæ vacare liberum foret, conſortem, & adjutorem ſibi EBERHARDUS THIETLANDUM ſumſit, magna integritate; & prudentia virum, illique fabricæ, & ceterorum curam commendavit; Ipſe ſe à negotiis ad rerum divinarum contemplationem penitius inſinuavit. Anno ſequente OTHO Imp. dato diplomate Monaſterium in ſuam protectionem ſuſcepit.

Abſolverat jam templum EBERHARDUS, quare ad conſecrationem ejusdem CONRADUM Conſtantienſem, in cujus diœceſi conſiſteret, & UDALRICUM Auguſtanum Epiſcopos invitavit. Illuc cum veniſſet CONRADUS, nocte, ſolito more, circa ejus medium orationis cauſſa ſurgens, melodiam longe ſuaviſſimam auribus excepit, cumque magis, magisque animum, mentemque intenderet, certiſſimo animadvertit, angelos cantum eumdem, & ordinem, ceremoniasque in Sacelli DEIPARÆ conſecratione habere, quæ, dedicationibus Eccleſiarum, Epiſcopis uſurpentur. Audiere eadem haud pauci monachi, aliique nonnulli, quos precum, & meditationum ſtudium idem tempus intentos & vigiles attinuerat.

Cœpta luce, paratis ad manum neceſſariis, magna attentione, omnibus CONRADUM præſtolantibus, ipſe ſolus cunctari, moræque cauſſas obtendere, denique quid audiſſet, paucis pandere. Illi vero veluti vana, & tamquam cœleſtium ex meditatione nata ſomnia memorantem, illis poſthabitis, ad conſecrationis opus impellere, donec cœleſtem delapſam vocem CESSA, CESSA, FRATER, DIVINITUS CAPELLA CONSECRATA EST, ter omnes audierunt. Ex eo certa fides, & CONRADUM vera cognoviſſe, & Sacellum DEIPARÆ cœlitus dicatum, & conſecratum eſſe, nemo poſtea dubitavit.

Baſilicam vero Sacello circumjectam, ſolitis ceremoniis, in honorem S. MAURITII, & ſociorum conſecravit. XVIII. Kalend. Octobris, Anno DCCCC XLVIII. EBERHARDUS adhuc decennio fere ſupervixit, & obiit XI. vel ut alii XIX. Kal. Septembris. A. C. CMLVIII. Ei ſucceſſit THIETLANDUS, & huic GREGORIUS; qui cum eſſet Eduardi Angliæ Regis filius, & voti cauſſa Romam profectus, in Cœlio monte agitaret, ſolitudinem meditans, & captans locum, ubi curis mundanarum rerum liberatus DEO, cui ſe totum voverat, regiæ ſplendore ſtirpis, & dignitatis abjecto, & præ cæleſtium amoribus contemto, ſoli, unique tradere ſe, & toti adhærere poſſet, tertio totidem noctibus cœlitus admonitus, ut inde Heremum Nigræ ſilvæ concederet, paruit, & ſupremam inibi poteſtatem obtinuit; obiit VI. Idus Novembris A. C. DCCCC. XCVI. regiminis XXXIII. ſepultus pene D. MAURITII altare, ubi multis inclaruiſſe traditur miraculis. VIRANDUS ſucceſſor ejus memoriæ hoc Epitaphium poſuit:

Abbas GREGORIUS *laudum ſplendore coruſcus,*
Flos Anglæ ſtirpis: præcipuus meritis.
Idibus in ſenis animam reddendo Novembris
Spiritui cœlum, oſſibus hunc tumulum

Promeruit, digna factis mercede repensa.
Nunc fruitur summo lætus, ovansque bono.
Creditur angelicis psyche subvecta ministris
GREGORII *patris sedibus æthereis.*

Porro hujus Abbatis tempore, clarus eruditionis, & sanctitatis gloria in Heremo WOLFGANGUS erat Comes Veringensis, aut, ut alii volunt, Pfullingensis, vel Reidenfeldensis, monasterii Decanus. Is sacris ab UDALRICO Augustensi Episcopo, qui sæpius religionis caussa ad Heremum ventitabat, ibidem initiatus, GREGORII abbatis licentia, & auctoritate, quia *videbatur sibi cum simplo, & abscondito talento, quasi vacuus apparere in conspectu domini, nisi, eo exposito, & duplicato, aliorum quoque consuleret saluti:* cum aliquot ex Heremo sociis divini cultus apud remotiores gentes propagandi desiderio, in Austriam, Hnngariam, Bohemiam, & loca vicina, circiter annum CCIↃ LXX. profectus, multos ab improbis, & impiis ritibus & erroribus alios scelerum è vinculis liberavit. Reversus hinc Bataviam, apud PEREGRINUM Episcopum divertit, qui, ejus perspecta sinceritate, eum ad Ratisponensis Ecclesiæ gubernacula promovit. Ubi ita se gessit, ut ejus meruerit esse, colique patronus, & tutelaris Divus.

Porro præfatum S. UDALRICUM memorant antiqua Heremi scripta, Virgineum Sacellum quotannis ferme adiisse, magnam primo cum EBERHARDO, quem etiam sanguine attingebat, necessitudinem exercitasse, eadem lege amicitiæ mox THIETLANDUM, & GREGORIUM coluisse. Ejus adhuc in Heremo monumentum, & munus brachium, S. MAURITII loci patroni; & aliæ Thebaicæ legionis reliquiæ, brachium S. DIGNÆ ex comitatu S. AFRÆ Augustanorum patronæ, & aliis martyribus. Vestes præterea sericæ, quibus sacerdotes & levitæ operantur sacris, coloris lutei, quarum etiam contractus pollebat virtute miraculorum.

Hujus amplissimi Cœnobii liberalissima fautrix & patrona fuit ADELHEIDIS Augusta, adeo, ut merito cum OTHONEM marito fundatix præcipua habeatur, memoriaque sempiterna, & anniversaria apud Heremitas excolatur.

Tanta porro erat Heremitarum per ea tempora fama, & disciplina, ut non solum inde ad Episcopatus idonei præsides peterentur, sed si quod novum construendum monasterium erat, conditores ab eis & magistros, monasticæque vitæ institutores plerumque exposcerent. Hinc PETRI DOMUM tres abbates acciti: Hinc ad Murense novum Monasterium REGINBOLDUS egregiæ vir sanctitatis cum aliis monachis missus, eidemque præfectus. Ad Hirsaugiense vero recens reparatum FRIDERICUS non minoris sanctitatis, cum duodecim fratribus missus, anno CIↃ. LXV. Pari ratione B. ADELHELMUS primus Abbas designatus est Montis Angelorum A. C. CIↃC. XIX. & ejusdem Monasterii Abbas secundus dictus est Frowinus & Heremo, qui non sine sanctitatis opinione decessit A. C. CIↃ. CLXXVIII. XXVII. Martii.

Rursum circiter A. D. CIↃ. XXIV. ex eadem Heremo missi monachi ad recens conditum S. VINCENTII in monte Jurasso monasterium, vulgo Beinviler nuncupatum: & alii post alio. Infulam vero & cætera pontificalia ornamenta à LEONE IX. P. M. impetravit HERMANNUS ex Comitibus Vitoduranis Heremi Abbas sextus.

Tandem RUDOLPHUS I. Imp. consideratis quanto honore, amore, veneratione, liberalitate, munificentia, antecedentes Imperatores & Cæsares, Heremitarum monasterium complexi essent, quanta religione, & frequentia ob manifestam per tot miracula, & vota DEIPARÆ Matris præsentiam, toto Imperio locus coleretur: quanta postremo monachorum inibi agentium nobilitas, & ortus claritudo, præsidumque sanctitudo, & totius Collegii integritas, & auctoritas esset, UDALRICUM II. Abbatem XVIII. in Principum Imperii numerum VII. Kal. Februarii A. C. MCCLXXIV. primum adlegit, utque tamquam Principem, subditi, & monasterio annexi colerent, & obedientia agnoscerent, eximio Diplomate sanxit, & impetravit. Retinuit Heremus amplissimam hanc dignitatem; usque ad Reverendissimum

dissimum & Illustrissimum D. AUGUSTINUM, Abbatem XXXIX. & Principem Imperii XXII. qui adhuc ibidem Principatum summa cum laude gerit, utque adhuc pluribus annis maximo ejusdem Monasterii ornamento & emolumento gerat, summis votis exoptamus.

Ceterum, qui rerum ibi gestarum seriem ampliorem desidera, R. P. F. Christophori Hartmanni Annales locupletissimos evolvat, è cujus uberrimis fontibus, parvulum hunc rivulum deduximus.

MONASTERIUM

PETERSHAUSEN CMLXXX.

PETRI DOMUS sive PETERSHAUSE, Monasterium, è regione Constantiensis urbis in Svevia cis Rhenanum pontem, in dextra videlicet Rheni è Lacu Acronio prodeuntis situm: fundatum & dotatum est munificentissimè Anno CHRISTI CMLXXX. à S. GEBHARDO Episcopo Canstantiensi, virtute & pietate insigni, unde & in divorum numerum referri meruit, nobilitaque præstanti, cujus vita è manu scriptis in compendium redacta tali fere stylo describitur.

GEBHARDUS secundus hujus nominis Constantiensis Episcopus, natus est patre UTHONE nonnullis HUGONE, Comite Brigantino, vel, ut alii, Rhætianorum, matre DIETBURGA, post mortem matris ex utero cæsus; vir doctus, pius, ac facundus, S. CONRADO perquam familiaris, in cujus etiam ministerio extitit, ejusque successori GAMENULPHO substitui meruit anno CMLXXX. Cujus electionem DEO gratam fuisse, visio subsequens demonstravit.

Erat namque in eadem Ecclesia imago S. DEI Genitricis MARIÆ ligneæ insulpta tabulæ, quæ B. viro in somnis visa est virgam præbuisse pastoralem, eique præcepisse, ut Dominicum gregem pasceret, eique pascua vitæ monstraret æternæ.

Ex iis vero, quæ sibi hæreditario jure obvenerant, Monasterium S. GREGORII Papæ in ripa Rheni fluminis juxta Constantiam civitatem construxit; deputatis illic duodenis Fratribus, qui die noctuque divinis insisterent officiis, quibus sufficienter victum vistitumque suis ex facultatibus ministrari constituit.

Anno autem Dominicæ incarnationis CMLXXXIII. Templum hujus Cœnobii cœpit construere, positis ad quatuor templi angulos in fundamenta quatuor aureis Rhenensibus. Cumque omnes operi certatim insisterent, quadam die contigit, ut fractis sustentaculis, in quibus stabant operarii, caderent in terram, ita ut opifex, qui præerat operi, toto conquassato corpore quasi exanimis inveniretur. Vir autem Domini GEBHARDUS in Domino confidens, jussit eum levare, & in oratorium S. MICHAELIS deportare: Et ejectis omnibus ipse clausit ostium, seseque in orationem dedit. Quo orante elisus sanus surrexit, eumque ad opus redire jussit, atque ait: Vere, nullus deinceps ex hoc cadendo suæ periculum patietur animæ; jussitque omnes parietes recto tramite sursum sine vestibulis construi, ita ut laquearia ejusdem Templi in modum crucis suspensa esse videantur. Quæ laquearia deauratis baculis in modo stellati cœli undique decoravit, muros vero per circuitum varia pictura perornavit.

Situs autem ejusdem templi ad occidentalem plagam versus est; ipsumque Templum secundum formam Basilicæ Principis Apostolorum Romæ constructam formatum est, propter quod & eundem locum PETRI DOMUM appellavit, per circuitum vero congrua monachis construxit habitacula, perfectisque omnibus decimo anno Ecclesiam in honore S. GREGORII Papæ dedicavit, eamque multiplicibus & magnificis sanctorum Reliquiis cumulavit, inter quas etiam brachium S. PHILIPPI Apostoli ab OTHONE III. Imp. sibi cum aliis plurimis condonatum summo studio ibidem collocavit. Ejusdem rei gratia etiam ROMAM properavit, ut

de Apostolorum liminibus Sanctorum exuvias, Privilegiumque libertatis perciperet, quod etiam magnifice impetravit.

Inter ceteras vero quas JOANNES Pontifex beato viro sanctorum dederat Reliquias, Caput quoque Sanctissimi Papæ sibi condonatum GREGORII; sed hoc paucis, & sibi familiarissimis cognoscentibus. Vir autem Dei tanto pignore accepto, maximo delibutus gaudio, festinus urbem egreditur, verens hoc, quod etiam contigisset, nisi divina miseratione protectus fuisset. Romani enim cognoscentes se tanto pignore privatos, se quasi orbatos gementes, civitatem egressi, virum DEI unanimiter persequuntur. Quod ille sentiens, fugam iniit, fugiendoque Placentiæ ad Padum fluvium usque pervenit. Quem in immensum excrevisse invenit, navemque altera parte consistere doluit. Cumque nullum adesse conspiceret, qui navem adducere potuisset, jam jamque insequentes se advenire formidaret, quod tunc solum subsidii noverat, ad arma orationum confugit, seseque in ipsa fluminis ripa DEO supplicem dedit. Quem mox se invocantem CHRISTUS in tribulatione dilatavit, *quia oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum*, & adhuc eo clamante dixit; *ecce adsum*. Illo namque orante; & omnipotentis DEI misericordiam implorante, ut si voluntatis ipsius esset, quatenus hæ exuviæ ad locum destinatum pervenirent, sibi in hoc necessitatis articulo subveniret. Mirum dictu; Padus se submisit, & per medium suimet sanctissimo viro vadum optimum patefecit. Ipse autem vir DEI statim ut sibi viam à Domino prospexit patefactam, cum suis omnibus ingressus, omni cum alacritate pertransivit. Unus autem nequam ex obsequio ipsius sancti postremus pertransuentium factus, cunctis aliis egressis, in alveo fluminis solus inventus, concurrentibusque aquis præventus atque suffocatus est. Quod cum viro DEI nunciatum fuisset, ait: Ex hoc nolite contristari Charissimi, naulum enim hoc in loco dare debueramus, pro quo istum à Domino ablatum credamus, & cum lætitia CHRISTO gratas agentes, iter nostrum peragamus. Illi vero qui virum DEI illo persequuti fuerant, videntes quæ facta sunt, ad propria revertuntur.

B. GEBHARDUS autem domum cum venisset, collocatis cum omni diligentia Reliquiis, ordinatisque duodenis, ut supra dictum est, ad locum Fratribus, PERINGERUM tertium decimum, vicem CHRISTI inter eos agere constituit. Videntur autem dicti Fratres ex Eremitarum loco adsciti, ita enim scriptus manu liber de rebus gestis ejusdem S. GEBHARDI. *De Cella quoque* S. MEGINRADI, *quæ dicitur ad Solitarios suos monachos* S. GEBHARDUS *nervam vivendi*, & *regimen habere decrevit*, *quoniam monachi illius Cœnobii tunc temporis fuerunt religiosissimi.* Inter hæc & similia pietatis opera, divina etiam non defuerunt miracula, nam inter cætera claudum manibus pedibusque instar quadrupedis reptantem, porrecto baculo quem gestabat, erexit, & recte ambulare fecit.

Cum vero languore corporali correptus, se de hoc sæculo citius migraturum præsensisset, rogavit se in Templo, quod ipse fabricarat, sepeliri. Nam tunc temporis in CONSTANTIA morabatur civitate, cum eum hæc infirmitas occupasset, qua etiam mortuus est VI. Kal Sept. A. C. CMXCVI. Episcopatus sui XVI. & in gaudium Domini sui introivit.

Cum ergo lotus, ac sacerdotalibus, ut moris est, vestibus indutus, & feretro impositus, ad Ecclesiam fuisset deportatus, dissensio exorta est, utrum in ipsa Ecclesia Sponsa videlicet sua, an uti ipse rogaverat, in ea, quæ ab ipso constructa fuerat, debuisset tumulari. Sed major pars vicit minorem, & decretum est, eum in eodem loco sepeliendum.

Accedentes autem hi, qui ad portandum feretrum deputati fuerant, loculum levare, atque ad præparatum sepulchrum deferre conabantur. Cumque brachia extenderent ad feretrum, cœperunt toto corpore tremere, ac immenso pavore concuti, ita ut etiam pene humano amisso sensu amentes efficerentur: tantoque pondere ipsum depressum est feretrum, ut humanis viribus moveri nequivisset.

Tunc omnes qui aderant, hoc miraculo cœperunt dicere illum sepulchri locum à DEO sibi prædestinatum non fuisse, tandemque divino correcti judicio, decreverunt

verunt eum ubi ipſe rogaverat, ſepeliendum fore. Portitores autem iterum accedentes, cum omni velocitate loculum levaverunt, atque omnis illa priſtina gravedo ita immutata eſt, ut pene nil ponderis ſe portare perſentiſcerent.

Aliud tum prodigium ſequutum eſt. Nam illis Eccleſiæ limen egredientibus, columba cunctis cernentibus advolavit, & ſupra jam ſæpe dictum, beati viri, nullo abigente conſedit feretrum, indeque non receſſit, donec trajecto flumine Eccleſiam S. GREGORII ingreſſi fuiſſent. Quam mox ut intraverunt, columba quæ videbatur, diſparuit, eamque nullus deinceps videre prævaluit: tantique odoris fragrantia eos illic excepit, ut omnes ſe quaſi renovatos crederent, nullusque ſe unquam aliquid, quod tanti eſſet odoris, perſenſiſſe memoraret. Quæ etiam fragrantia tamdiu ſuper ſanctum corpus permanſit, quousque maximo cum honore in Meridiana parte ejusdem Templi ſepulturæ tradidiſſent. Ejus Epitaphium eſt iſtud.

Debita pars terræ fallentia tempora ſperne.
Et memorare viæ, quam teſtatur cinis iſte:
Gentis honos noſtræ jacet, gentis dolor atque
Præfuit huic urbi, cuncto ſed præfuit orbi.
Hancque Deo ſedem templi fundavit & ædem.
Parti terrenæ Deus ignoſcens miſerere,
Redde vicem juſte, quia te dilexerat iſte.

Memorabile eſt, quod Abbati hujus loci primo BERINGERO poſt hæc contigit. Is enim oratorium ingreſſus cum in ipſo noctis ſilentio orationi attentius incumberet, ei B. GEBHARDUS apparuit, & hilari vultu ad eum loquutus eſt: *Scias pro certo me apud omnipotentem impetraſſe Deum, ut nullus Fratrum modo in hoc Monaſterio* CHRISTO *deſervientium, à morte lædatur ſecunda. Sed omnes mortem ſubeuntes temporalem vitam cum* CHRISTO *poſſidebunt ſempiternam.* Hoc dicto ab oculis ejus evanuit, nec eum ulterius cernere quivit.

Conſimilis pene viſio alteri cuidam Monacho qui Pſalmodiæ nimium deditus erat, apparuit. Ei namque per ſomnium viſum eſt, quaſi coram tumba ſanctiſſimi Confeſſoris CHRISTI GEBHARDI orans conſtitiſſet. Cui ſic ſtanti ſanctus Pontifex quaſi de tumulo progrediens apparuit, & ſalutationis verba ad eum protulit, eique pavitanti ſic ait: *Noli timere frater, ego enim ſum* GEBHARDUS *ille, qui hanc ædem* CHRISTO, *ejusque Confeſſori GREGORIO fabricavi, Vade ergo & dic fratribus meis, ut bono animo ſint, & voluntarie CHRISTO, ſanctoque Papæ GREGORIO in hoc meo Monaſterio deſerviant*; atque his addidit: *Sciatis pro certo, quod omnis quicunque in hoc meo Monaſterio voluntarie cum bono propoſito deſerviens inventus fuerit, in omni tentatione atque tribulatione, me, ſanctumque GREGORIUM fortes auxiliatores apud DEUM habebit, & in extremo judicii examine ante thronum juſti judicis æterna vita coronandum ipſum perducturi ſumus.* His dictis ab oculis cernentis elapſus eſt.

Aliis alia beneficia ab eodem præſtita, lux cæcis refulſit, immedicabiles morbi curati, vitia corporum correcta, claudis nervi compoſiti, complures vero ab inferno hoſte arrepti, immaniterque excruciati, ab ingrato hoſpite liberati ſunt, qui paſſim omnes ſalutem GEBHARDO in acceptis retulere.

B. GEBHARDO in Epiſcopatu ſucceſſit LAMBERTUS Monachus ejusdem hujus PETERSHUSANI Monaſterii. Aluit hoc idem, ut Bruſchius memoriæ prodidit, olim octoginta Monachos cum Abbate, & primo vaſtatum ac ſpoliatum eſt. A. C. cIↃ. LXXXVII. ab HENRICO Comite ſacri Montis. Incendio vero periit, cIↃ. CLIX. Anno demum cIↃ CDXV. tempore Concilii Conſtantienſis JOANNES FREY Abbas hujus Monaſterii, Pontificalibus ornamentis donatus eſt à MARTINO V. P. M.

Anno Domini tandem cIↃ DXLVIII. ab Hiſpanis CONSTANTIAM oppugnantibus, concrematum eſt. Rurſus tamen diligenti œconomia religioſorum præclare inſtauratum, & priſtinæ dignitati reſtitutum, in hodiernum diem viget & floret.

MONASTERIUM
SEON five SEUN DMXCIV.

SEON five Sevum vel Sevuen celeberrimum Bavaricæ ditionis Monafterium, fundatum eft ab ARBONE Comite Dieffenfe ac Andecenfe, A. C. DCCCCXCIV. qui in Bavarica Norica, non procul à Chiemenfi lacu, Burgillum Caftellum fuum in templum vertit, D. LAMBERTO dedicat, traditque Benedictinis Monachis, incolæ à lacubus, qui ibi funt frequentes, vocant SOEUM: HENRICUS fanctus, hoc & alia Monafteria largiter locupletat; extant diplomata, tefte Aventino.

Non folum autem hoc in loco, fed etiam alibi celeberrima eft S. LAMBERTI Martyris memoria, utpote apud Friburgenfes in Brisgoja, qui fe fancti martyris caput habere gloriantur ex donatione Rudolphi Epifcopi, qui frater erat Bertholdi quarti Zeringiæ Ducis.

Duces quoque Carinthiæ in finibus Carnorum ac Styriorum opulentiffimum divi LAMBERTI Monafterium fundarunt.

Is autem dum regiam domum zelo religionis increpaffet, cum rediens oratio ni incumberet, ab iniquiffimis viris de palatio regis miffis ex improvifo conclufus, intra domum ecclefiæ occiditur. Cujus fepulchrum creberrimis illuftratur miraculis. Ufus eft præceptore *Wintershoven* fancto archipresbytero LANDOALDO: magiftroque fuo fancto martyri THEODARDO, in epifcopatum fucceffit. CLODOVEUS rex ejus prudentia & auctoritate familiariter utebatur patrem eum appellans & Apoftolicum virum, in eo privilegio, quod promulgavit pro immunitate Ecclefiæ beatæ MARIÆ Trajecti. Debuitque fanctus in patria urbe, poft martyrium beati THEODARDI pontificium fufcipere. Urgebant enim eum CLODOVEUS rex cum fuis proceribus, electio omnis cleri, & acclamatio utriusque fexus. Nec minus ob fanctitatem & prudens confilium placuit CHILDERICO regi, qui non dubitavit pectus ejus domicilium effe Spiritus fancti, & linguam veritatis organum. Sed hoc rege occifo, turbata eft ecclefiæ pax. Siquidem Ebroinus tyrannus, qui Major domus fub THEODORICO rege fæpius Franciam turbaverat, fanctum LAMBERTUM juftitiæ & publicæ libertatis defenforem, epifcopatu expulit, & Faramundum quendam intrufit: per quem Tungrenfis ecclefia experiendo didicit, *furum non venire nifi ut furetur, mactet & perdat.* Sanctus LAMBERTUS autem videns fe obftinatæ tyrannidi & oppreffioni ecclefiæ non poffe refiftere, infructuofum laborem prudenter declinavit, & per feptem annos Angelicam vitam duxit in Stabuleto monafterio, usque ad miferam Ebroini interfectionem.

Numeratur Apoftolus Taxandriæ, eo quod multa prædicatione & patientia ad fidem converterit ejus regionis populum idololatriæ cultu lordefcentem, qui nullis civitatibus, fed pluribus & fparfis vicis continebatur, usque ad Tungros. Et propter hanc converfionem Taxandri Leodienfi ecclefiæ fubditi fuerunt PIPINUM principem, primi PIPINI nepotem, de publico cum Alpaide adulterio, quibus potuit modis revocare laboravit. Qui vifus eft quidem rejecta pellice, velle redintegrato conjugio obtinere remedium pœnitentiæ, fed per eandem penitus fubverfus eft. Cui etiam poftulanti, ea de caufa adftitit frater ejus, impius Dodo, qui in villa Legia orantem LAMBERTUM, & per modum crucis expanfum, ante altare SS. Martyrum COSMÆ & DAMIANI, per fatellites fuos lancea perforavit, & cum eo fimul interemit Petrum & Andoletium, fancti martyris confanguineos. Sic beatiffimus martyr omni virtutum gratia adornatus, cum B. JOANNE Baptifta, ob impugnatum adulterium, meruit palmam martyrii, A. C. DC. XCVIII. epifcopatus XL. Sacrilegus vero Dodo æternæ damnationis incurrit interitum,

ritum, tum etiam posteritati suæ tanti facinoris jugem pœnam, & indeficiens opprobrium usque hodie reliquit. Unde Wandelbertus scribit:

Factio quem cæsum semper tremebunda pavescit.

Sepultus est beatissimus martyr apud Trajectenses in Ecclesia S. PETRI unde post duodecim annos translatus est cum sede cathedrali à B. HUBERTO ad villam Legiam, tunc quidem ignobilem Lotharingiæ vicum, sed martyrio & miraculis S. LAMBERTI nobilitatum. Ejus etenim patrocinantibus meritis, postmodum commutatur in celeberrimam urbem, quæ modo LEODIUM dicitur. Sed de Seonensis Monasterii Patrono satis: nunc ad ejusdem historiam revertamur. Abbas itaque UDALRICUS & Conventus ibidem elegerunt LUDOVICUM Palatinum Rheni Ducem Bavariæ in Advocatum & protectorem suum, vigore privilegiorum suorum, tam Pontificiorum quam Imperalium, ita ut post illius obitum sive pater, sive alii ipsius proximi agnati eandem Advocatiam irrevocabiliter tenerent, alii vero nemini eandem concederent, Monasterium, ejus privilegia & jura defenderent. Extat latinum diploma, cujus datum in obsidione castri Hadamarsperg, Anno cIↃ. CCXLVII. Testes, Luizmannus, Wernherus de Laber, Hademarus de Laber, Siuridus de Frowenberch, Siuridus de Frowedhoven, Siuridus probus Asinus, germanice frumb Esel, Ulricus de Mosen, Henricus de Ysolzried, Diethericus Pincerna de Ode, Ortholphus de Laimingen, Arnoldus de Prisingen, Ulricus de Wildenwart, & alii complures.

Idem LUDOVICUS Dux dedit Monasterio privilegium exemptionis à teloneo in Ratenberch, ratione vini, olei, casei, & reliquorum victualium, dans illi curiam suam in Ahrain, è contra Abbas dedit duci aliqua sua jura cæterorum fundorum in vico Kufstain, & intra fossatum Ratinberch. Acta sunt hæc apud Chufstein: Testes Albero nobilis de Pruckberg, Magister D. Præpositus in Illmünster, H. de Isolzried, Ulricus de Mosen, Conradus Püchlar, Ulricus de Fruinsperch, & C. filius ipsius B. Prandelinus, & alii Anno cIↃ. CCLVII.

Huic amplissimo Cœnobio nunc præsidet A. R. & Doctissimus Abbas SIGISMUNDUS, qui præter cætera scripta, quibus nomen suum posteritati commendavit, clarissimum Ordinis nostri decus, JOANNEM TRITHEMIUM Abbatem Spanheimensem vindicavit ab infami Magiæ nota, qua apud nonnullos laborabat ob libros Steganographiæ, quos illi contra rationes physicas scriptos, superstitionis plenissimos, Magia vetita refertos, atque hoc ipso inter libros ab Ecclesia prohibitos censendos putabant. Ipse contra TRITHEMIUM non Magum, sed Ecclesiæ filium obedientissimum, subjectissimum & humillimum; eaque omnia, quæ in STEGANOGRAPHIA scripsit, physicis ac naturalibus esse subnixa principiis, ac proinde vetitæ magiæ nomine minime esse damnanda, plerisque ex ipsomet TRITHEMIO desumptis argumentis evidentissime probat, & à tanta labe & ignominia virum, de Catholica Ecclesia tam bene meritum defendit. DEUS Opt. Max. eum totius Ecclesiæ bono longum servet.

MONASTERIUM

S. CRUCIS WERDÆÆ MXXX.

S. CRUCIS Monasterium, quod est intra muros Imperialis oppidi Donawerdœ, id est, Danubianæ peninsulæ (peninsulam enim Germani Werd vocant) præclarum sanè: fundatum legitur initio pro Deo dicatis Virginibus, à MANEGOLDO sive MANGOLDO Comite Kyburgensi, Dilingensi, Werdensi, Witteslingensi & Domina TUTTA ejus Conjuge, circa annum Domini MXXX. in monte juxta arcem Mangolstein. Templum vero ejusdem merito honore dedicatum est à S. LEONE IX. P. M. III. Nonas Decemb. A. C. M. L. cum is à Moguntina Synodo Romam versus rediret, iterque per Augustam Bavariamque haberet. Tum

M etiam

etiam GUNDERADA dicti MANEGOLDI Fundatoris filia, prima erecti Cœnobii Abbatiſſa, ab ipſo LEONE IX. inſtituta & conſecrata eſt. Mandavit inſuper LEO, ut ſacroſanctæ Crucis portio, quam præfatus fundator, dum nomine Imp. Conradi Salici legatione Conſtantinopoli fungeretur, ex Græcia ſecum attulerat, & tamquam pretioſiſſimum theſaurum dicto Cœnobio contulerat, perpetim in Monaſterio Werdenſi maneat; dicto & lato in illos, qui quid contra tentaverint, anathemate. Nec deſunt divinæ ſeveritatis & vindictæ exempla in eos: qui Crucem hanc furtivis manibus harpagare conati ſunt; ut Annales Werdenſes memorant. Obiit præfatus Fundator anno M. LIII.

Auctum eſt idem Cœnobium ab aliis duobus MANGOLDIS ejusdem ſtemmatis Comitibus, qui etiam Advocati extiterunt, & in Capitulari ejusdem Cœnobii domo honorifice ſub inſigni Mauſolæo ſepulti ſunt, cum tali Epigraphe.

Tres fundatores MANGOLDI, TUTAque: flores
Cœleſtis prati, pauſant ſimul hic tumulati.

BULLA LEONIS IX. P. M. DE ADVOCATIA MONASTERII S. CRUCIS IN WERDEA.

✝ LEO EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI, GUNDERADÆ DILECTÆ IN CHRISTO FILIÆ A NOBIS Ordinatæ & conſecratæ noviter, facto à Patre tuo Manegoldo S. Crucis Monaſterio, tibique ſucceſſuris perenniter Abbatiſſis perpetuam in Domino ſalutem.

Sacræ devotionis labor, quia ſemper divino favore juvatur, ſemper optato fine terminatur. Ideo, Filia, tui Patris ampla in Deum devotio laudabilem fructum produxit: cum pro portione ſanctæ, & vivificæ Crucis, in qua Dominus noſter JESUS Chriſtus ſalus noſtra, pependit, decenter auro, & gemmis ornata, tunc ab Autocratore Conſtantinopoleos nomine Romano *dona data, cum ad eum miſſum eſſet ab Imperatore Chuonrado, ut filiam ſuam nuptum traderet ejus filio; fundavit Eccleſiam in petra: quia non ædificavit ſuper arenam; ut incumbentibus ventis, venientibus fluviis, deſcendentibus pluviis, quod ædificaſſet, rueret; ſed firmiter fundatum, perenniter permaneret.*

Ut vero votum ſuæ conſtructionis Deo ſolueret, ſecundum illum, qui dixit; Vovete & reddite Domino Deo veſtro, omnes, qui in circuitu ejus affertis munera; *nos à Moguntina Synodo Romam verſus redeuntes, ad ipſum Dei templum venire invitavit, quod à nobis III. Non. Decemb. merito honore dedicatum, ſic tandem juri S. R. E. & beatiſſimo Petro Apoſtolo prompto donavit, & obtulit animo, teque filiam ſuam, quam jam Deo in monaſtica converſatione, & habitu ſacraverat; ejusdem, rogavit a nobis fieri Abbatiſſam, loci. Id auſpice Deo, fecimus, attendentes, in te, quantum homini eſt poſſibile, timorem Dei, cordis compunctionem, mentis humilitatem, morum gravitatem, in adoleſcentibus membris prætendentem jam ſenectutem: & conſtituentes eundem locum eſſe in perpetuum Ancillarum Dei Monaſterium; ubi tu de te, & ſororibus tuis primas Deo primitias offeras Religionis, merita caſtitatis, omnisque bonitatis.*

Hoc tamen nomine noſtræ Apoſtolicæ ſedi, parens tuus, eandem fecit oblationem, ut, dum ipſe vivit, ipſius loci Advocatiam *habeat; ſimiliter & poſt mortem ipſius,* quem nunc habet, filius. Qui filius, ſi hæredem habuerit, *ipſe quoque* Advocatus *ſit. Si vero vel ipſi Manegoldo, vel ejus filiolo, nemo filius ſuperſtes extiterit, tunc liceat Abbatiſſæ, ipſique Congregationi, Advocatum ſibi, ſecundum Deum, eligere, petendum tamen ab Apoſtolica ſede.*

Lex vero omnium Advocatorum poſt Manegoldum talis erit: ut, quisquis eorum digne non adminiſtraverit, Advocationis officium, liceat Abbatiſſæ, ipſique Congregationi de eo apud Papam conqueri. Qui, ſi vocatus ab eo fuerit, & Monaſterio ſatisfecerit, Advocationem *ſuam retineat. Quod ſi venire diſtulerit, aut, ſi venerit, & non ſatisfecerit, tunc liceat Abbatiſſæ, ipſique Congregationi ex conſenſu Papæ talem ſibi Advocatum eligere, qui ſecundum Deum ſit. Poſt obitum vero tuum, de ipſa congregatione, quæ melior ſit, eligatur, ſi idonea inventa fuerit, eaque donum & conſecrationem Abbatiæ à Papa recipiat: alioqui de alia Congregatione idonea eligatur, à Papa ſimiliter donanda, & conſecranda.*

Decer-

Decernimus præterea, ut in altari majori, quod nos ipsi consecravimus, nullus audeat Missam celebrare, nisi sit Episcopus, vel Abbas, tresque sacerdotes hebdomadarii ad hoc officium deputati, eorumque successores. Episcopus quoque in cujus parochia locus est, nihil sibi in eo vendicare audeat, præter ordinationem facere Clericorum & Monialium, si tamen gratis fecerit. Sin autem; ordinationes expetent ab alio, quocunque velint, Episcopo.

Ut vero locus ipse in Quadragesimali tempore solvat Papæ annuam pensionem, statuit idem Manegoldus, pensionem ipsam esse anabolagium, id est, Fanonem, stolam cum auro, manipulum, & cingulum. Nos vero quia locus ipse conditus est propter eam, quæ supra dicta est, sanctæ, & vivificæ Crucis portionem; eandem inibi semper manere volumus, cupimus, & optamus, & à nemine auferri, statuentes Apostolica censura sub divini judicii obtestatione, ut nullus Imperator, nullus Rex, nullus Episcopus, nulla præterea magna parvaque persona, eandem vivifici ligni portionem ab ipso Monasterio audeat auferre quolibet modo, vel aliquid facere contra omnia, quæ superius scripta sunt; sed nec etiam aliquid diminuere, de bonis ejusdem monasterii, quæ modo habet, & usque in æternum habebit, quolibet furto, quolibet raptu, quolibet alienationis modo. Id, qui præsumpserit, donec digne satisfecerit, anathema sit. Qui vero pio intuitu custos, & observator hujus nostri privilegii extiterit, à Domino Deo benedictionem consequatur, & æternæ vitæ particeps efficiatur. ✝

Datæ III. Non. Decemb. per manus Petri Diaconi Bibliothecarii, & Cancellarii sanctæ Apostolicæ sedis. Anno Domini Leonis IX. Papæ I. Indictione III.

Hoc Cœnobium postea in planitiem translatum est ad SS. NICOLAUM & VITUM Anno MLXVIII. consensu ALEXANDRI II. & tandem tertio eum in locum, in quo hodie visitur: quando nimirum in Monialium locum collapsa disciplina, & Monastica professionis rigore laxato, substituti sunt Monachi ex sancto BLASIO in sylva Hercinia exciti, & quidem, ut Annales notant, Anno M. CI. consensu PASCHALIS II. quæ omnia clarius patebunt ex sequenti Diplomate.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI DILECTO IN CHRISTO FILIO DIETRICO ABBATI MONASTERII S. CRUCIS DE WERD, ejusque successoribus regulariter substituendis.

Quemadmodum ex gestis prædecessoris nostri S. memoriæ Leonis IX. Papa didicimus, nobilis quondam vir Mangoldus de Werde, devotionis intuitu, Monasterium in castro suo construxit, quod B. PETRO Apostolorum Prircipi offerens, fecit in honore sanctæ & vivificæ Crucis, per manus ejusdem Romani Pontificis consecrari, sanctimoniales fæminas ibidem DEO servituras instituit.

Factum est autem, ut eodem cœnobio per operam pravorum hominum diruto, atque devastato alter Mangoldus, jam dicti nobilis viri filius ab Apostolica sede obtinuit, ut sibi licentia præberetur, idem Monasterium ad alia loca transferre, ac per hoc, juxta ipsum Castrum, in planitie terræ fundavit Ecclesiam, & sanctimoniales ibi ad DEI servitium deputavit. Quibus utique tam religione, quam numero decrescentibus, tertius Mangoldus prædecessorum nostrum egregiæ recordationis Paschalem Papam humiliter adiit, & ut amotis sanctimonialibus, in eodem loco monachi ponerentur, expetiit. Cujus petitioni Romanus Pontifex benigne consensit, & Gebhardo, quondam Constantiensi Episcopo tunc Apostolicæ sedis legato per sua scripta mandavit, ut videlicet de Cella sancti Blasii monachi assumerentur, & in eodem Monasterio ponerentur. Quod, cum præfatus Episcopus implevisset, idem locus tam in temporalibus, quam in spiritualibus, DEO gratiæ sint, plurimum augmentatus est.

Quod igitur, dilecte fili Dietrice Abbas, à nobis humiliter postulasti, ut idem Cœnobium, cui, DEO auctore, præsides, Apostolicæ sedis privilegio muniremus, nos, quorum præcipue interest, loca, quæ ad jus S. Rom. Ecclesiæ pertinent, diligere, ac fovere, interventu dilecti filii nostri quarti Mangoldi illustris viri, tuis desideriis benignitate debita duximus annuendum.

Per præsentis itaque privilegii paginam Apostolica auctoritate statuimus, ut idem Cœnobium ab ipsis fundatoribus B. PETRO oblatum perpetuis temporibus sub sanctæ Romanæ Ecclesiæ tutela consistat; & ordo monasticus, qui secundum B. BENEDICTI re-

gulam, per jam dilectum prædecessorem nostrum ibidem noscitur institutus, absque sexus varietate, seu mutatione in eodem loco irrefragabiliter observetur. Prohibemus etiam ut diœcesanus Episcopus in eodem loco nihil audeat sibi vendicare exceptis consecrationibus Altarium, vel Ecclesiarum, Ordinationibus Monachorum seu etiam Clericorum, si tamen hæc ipsa vobis gratis & sine exactione, vel pravitate exhibere voluerit. Alioquin, quemcunque malueritis, Catholicum adeatis Antistitem, ab eodem, quæ ad spiritualia pertinent, suscepturi. Sepulturam quoque ipsius loci liberam fore decernimus, ut videlicet eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni, ac supremæ voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat, salva nimirum justitia matris Ecclesiæ.

Decernimus igitur, ut nulli omnino hominum liceat portionem ligni vivificæ Crucis, quæ in eodem loco recondita esse creditur, pro cujus honore vestrum cœnobium factum est, exinde amovere, vel quidquam ex his, quæ jam dictus prædecessor noster Leo Nonus eidem firmavit Ecclesiæ, quæve in præsentiarum canonice possidetis, aut in futurum concessione, largitione Imperatorum, vel Principum oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poteritis adipisci firma vobis in perpetuum & illibata serventur. Ad indicium autem, quod Monasterium vestrum juris sit B. Petri, unum aureum singulis annis nobis, nostrisque successoribus persolvetis.

Si qua igitur in posterum Ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere, de perpetua iniquitate, cognoscat, & à sacratissimo corpore, & sanguine Dei & Domini nostri JESU Christi, aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultiori subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri JESU Christi, quatenus & hic fructum actionis percipiant, & apud districtum judicium præmia æternæ pacis inveniant, Amen, Amen.

Ego INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✝ *Ego WILHELMUS Prænestinus Episcopus.*

✝ *Ego GERHARDUS Presbyter Cardinalis tit. S. Crucis in Hierusalem.*

Datæ Pisis per manum Aimerici S. R. E. Diaconi Cardinalis, & Cancellarii XIII. *Kal. Julii, Indictione* XIII. *Incarnationis Dominicæ, Anno* M. C. XXXVI. *Pontificatus Domini Innocentii Papæ II. Anno VI.*

Multa alia privilegia tam per Bullas Pontificum; quam per constitutiones Imperatorum Werdensi Monasterio concessa sunt, quas hic percensere, nil attinet.

Istud non est omittendum, in hoc celebri Monasterio asservari ac religiose coli portionem ligni S. Crucis, quam MANGOLDUS fundator ex Græcia secum tulerat, ut supra etiam tetigimus, ejus descriptionem hic accipe.

Tabella ipsa lamina constat aurea, lichadis unius longitudine; latitudine minor, uncia. In hujus medio, Crux est, ut vulgo vocant, Hierosolymitana; longitudine digitali; capitello constans & basi ex eadem ligni materia. Duo alia transversa ligna, quæ partim è medio, partim nonnihil post fastigium promicant; non pari omnino constant magnitudine. Quod enim medium occupat, duorum prope pollicum est: Alterum, nonnihil est brevius. Basis & fastigium, æquabili proportione brevitate præstant. Latitudo omnium fere par est: nisi quod partes illæ quæ fastigio propiores sunt, minores, tenuioresque appareant. Trium autem est granorum. Porro ne crux ipsi tabulæ insita insertaque labet; argenteis uncinis supra, infraque geminis innectitur. In quatuor angulis quaterna sunt ostiola, quæ reliquiaria totidem occludunt, celantque. Reliqua in hoc tabellæ aureæ spatio, parerga, ut stellæ, rosæ, scutaque bina obtinent.

Quæ quidem tabella S. CRUCIS aurea, margine itidem aureo cingitur, insigniturque cum unionibus prægrandibus sexdecim: quibus scutulis suis vel orbiculis intermicant gemmæ undeviginti magnitudine, ac precio variæ atque dispares: ut sunt adamantes, pyropi, smaragdi, ametysti, sapphiri. Quod quidem emblema sertumque gemmeum, quod S. Crucis hujus iconismum ambit, munificentia donatum, & oblatum est MAXIMILIANI I. Imperatoris religiosissimi, & liberalissimi; Pars enim

enim poſtica tabulæ hujus, quæ grandiusculis literis epigraphen præfert, eam Imperatoris hujus pietatem & beneficentiam diſerte prædicat: ſic autem habet.

MAXIMILIANUS. RO. AC. UNGARIÆ. REX. ARCHIDUX. AUSTRIÆ. DUX. BURGUNDIÆ. &c. ME. 12. KLAS. MAY. VISITAVIT. ANNI. DNI. 146. QUI. HUIC. ECCLESIE. SCE. CRUCIS. WERDEE. PER. MANGOLDUM. EX. NOBILIORI. GENERE. ELPHECIORUM. DE. SANGUINE. DUCUM. SVEVIÆ. TUNC. ECIA. COMITEM. IN. DILINGEN. CUM. FUNDATIONE. ME. DONATA. AMPLIUS. DECORAVIT. NAM. ET. IPSO. NULLUS. VIVENCIUM. LONGE. AUT. PROPE. PLUS. TRAXIT. ORIGINEM. DE. HABSPURGENSIBUS. VEL. KIBURGENSIBUS. PARTICEPS. ET. IPSE. SIT. DEVOTIONIS. IN. ÆVUM. AMEN.
CONSUMMATUM. EST. HOC. OPUS. ANNO. DOMINI. MILLESIMO. QUINGENTESIMO. TERTIO. DECIMO.

Epithema vero ſeu operculum quo S. CRUX tegi ſolet, eſt hujusmodi. Septenas continet imagines, ex opere teſſellato, Moſaico ſeu Muſivo, quo imaginum genere olim Græci valde delectabantur; & hoc etiam ævo delectantur. Superne ad dexteram, viſitur icon *Joannis Baptiſtæ*, orbi incluſa; additis his characteribus Græcanicis; ὁ ἅγιος πρόδρομος, *ſanctus Præcurſor.* Ad lævam conſpicitur effigies *S. Joannis Evangeliſtæ*, cum hac deſignatione ὁ ἅγιος ἰωάννης θεολόγος, *S. Joannes Theologus.* Inferne ad dexteram, apparet ὁ ἅγιος πέτρος. *S. Petrus.* Ad ſiniſtram, ὁ ἅγιος παῦλος. *S. Paulus.* In medio cernitur imago Deiparæ ſolio inſidentis, & in gremio puerulum JESUM geſtantis, addita hac inſcriptione; μήτηρ θεοῦ, *Mater Dei.* Ad dextram virginis, intra eundem ambitum, eſt imago *Michaelis Archangeli*, ad ſiniſtram, *Gabrielis.* Illi adſcriptum eſt μιχαηλ; huic γαβριηλ. Sub Angelicis icunculis apparent characteres nonnulli, quorum expoſitionem ſagacioribus relinquo; nam mihi quidem hic ſunt denſæ tenebræ. Non ambigo tamen referendos ad Deiparam Virginem, & puellum Chriſtum, quem in ſinu geſtat. Opus & forma ſeu ſchemate & imaginibus plane eſt Græcanicum, ut agnoſcent, quibus vel modica Græcarum rerum notitia ſuppetit. Ingens olim cum priſca pietas in Germania adhuc floreret, ad hanc Crucem factus eſt omnium hominum concurſus. Præſertim feſtis *Inventæ & Exaltatæ* Crucis, & die, quo Templi S. Crucis dedicatio peragebatur. Multis miraculis claruit. Commemorabile eſt illud, quod contigit anno Redemptoris M. CCC. XVII. IV. Kal. Febr. cum oppoſitu S. Crucis ſæviſſimum incendium reſtinctum eſt, ad eum ferme modum, quo S. PAULINUS olim ſimilis portionis de S. Cruce objectu, populabundis flammis terminum fixit, ne ultra progrederentur: de quo lege P. Gretſ. tom. 1. lib. 1. c. 85. de S. Cruce: certe ob crebritatem miraculorum, quæ virtute hujus Crucis edebantur, fecit quidam patrum memoria hos verſiculos leoninos:

Crux pia Werdenſis, non præterit horula menſis,
Quin radiet dignis per ſex nunc ſecula ſignis.

Sepulta eſt in eodem templo MARIA Brabantina, uxor LUDOVICI Bavariæ Ducis, ab eodem ob ſuſpitionem adulterii decollari juſſa, cum tali inſcriptione: *Anno Domini* cIↃ CC. LVI. XV. *Kal. Februarii in caſtro Werd obiit Domina MARIA Duciſſa Bavariæ, filia Ducis de Brabandt.*

MONASTERIUM

LAMBACH MLVI.

LAMBACENSE antiquum & perquam celebre Monaſterium, in LAMBACHHIO Auſtriæ ſupra Anaſum ſitæ oppidulo, ad ſiniſtram TRUNÆ fluminis, inter Schwaigii & Agrii fluviolorum congreſſus loco amœniſſimo duobus lapidibus à Welſio op-

fio oppido, & totidem à Cremiphano perilluſtri Cœnobio, in Pataviensi Diœceſi ſitum, hac ratione fundatum legitur.

ARNOLDUS præpotens ac illuſtris Comes Lambacenſis, cum chariſſimam uxorem REGINAM de Wenſperg Comitiſſam ex Oſtrofrancis genitam, morte abreptam amiſiſſet, filiis quoque ARNOLDO & GODEFRIDO ſine hæredibus vita functis orbatus fuiſſet, ſuadente reſiduo unico filio, qui Herbipolenſem Eccleſiam Pontifex regebat, DEUM Opt. Max. poſſeſſionum & fortunarum ſuarum hæredem ſcribere decrevit, & Lambacenſe conſpicuum ac elegans caſtrum, in Monaſterium convertit, addito ſub invocatione & honore B. MARIÆ Virginis non exiguo templo. Aggregavit præterea duodecim Clericos, non ut communem vitam ſub regulari inſtituto ſequerentur, ſed ut certis & ſtatutis temporibus vel horis, ad Eccleſiam divinas laudes cantaturi convenirent; inde ad ſuam quisque domunculam (nam in vicinia circumquaque ſinguli ſingulas ædes habebant) redirent.

Accidit poſtea, ut poſt mortem patris quoque ADALBERO Epiſcopus, unicus filius & hæres paternorum bonorum ſolum vertere juſſus (cauſam ſtatim explicabimus) in Noricum ad Lambacenſe Cœnobium diverteret. Ingraveſcente enim HENRICI IV. Cæſaris malitia, multi ab eo defecerunt SIGFRIDUS Maguntiacenſis, ALBERTUS Wormatiæ, ADALBERO hic noſter WIRTZBURGI, alii Epiſcopi, & pene tota Saxonia. Contigit hoc A. C. cIↄ. LXXII. Anno ſequenti, ALEXANDRI ſucceſſor pontificatus creatus GREGORIUS VII. noſtri ordinis, ex Comitibus Bitilianis Hiltebrandus prius nominatus, & Cluniaci monachus. Dignitatem is cœpit X. Kal. MaI, magno omnium bonorum conſenſu, qualem ea tempora optabant, inter omnes pontifices præcipui zeli, & auctoritatis, vere apoſtolicus. Is ubi primum pontificatum ingreſſus eſt reſtituendæ Eccleſiæ dignitati animum, curamque mature advertit. Et quia ſacri ordinis excellentia ante omnia indignum arbitrabatur, ſi muneris executionem ab laicis acciperet, eorumque beneficiarius, & ſubditus eſſet, Synodum apud Lateranum anno ſequenti cIↄ LXXIV. fecit, in qua ita de ſacerdotiis decrevit, *ut qui à laico Eccleſia inveſtituram acceperit, quique dat, quique accipit anathemate obligetur.* De clericis vero, *uxores ne ducant, quique habent eas, aut ſacerdotium amittant, neque quisquam ad id vocetur, qui non perpetuum cælibatum profeſſus ſit.* Scripſit & ad Cæſarem Eccleſiaſticis collationibus abſtineat, ni faciat, ſacrorum interdictionem minatus. Graves inde in Eccleſia, ſed præcipue in Germania turbæ, inſtigante etiam ipſos Epiſcopos, & antiſtites, ob cœlibatus indictionem, contra pontificem Cæſare. Pontifex vero videns monita ſua à Cæſare ludibrio haberi, minas contemni, eum tandem anno cIↄ LXXVI. ſacro anathemate percuſſit, & omnes ejus ſectatores, ſubditos, & in primis Italiam ejusdem ſacramento, & obſequio liberavit. Secuta hinc omnium pene Principum ab Cæſare defectio, quorum facile principes SIGFRIDUS Maguntiacenſis, BERCHTOLDUS Zeringiu, OTHO Saxoniæ, RUDOLPHUS Allemanniæ duces, noſter ADALBERO Herbipolenſis, & Mediomatricum Epiſcopi, qui comitiis Forchtheimi factis; RUDOLPHUM Allemanniæ ducum contra HENRICUM Romanorum regem renunciarunt, & Maguntiaci XII. Kal. Aprilis per SIGFRIDUM coronandum curarunt, adprobante, & ad obediendum ei, tamquam legitimo regi, omnes proceres adhortante pontifice. Atque hæc probabilior cauſſa ADALBERONI Epiſcopatum deferendi fuit, quam diſſidium HENRICI Patris, & Filii, quod tamen literis conſignare quidam non ſunt veriti, nulla temporis habita ratione, quod cum veritate conſtare non poſſe, nemo eſt, qui non videat, cum id XV, demum annis poſt ADALBERONIS mortem evenerit.

Cum itaque ADALBERO Pontificis partes tueretur, ab HENRICO Epiſcopatu dejectus ſeceſſit in Noricum, ad terram patrum ſuorum: inveniensque hæreditatem paternam fere exhæredatam, (verba Scriptoris vitæ refero) & ſpiritu conſilii repente informatus, ſeipſum cum omni patrimonio ad Cœnobium B MARIÆ tranſtulit, & locum ſibi dilectiſſimum, qui charos parentum ſuorum cineres, avi vide-

videlicet, patris & matris, fratrum, aliorumque consanguineorum felici gremio foveret, & ubi, ut hodie cernitur, requiem sibi in seculum seculi elegit.

Videns autem antiquam patris institutionem in Lambacensi loco constare non posse, officia tam nocturna, quam diurna negligenter, nec suo tempore celebrari, clericos ibi dispositos non tute à casulis suis posse egredi propter timores nocturnos; quia sæpe numero arcerent eos, & includerent tempestates, imbrium, coruscationes fulgurum; brumali vero tempore densitates nivium, sævitia nefandarum bestiarum, pericula latronum, & alia, quæ longum est enarrare, genera dispendiorum. Afferebat insuper, magis congruum fore, Cœnobitam à secretis Cœnobii, non rure, ad divina peragenda, absque periculis corporis, & timoribus humanis prodire. Super hac re consuluit Episcopum Pataviensem ALTMANNUM, in cujus diœcesi locus ille situs est, summique Pontificis GREGORII VII. consensum expetiit: quo habito, Clericos semovit, Monasticamque vitam in Labacensi Cœnobio instituit: & quicunque ex clericorum ordine ad hoc propositum transire voluissent, non prohibebantur; nolentes non cogebantur: necessaria tamen iis quoad viverent, providebantur.

Præfecit autem Fratribus inibi degentibus Abbatem EGKEBERTUM, virum venerabilem, morum honestate DEO complacentem: qui postea occasione accepta humillimis obtinuit precibus, ut ipse abrogaretur, & unus è Fratribus suis, BECEMANNIS subrogaretur. Qui adeptus Abbatiæ dignitatem sobrie, juste, & pie vivens, curam ejus quamdiu Domino placuit administravit, beatoque fine ex hujus incolatu sæculi ad autorem vitæ transivit. Sed hæc omnia plenius in literis fundationis continentur, quas hic inserere non inopportunum est visum.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ego ADALBERO DEI gratia Wirtzburgensis Episcopus, notum esse volo omnibus Christi fidelibus, qualiter parentes mei ob salutem animarum suarum, in loco Lambach dicto, Congregationem instituerunt Clericorum, & qualiter ego hæres eorum factus, Licentia Domini Apostolici, Papæ GREGORII (qui & Hildebrandus) pro hac, in eodem loco, Congregationem substitui Monachorum, consensu & consilio Parochiani Episcopi Pataviensis, scilicet ALTMANNI.

Et quoniam communis vita Monachorum, plus indiget, quam secularium conventus Clericorum, ad supplementum eorum ex nostro adauxi fisco, quatuor videlicet silvas: quarum duæ juxta Trunam in parte Aquilonari sunt sitæ; una mercato Wels inferior; alia superior: inferioris vero Hardis nemorarius erat Enzo; superioris autem Hardis nemorarius erat Engizo.

Ex altera autem parte ejusdem fluminis Trunæ contra Meridiem, duæ silvæ; una ad Buchenloch, cujus memorarius Bero erat; altera ad Eiterwald, cujus nemorarius Ello erat. In his ergo silvis solus Abbas, absque nulla contradictione, pro suo libitu habet potestatem evellendi, domos ædificandi, plantandi, molendinas faciendi, venandi, insuper quicquid ad utilitatem Fratrum inde poterit excogitari.

Addidi insuper quantum mihi prædii de patruo meo Arbone ad Zwisil contigit, & vicinum mercatum ad Wels; duo præterea mercata in Francia; unum ad Onoldesbach, ad Geroldeshoven alterum, cum omni utilitate ad ipsa pertinente; & Parochiam, quæ dicitur Tutensteten. Hæc omnia ECKEBERTO venerabili Abbati commisi, eo quo ego hæc jure habui, Monasteriique curam, potestative habere feci.

Hujus rei testes sunt, Eberhardus Comes, Marquardus, Gerungus, Ebo, Heinricus, Zeizolf, Arbo, itemque Porn, Nendingus, Arbo, Herrandus, Penno, Wermut, Arbo, Erckenbertus, Adalramus, Altmannus, Adelbertus. Actum est Ratisbonæ, Anno 1056. *Indictione* 9. *Episcopatus autem Domini Adalberonis duodecimo.*

Deinde post aliquantum temporis, Abbatis Ekeberti coactus piis petitionibus ab hoc onere sibi imposito eum absolvi: sed ex suis ille unum Fratrem, nomine Becemannum, in hoc Abbatia onus elegit. Hunc quoque pergens mecum illuc adduxi, eandemque rem, qualiter antecessori suo commissa erat, commisi.

Cum autem hoc ipsum Monasterium instauratum à supradicto Episcopo Altmanno, & à me pariter dedicaretur, Anno Dominicæ Incarnationis 1088. *Indictione* 12. *Epacta* 6. *Concurr.* 6. 18. *Kalendas Octobris. Anno ordinationis Domini Altmanni* 25. *meique*

que 45. *iterum, & tertio hæc quæ prius feci renovavi, tradens tunc ad altare ſanctæ Mariæ & ſancti Kyliani unam ſtabulariam curtem ad dotem, ſimul cum his omnibus, quæ à me, vel à parentibus meis ante ad illud tradita fuerant. Hæc Epiſcopali banno, atque hujusmodi anathemate ambo Epiſcopi confirmavimus: ut ſi quis hanc traditionem deſtruere præſumpſerit, ligatis manibus & pedibus mittatur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.*

Dedicatio ejusdem templi ſolenniter peracta eſt Anno Domini cIↃ.LXXXVIII. XVII. Kal. Octobr. quando nimirum Epiſcopus ALTMANNUS principale altare in honorem B. DEI Genitricis, & SS. Kyliani & ſociorum martyrum, Altare vero quod ſecundum à principali locum obtinet, B. ADALBERO in honorem S. JOANNIS Evangeliſtæ, & SS. quorum reliquiæ ibi ſunt reconditæ, conſecrarunt.

Obiit B. ADALBERO A. C. cIↃ XC. Prid. Non. Octobr. in eodem Monaſterio ſepultus, ubi etiam plurimis claruit miraculis.

Anno poſt hæc MCLXIII. BERNARDUS hujus loci Abbas privilegia conſequutus eſt ab ALEXANDRO III. qui Monaſterium Lambacenſe ſub B. PETRI tuitionem ſuſcepit.

Rurſum anno cIↃ. CC. XXXIII. Auſtriæ & Bavariæ Ducibus hoſtili animo bella inter ſe gerentibus Cœnobium hoc exuſtum ac pene totum everſum eſt, quod circa annum cIↃ CCLVII. denuo inſtauratum templumque hoc ab OTHONE Patavienſi Epiſcopo conſecratum eſt A. C. cIↃ. CCLXI. Altare vero ad tumulum B. ADALBERONIS in honorem S. SPIRITUS, & B. MARIÆ Virginis conſecratum eſt à BERNARDO Patavienſi itidem Epiſcopo Anno D. cIↃ CCIC. Anno vero MCCCLXXVIII. à BLASIO Milenſi Epiſcopo conſecrata eſt ara S. TRINITATI dicata in parochiali templo, quod non procul à Monaſterio in amœniſſimo colle ſitum SS. JOANNI BAPTISTÆ, & JOANNI Apoſtolo & Evangeliſtæ dicatum eſt.

Principale vero corpus Eccleſiæ ampliavit JOANNES à Dagſperg nobilis Baro, hujus Monaſterii Abbas, ſecundarius quaſi fundator & reparator, qui idem reformavit, & ad regularem obſervantiam reduxit Anno ſalutis MCDXXIX. Hujus ſucceſſor THOMAS veteri ac ruinoſo choro diruto novum chorum condidit, quem abſolvit & à SIGISMUNDO Salanenſi Epiſcopo conſecrari fecit A. C. MCDL. XIV. Conſequutus eſt inſignia privilegia Mantuæ à PIO II. P. M. & inter cætera plenariam etiam abſolvendi poteſtatem.

Huic Monaſterio ſumma cum laude jam XX. anno præeſt A. R. D. Joannes, qui nullis ſumptibus parcens, (quod alias in tanta dignitate hoc ſeculo rarum eſſe ſolet) inſignia quædam vetuſtatis monimenta, aliaque multis adhuc profutura, typis evulgare, publicique juris facere ſtudet, inter cetera etiam fundatoris ipſius vitam: cui proinde multos adhuc annos & cuncta proſpera à Domino Deo exoptamus.

MONASTERIUM
SCHEUREN MLXXVII.

SCHIRA nobile & antiquum Bavariæ Monaſterium in colle amœno ſitum, non procul ab Oppido, quod Pfaffenhoffen indigitatur. Multa ſane ſunt, & magnifica, quæ illud nobilitent. Nam ſi originem ſpectemus, conditores habuit celeberrimos Principes ac Comites SCHIRENSES, præſertim OTHONEM & HAZIGAM Regis Aragoniæ filiam, ſi incunabula; ex Arce & avita Schirenſium Procerum ſede fortunatis auſpiciis exſtitit: ſi poſituram, & ſitum; loco amæniſſimo exſtructum eſt, in colle herbido & viridante, quem undique horti & agri fructiferi ac frumentiferi cingunt. Si antiquitatem; jam ſexcenteſimum annum agere cœpit. Si Præſules & religioſos incolas; multos pietate & eruditione præſtantes viros aluit.

Et

Et quidem, si primas tribuam ERCHENWOLDO Abbati primo; nemo, opinor, jure me reprehenderit; quippe qui ex disciplina & institutione eximii illius, & omnium Annalium voce decantatissimi WILHELMI Abbatis Hirsaugiensis profectus, tanti magistri haud degener discipulus, posteris omnibus, ad BENEDICTINI instituti acuratam observationem, exemplo præivit; adductis secum ex eadem WILHELMIANA schola duodecim sodalibus; qui veluti duodecim fundamenta, ad imitationem cœlestis illius civitatis, de qua in Apocalypsi D. Joannis, Schirense Cœnobium, religione, omnique virtutum genere fundarent ac solidarent. Ejus primam originem ita describunt ex Aventino Bruschius, Hundius, & Autbertus Myræus.

SCHIRUM, Comitum Schirensium initio magnificum castrum fuisse legitur, quod construxit *Arnolphus* Comes Schirensis, filius *Arnoldi* mali. In Monasterium vero conversum est hoc modo: Inchoata erat ab *Othone* & *Alberto*, nobilibus viris, solitudinemque amantibus hominibus, in horum ipsorum Comitum ac Principum Schirensium ditione, montanis videlicet Bavariæ, juxta altissimum ejus Provinciæ jugum, quod acolæ den Wendelstein vocant, Eremitica quædam cella & Ecclesiola, Annum Christi circiter MLXXVII. consentientibus, OTHONE Schirensi Comite, ejusque uxore, Domina HAZIGA, Aragonum Regis filia, & utriusque filiis, *Ecchardo*, *Bernardo*, & *Othone*, Principibus Schirensibus. Hæc cella jussu *Ellenhardi*, Frisingensis Episcopi, ea tempestate ægrotantis ac graviter decumbentis, à Pontifice quodam Polensi consecrata est. Decedente vero paulo post ex hac vita Principe OTHONE, Anno nimirum, Christi MLXXIX. Domina HAZIGA, relicta OTHONIS conjunx, iterum jam vidua facta (habuit enim prius maritum *Hermannum*, Comitem de Castl & Sulzbach) cum filiorum suorum consensu, ex humili ac Eremitarum domo ac Ecclesiola, celebre Monasterium construere, & in memoriam mariti sui liberaliter dotare decrevit.

TRANSTULIT vero Monasticam sedem in paulo amœniorem locum, qui hodie adhuc à præfluente pisculentissimo fluviolo Vischbachaw dici solet, & quatuordecim miliaribus à SCHIRA, septem à Monaco, duobus à S. QUIRINI Tigurino Monasterio abest, ad pedem montis Khuezagel cognominati in Aiblingensi districtu situm, ubi adhuc hac tempestate duo sunt templa, quorum aliud S. MARTINO, alterum B. VIRGINI dicatum est, & Præpositura Monasterio Schirensi incorporata. Hunc locum Domina HAZIGA fundatrix & pagis & vineis plurimis ditavit, in hoc loco cœpit Monastica D. BENEDICTI congregatio; in hoc Domina fundatrix mortua & humata, at postea SCHIRAM translata est.

Sed nec iste locus diu satis placuit, post sex enim annos à prima translatione, iterum mutata est sedes: & secundo translatum Monasterium è montanis in paulo liberiorem agrum ad Glanum fluvium, qui non procul inde in Ambram cadit, Usenhofium, antiquitus Glanegk à fluvio dictum, tribus miliaribus à Schirensi Monasterio situm. Illic in monte S. PETRI (ubi hodie adhuc Templum visitur, ab OTTONE, HAZIGÆ fundatricis filio, & à BERTHOLDO Comite de Burggheim ante duas aras ibidem sepultis, constructum) tertio inchoatum est Monasterium, sub primo adhuc Abbate ERCHENBOLDO. Quo loco cum sedecim annis mansum & propter aquarum in sublimi monte S. PETRI defectum, locus iste etiam parum commodus Monachis visus esset: quarto translatum est Cœnobium nuper inceptum, in ipsam Principum Schirensium (unanimi eorundem omnium consensu) avitam arcem ac sedem, amplam illam quidem, sed admodum ruinosam ac fere desertam, & ad extremam prorsus interneciouem spectantem. Hæc Schirensis Monasterii initia sunt & exordia certissima. Monumentorum nihil amplius ibi est celebrium, quam in media Ecclesia sublimis tumulus OTHONIS fundatoris, ac D. HAZIGÆ fundatricis.

IN INGRESSU domus Capitularis est altus de terra elevatus tumulus, sub quo CXX. utriusque sexus Comitum ac Principum Schirensium corpora sita, & in subterranea crypta, quasi ordine collocata esse dicuntur. Nomina ipsa Comitum

ac Principum iſtorum interciderunt, ſed præcipuorum hujus loci fundatorum ac benefactorum extant.

LUDOVICUS Imperator dedit huic Monaſterio omnimodam jurisdictionem in ſuos ſubditos, exceptis homicidio, ſtupro violento ac furtis, & hoc propter maxima damna pro Imperatore exantlata, Anno C. M. CCC. XV.

Confirmat hoc LUDOVICUS Marchio Brandenburgenſis filius, una cum aliis Cœnobii privilegiis, Anno MCCCXCIIX.

Habuit hoc Cœnobium complures tam monaſticæ vitæ cultu, quam & litterarum ſcientia conſpicuos viros. Inter quos CONRADUS quidam præcipue enituit, cui hoc monumentum ære perennius poſuit Aventinus: (*init. lib. 7. hiſt. Bojor.*

CONRADUS PHILOSOPHUS MONACHUS IN SCHEURN PRIMARIUS ET ÆDITUUS, HOMO DILIGENTISSIMUS, QUI MANIBUS SUIS PLUS QUAM QUINGENTA, UT TUM MOS FUIT MONACHORUM, INGENTIA VOLUMINA SCRIPSIT IN MEMBRANIS, POETAS, ORATORES, HISTORICOS, VETERES THEOLOGOS, QUÆ IN SCHEURN MONSTRANTUR, UBI ET CHRONICON EJUS AUTOGRAPHON SERVATUR. IMPERATORE FRIDERICO II. RERUM POTIENTE OBIIT.

In eodem Monaſterio aſſervatur & religioſe colitur Crux ex ligno Dominicæ Crucis confecta; quæ quaſi ſpithamæ unius, longitudine; latitudine, duorum eſt granorum: (quorum quatuor faciunt unciam, ſeu digitum) Dividitur vero, cum ſupra; tum nonnihil infra medium, transverſis portionibus, quatuor quidem unciarum circa ejusdem umbilicum; duarum, circa verticem. Colore autem eſt ſpadiceo, ſeu caſtaneo. Porro extrema ipſa ſena, forma ſemilunari facta & effigiata cernuntur.

De hac cruce ita Aventinus anno Chriſti M. C. LVI. CONRADUS *iſte Dux Dalmatiæ, Comesque Dachuni ſalutiferæ Crucis, ſacroſanctique ligni magnam partem ab Heraclito Patriarcha Hieroſolymitano impetravit. Hoc quoque omine, quicunque preſſus inopia, valetudineve adverſa Solymos proficiſci nequiverit, non minorem veniam, quam ſi illuc iviſſet, conſequitur: ſiquidem donaria pro ſua pietate elargitus fuerit. Hoc ſacroſanctum munus Conradus Dux Cœnobio Schirenſi tradidit. Ubi adhuc ſervatur, ac magna reverentia celebratur: convenit huc certatim ſingularem ſeptimanarum ſexto quoque die populus, ac ſacerdotes complures, uti conſpeximus.*

Fama conſtantiſſima manat (ſicuti ego quoque à gravibus viris accepi) quicunque hanc ſacroſanctæ Crucis partem, dum ei monſtratur, conſpicatus non fuerit, aut crimini flagitioſo obnoxium eſſe, aut eodem anno procul dubio moriturum. Id quod mea memoria eventu probatum ſæpius audivi. Admodum ſabre, magnificeque hæc ſacra argento, auroque incluſit Reverendus Pater Dominus Joannes Tarbeit Monaſterii Schirenſis mea ætate Abbas, ſingularis prudentiæ atque diligentiæ homo. Extant adhuc, ac diligenter, & adhuc integra ſervantur, & obſignata duo diplomata Friderici (Folcherii) & Heracliti Patriarcharum, cum Græcarum literarum inſcriptione, ex quibus pleraque excepſimus.

Ea Diplomata integra cum pererudito commentario & notis reperies in ſecunda parte Horti S. Crucis R. P. Jacobi Gretſeri S. J. qui & inter cetera ad dicta verba Aventini; *Ab Heraclito Patriarcha Hieroſolymitano*, hæc notat.

Nec ab Heraclito; nec ab Heraclio Conradus Dux Dalmatiæ partem Dominicæ Crucis impetravit; quia Heraclius multis demum poſt mortuum Conradum Ducem Dalmatiæ annis; creatus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus; ſed ſub Folcherio Patriarcha, & Conrado Duce Dalmatiæ, crux, de qua prius diploma, vi Canonico Hieroſolymitano adempta fuit; quam poſtea Conrado de Dachaw, prioris Conradi filio, Heraclius Patriarcha donavit; ſed iis conditionibus, quas ipſum Diploma requirit.

ULRICUS III. in Abbatum numero VII. cum eſſet vir prudens & religioſus admodum impetravit mitram & ſandalia à P. M. ALEXANDRO III. (non IV. ut Bruſchius & Hundius non bene habent, neque enim ante A. C. clↃ CCLIV. is iniit) circa annum Domini MCLX. Poſtea A. C. MCLXXI. XII. Kal. Febr. incendio

cendio periit totum fere, hactenus ex ligno tantum exstructum Cœnobium, quod BALDEMARUS Abbas non infeliciter restauravit. Consecratum vero est DEIPARÆ VIRGINI VII. Id. Octobr. ab OTHONE III. Episcopo Frisingensi, A. C. MCCXV. CONRADO Abbate, qui D. MARTINO templum lateribus coctis ædificavit, Sacellum item OMNIBUS SS. à Patriarcha Aquilegiensi dedicatum. Is Romam ivisse, & purpuram inde retulisse traditur. Palæstinam vero voti reus iturus, ab Archiepiscopo Salisburgensi voto solvitur. Cujus successor HENRICUS exstruxit turrim quadratam, Sacellum S. CATHARINÆ, granarium, & valetudinarium, aliaque plurima, multa etiam vetera instauravit; abalienata redemit & recuperavit, ac etsi tunc temporis varia essent inter Principes & Episcopos bella, tamen omnibus ex æquo charissimus fuit, quia hospitalis & munificus.

Laude dignissimi præterea Abbates ibidem præ ceteris floruere UDALRICUS Perchtinger MCCCXXI. CONRADUS Leutzenauer MCCCXLV. ULRICUS Morspack, MCCCXXVI. ejus item successor ULRICUS Münnenbeckius. WILHELMUS Krenperger MCDLXVII. GEORGIUS Sperlin MCDLXXXIX. PAULUS Prew, MDV. M. JOANNES Turbeyt, MDXXXV. ANDREAS Geishoverus, MDXLVIII. JOANNES CHRYSOSTOMUS Hirsbeckius, MDLVIII. GEORGIUS Neupeck, MDLXXIV. BENEDICTUS Prummer MDCX. non tam monasticæ vitæ cultu quam & literarum amore inprimis conspicui, quorum aliqui etiam regularis vitæ observantiam, tam suo, quam aliis vicinis Monasteriis feliciter invexere.

Ejusdem perillustris Cœnobii habenas prospere tenet, ac summa cum laude moderatur Admodum Reverendus in Christo Pater ac Dominus, D. STEPHANUS, utpote, cui hactenus non solum curæ fuerit, ut pietate & eruditione Monasterium suum floreret, cultusque divini pensum DEO accurate persolveretur; verum etiam illud incolis, pietate, religiosa disciplina, literis ac eruditione, libris, novisque ædificiis, templum autem sacra suppellectile, novoque apparatu auxerit & exornarit, & quidem adeo ut jam longe alia, quam olim, rerum facies appareat; adhæc ex ejusdem Cœnobii sui cætu colonias petitas, nominatim ad perantiquum ROTHENSE Monasterium, miserit & deduxerit. Cui proinde ut quod agit, multos adhuc annos agat, DEUM summopere precamur.

MONASTERIUM
NOERESHEIM MXCV.

NERESHEYMIUM perillustre ac celeberrimum in Sveviæ quodam tractu, quem ob soli admodum arenosi sterilitatem Duri Campi (Härtfeld) appellatione accolæ notant, Monasterium prope ejusdem nominis oppidum, in peramœno colle tribus à Nordlingiaco milliaribus, cis nemus Plossianum videlicet & in Diœcesi Augustana situm est.

Ejus primariam originem perantiquam fuisse oportet, nam in Neresheimensi Ecclesia sepultum fuisse traditur HUPALDUM S. UDALRICI parentem, qui obiit Anno Domini cclↃ VIII. Et in Chronico Lamberti Abbatis literarum monimentis proditum accepimus, cum Monachi Benedictini in eodem loco constituerentur, Canonicos Regulares, attamen numero paucos ibidem extitisse, qui in aliis Ecclesiis statui suo convenientibus, data eis dispensatione collocati fuerunt.

Pro ordine S. BENEDICTI igitur fundatum ac amplissime dotatum est dictum Cœnobium, A. C. clↃ XCV. ab HARTMANNO Comite Kyburgensi & Dilingensi, HUPALDI IV. Filio, & ADELHEIDE uxore sua, accitique duodecim Monachi ex Monasterio Zwifaltensi, quorum sex sacris initiari, ceteri manualia opera exercebant, quos & vulgo Conversos vocare solemus. Iisdem Abbas Præfectus

ERNESTUS, ex Dilingensium etiam Comitum prosapia ortus, qui unico tantum anno præfuit, & obiit anno MXCVI.

Successit eidem HUGO qui obiit A. C. cIↄ CI. eodem quo Monasterii Neresheimensis ædificia perfecta & absoluta fuere. Ab ejus obitu præsidere jussus THEODORICUS, ex Baronibus, ut fertur, Groslingensibus, qui anno MCXVIII. exstinctus est, cum annos XVII. antistitem egisset. Sublectus eidem Abbas HENRICUS, ex Baronibus, ut quidam notant, Gundelfingensibus, qui anno sequenti eodem die, quo Ecclesia consecrata fuit, solenniter inauguratus est.

Anno namque Dominicæ Incarnationis MCXIX. tempore CALISTI Papæ II. à quo in Germaniam, Azzo Episcopus Aquensis (nonnullis etiam Aquilegiensis) Legatus missus fuerat, qui rogatu UDALRICI Episcopi Constantiensis HARTMANNI Fundatoris filii consecravit Ecclesiam Neresheimensem, in honore victoriosissimæ CRUCIS, & S. DEI Genitricis MARIÆ, & OMNIUM SS. præcipue tamen SS. UDALRICI & AFRÆ.

Obiit autem dictus HARTMANNUS fundator Anno Domini MCXXI. cum multis prædiis & possessionibus præfatum Cœnobium largiter auxisset, &, ut quidam tradunt, ante obitum suum etiam Monachus in eodem Monasterio factus fuisset.

HENRICUS Abbas vero humana reliquit A. C. cIↄc. XXV. & successorem accepit PILGRINUM, sub cujus regimine Neresheimense Monasterium igne periit Anno salutis MCXXVI.

Sequenti anno, nempe cIↄ CXXVII. non autem cIↄ CXXXIX. (quod quidam etiam notarunt) obiit UDALRICUS Episcopus Constantiensis, HARTMANNI Fundatoris Neresheimensis filius, antistes magnæ & claræ virtutis, & quamdiu apud mortales egit, auctoritatis. Condidit ex suo patrimonio Monasterium Creutzlingæ Constantiæ in suburbano, itidem ad honorem SS. UDALRICI & AFRÆ. Renovavit item & instauravit iterum pene collapsum Xenodochium pauperum, à S. CONRADO olim constructum, ac liberalissime dotatum. Impetravit etiam à CALISTO II. P. M. ut è tumulo levaretur, ac in apotheosin referretur S. CONRADUS, A. C. MCXX.

HARTMANNUS alter Fundatoris filius, & magnus etiam benefactor ac dotator sæpedicti Monasterii, desiit esse A. D. cIↄ CXXXIV. cum ibidem quoque ultimis vitæ annis habitum Monasticum induisset.

Supradictus autem Abbas PILGRINUS è vivis excessit A. C. cIↄ CXL. Cui successit ORTLIEBUS, Pater multorum Monachorum, ut ibidem in archivis habetur. Eodem præsidente A. D. cIↄ CL. consecratum est sacellum B. MARIÆ Virginis à venerabili ORTHLIEBO, ejusdem cum Abbate nominis, Basilæensi Episcopo, permittente id WALTHERO Episcopo Augustano, loci ordinario.

Anno dein MCLI. obiit ALBERTUS Comes, HARTMANNI Filius, Fundatoris Nepos, cum exemplo parentum & ipse Monasticen ante obitum in Neresheimensi Cœnobio professus fuisset.

Postea A. C. cIↄc. LXIV. mortalitatem exuit ORTLIEBUS Abbas, post quem creatus est HENRICUS de Ramstein, quo præsidente basilicæ SS. ANDREÆ & BLASII igne conflagrarunt, scilicet Anno Domini MCLXX. quo etiam obiit ALBERTUS Comes ALBERTI superioris Filius Advocatus & Benefactor Monasterii Neresheimensis, cui etiam contulit Copfingen & Ostrivil quidquid ibidem sui juris erat, & reliquit post se filium HARTMANNUM, qui dedit supradicto loco Crucem auream majorem cum candelabris & prædium in Wissmanc, quod propter remotioris viæ incommoditates venditum est, pecunia in alios Ecclesiæ usus conversa: obiit A. C. MCLXXX. relicto filio ALBERTO, qui in bellis præclarus res tam Romæ, quam Hierosolymis gessit, & contulit huic loco minus Cuchen.

Basilicæ vero SS. ANDREÆ & BLASII quas paulo ante igne periisse memoravimus dedicatæ sunt A. D. MCLXXXVII. Obiit præfatus ALBERTUS Comes A. C. cIↄ CCXIV. secundum alios cIↄ CCXXIX. & reliquit filium HARTMANNUM, qui dedit Neresheimensibus crucem auream minorem cum aliis donariis, habuitque duos filios ALBERTUM, & UDALRICUM, quorum prior Dilingam, posterior

Kybur-

Kyburgum possedit, qui & possessionibus aliquot Monasterium hoc auxerunt. Habuit ALBERTUS filium HARTMANNUM; qui reliquit tres filios & totidem filias: HARTMANNUM Episcopum Augustanum qui Dilinganam arcem, comitatum Wittissingensem ac omnes ferè pagos Werdæam usque Episcopatui donavit A. C. clↃ CCLXXII. & obiit anno clↃ CCLXXXVI.

Filiarum nomina & conjugia ita produntur à nonnullis: UDELHEIDIS Comitis FRIDERICI de Zollern uxor. 2. WILBURGIS ULRICO Comiti ab Helffenstain desponsatur. 3. PRISCA Comiti ab Hekkenstain & Haidenheim: vel potius Baroni ab Hellenstain nupsit.

Erat olim amplissimum hoc Cœnobium, sicut & cetera pleraque per illa tempora, Romanæ Ecclesiæ immediatè, ut vocant, subjectum; hinc A. C. clↃ CCXXXIII. PHILIPPUM Nuncium Apostolicum censum privilegii ejusdem Monasterii recepisse, in vetustis literarum monimentis memoriæ proditum accepimus, GREGORIO IX. P. M.

Cæterùm frequentibus incendiis non tam à casu fortuito, quam ab hostibus illatis hoc Monasterium gravissima damna pertulit. Nam quo tempore Gibellinorum, & Guelphorum pestes exortæ, longè, latèque sævire, ferro, flamma, vastitate undique grassari cæperunt, plerisque in civitatibus, & urbibus ortæ inter Ecclesiasticos, & laicos dissensiones, & turbæ; illis pontifici, his Imperatori ad hærentibus. Hinc accidit, ut A. C. MCCXLVI. CUNRADUS CÆS. qui per patris FRIDERICI II. absentiam Germaniæ præerat, ob odium HARTMANNI & ALBERTI Comitum Dilingæ, qui in fide Pontificis permanserant, Neresheimensem Ecclesiam incenderet, & anno sequenti cùm iterùm ibidem castra posuisset, adjacentia quæque succenderet; Cùmque idem Rex anno MCCXLIX. tertia vice castra sua in Neresheimensi territorio collocasset, HENRICUS Burgoviæ Marchio claustrum & ecclesiam SS. ANDREÆ & BLASII succendit.

Cum itaque per Imperii turbas, & dissensiones, tot undique fæda facinora patrari, rapinas, injurias, incendia, cædes, funera fieri conspiceret generosus Dilingæ Comes ALBERTUS, Cænobium Neresheimense contra frequentes inimicorum Ecclesiæ insultus vallis & propugnaculis munivit, castro in colle S. ANDREÆ Collocato, A. D. MCCL. Idem Comes biennio post Lauinganos rebelles & Ecclesiæ hostes sub jugum misit, eisque castrum imposuit, & obiit A. C. clↃ CCLVII. patre HARTMANNO adhuc superstite, qui tamen & ipse vivere desiit anno sequente. Cumque solus hujus nominis & familiæ Comitum Dilinganorum restaret HARTMANNUS Episcopus Augustanus, Ecclesiam hæredem scripsit quod supra notavimus, atque cum eo perillustris & nobilissima hæc familia interiit. Eodem autem anno MCCLVIII. quo obiit HARTMANNUS senior, LUDOVICUS Comes Ottingensis Neresheim cum omnibus ad id pertinentibus occupavit, atque hinc prædicti comites etiam hujus loci Advocati evaserunt.

Post non multos annos, nempe MCCLXI. circiter, idem Monasterium rursus flammis absumitur. Quod rursum accidit A. D. clↃ CCCLXXXIX. & clↃ CDV. Abbates ejus loci tam generis nobilitate, quam religione, & ordinis observantia clari, usque ad modernum A. R. D. BENEDICTUM tam doctrinæ quam virtutis laude longè clarissimum, varia sæpe fortuna usi, diversa à vicinis passi capti etiam semel ac iterum, & cum Conventu in exilium acti, cum prædia eorum interim & possessiones, ferro ignique hostiliter vastarentur.

Placet verò etiam hic stemma Comitum Kiburgensium & Dilingensium Fundatorum & maximorum hujus Monasterii benefactorum inserere, utpote quod non ubivis sit obvium, & quia ob certas rationes in nonnullis à Bruschio dissentire cogor.

Hartmannus I. Comes de Kyburg. — Burchardus I. Sveviæ Dux, ob. 911. Uxor Regis Burgundiæ filia.

Hupaldus I. natus circa 865. ob. 908. ═ Dietperga nata circa an. 870.

Diopoldus. ob. 955. | Manegoldus I. | S. UDALRICUS nat. 890. ob. 977. | Albertus I. | Luitgarda prima uxor Burchardi 3. Sveviæ Ducis, qui ob. 973.

Richuvinus Hiltegardis VX. | Hupaldus 2. | Adalbero Canon Aug. S. Udalrico destin. successor. | Reginbaldus. cæsus ab Hungaris an. 955. | Hupaldus | Maingoldus. | Runegundis Monialis.

Hupoldus 3. | Irmentrudis. Magistra sororum Werdeæ. | Magenoldus 2. Fundator S. Crucis Tutta uxor. Werdeæ ob. 1053.

Albertus 2. | Hartmannus. | Manegoldus 3. Mechtildis de Svabek ux. | Gunderada Abbatissa Werdeæ.

Hupaldus 4. | Benedicta Comitis de Witelspach ux. | Manegoldus 4. Wurza ux.

Hartmannus 3. Fundator Neresheim. ob. 1121. Adelheidis ux. | Manegoldus 5.

Hartmannus 4. monachus ante obitum. ob. 1134. | Udalricus 2. Episc. Constantiensis ob. an. 1127.

Albertus 3. monachus ante obitum. ob. 1151.

Albertus 4. ob. 1170.

Hartmannus 5. ob. 1180.

Albertus 5. ob. 1214. secundum alios 1229.

Hartmannus 6.

Udalricus 3. | Albertus 6.

Hartmannus 7.

Ludovicus ob. circa 1263. | Hartmannus 8. Episc. Aug. ob. 1286. | Albertus 7. | Udelheidis. ux. Comitis de Zollernn. | Wilburgis. ux. Comitis de Helffenstain. | Prisca. ux. Baronis de Hellenstein.

MONASTERIUM ELCHINGEN MCXXVIII.

ELCHINGUM olim Aychlingum à vicino quercetu dictum, prædonum aliquando castrum, accolis & viatoribus, qui illud non sine horrore ac tremore transierant, sane invisum, post vero melioribus auspiciis ad DEI servitium conversum, ac etiamnum hodie magnificum instituti nostri Monasterium, in Augustana diœcesi (quam non procul ab hoc Cœnobio, parvus quidam fluviolus; qui per Dalfingam, propter salubres thermas celebrem pagum, defluens, Danubio immergitur, à Constantiensi dirimit) infra Ulmam nobilem Sveviæ civitatem Imperialem, ad sinistram descen-

descendentis Danubii in sublimi monte (ex quo omnis Ulma, & multa circumjacentia oppida, videlicet Günsburgum, Leiphemium, Weissenhorna, & alia videri possunt) amænissimo loco situm est, cujus fertilitatem pluribus commendat F. Felix Fabri *Hist. Svev. lib.* 2. *c.* 12. Qui in etymologiis quidem inepte absurdus, miras nugas blattit de gentilium Deorum prisco cultu, & intricatas gerras nectit in hujus Monasterii tædiosa enarratione. Etsi vero ejus monumenta non accurate magnificeque scripta sunt, continent tamen aliquid quod legi possit, & sunt cognitione dignissima, iis præsertim, qui non tam scriptorum elegantiam desiderant, quam notitia delectantur antiquarum rerum. Is itaque inter cetera hæc habet:

Totus mons ille uliginosus est & spongiosus, desudantque undique ex eo aquæ, quas ab imo attrahit in supremum, & videtur imaginanti quod ex aquis consurgat radicesque suas in subterraneis aquis fixas habeat, & tantæ molis gravitas aquis supernatet, unde quia mons humidus est, fæcundam habet glebam, præcipue cum ad hoc habeat solis & aliorum siderum valde generosum aspectum & nulli dubium, quin ante hominum in loco habitationem fuerit mons ille ingentibus ilicibus plenus; excisis autem arboribus produxit humus diversi generis medicinales herbas & aromaticas plantulas; nam hodie herbarii in lateribus montis illius quærunt radices virtuosas & herbas odoriferas pro aquarum medicinalium destillatione, & balneorum confectione, & unguentorum compositione. Nam ea, quæ in remotis & calidis regionibus crescunt ibi inveniuntur, quia gleba mollis illius videtur singulari quadam fœcunditate esse à conditore imprægnata. Ibi aer serenior, terræ fœcundior, aqua sanior, & ignis quodammodo clarior rutilans invenitur. Ibi non solum terræ nascentia sponte genita valent, sed omnia plantata, seminata, & locata uberius fructificare constat; sed & animalia ibi generata robustiora & cariora sunt, & præcipue equi adeo boni & fortes ibi gignuntur, ut Principes à longe positi à loco illo sibi mitti equos procurent, aut à regionibus suis mittunt equas in locum, ut ibi nutritæ & impregnatæ genita recipiant; similiter vaccæ tauri, oves, porcelli lacte & fætibus, carne, cute & lana præcellunt. Sed & gallinæ magis ibi ovant, & cetera omnia vi generativa valent: & hoc ex naturali terræ situ, respectu cæli & siderum.

Hæc ille de loci illius fertilitate. Reliquam vero hujus amplissimi Monasterii historiam ita confundit, ut nihil supra; sæpe in ea apparet ridiculus, nonnunquam sibi ipse dissentaneus: scilicet ut quidque legerat apud varios scriptores, ita variis in locis inculcavit sine judicio, sine consideratione, haud scio dicamne etiam sine memoria. Historiam itaque horum temporum, quæ quidem Fundatores attingit, pluribus ut complecterer, operæ pretium duxi.

Cum A. C. cIↃ. CXXVI. HENRICUS V. Imp. Trajecti XV. Kal. Junii, absque prole decessisset, & Principes Wormatiæ comitia Imperatoria habuissent, plerique LOTHARIUM GEBHARDI Comitis in Suplenburg & Arnsperg, ex Comitibus à Querfurt oriundi F. Saxoniæ ducem ab HENRICO V. institutum, regem Romanorum nominarunt, atque Idibus Septembris Aquisgrani coronandum curarunt. Unde primum eum sui regni annum numeravit, competitoribus CONRADO Franconiæ Duce, HENRICI Imp. defuncti ex sorore nepote, LEOPOLDO Marchione Austriæ, & CAROLO comite Flandriæ. Ceteri brevi in ordinem redacti, gravior adversus CONRADUM & fratrem ejus FRIDERICUM Sveviæ ducem contentio fuit, quos tamen LOTHARIUS, auctoritate maxime, & interventu D. BERNARDI claræ vallis abbatis conventu Bambergensi, in gratiam sæpius victos recepit. Ab hoc LOTHARIO Cæsare, CONRADUS qui magnus cognominatur, Marchio Landsbergæ & Lusatiæ, primus suæ stirpis, Marchio Misniæ investitur. Anno cIↃ. CXXVI. Is uxorem habuit LUITGARDIM (non LUCIAM, ut F. Felix, & Bruschius male habent) sororem CONRADI qui post LOTHARIUM, A. C. cIↃ. CXXXVIII. Imperator electus, Welphorum partes, à tempore HENRICI IV. jam cæptas, adversas habuit, expeditionem Hierosolymitanam, hortatu S. BERNARDI Clarevallensis paravit, in qua ipsemet Francofordiæ, cum multis Germaniæ Principibus ac ipso Welphone Duce adversario suo cruce signatus est, at exercitu eorum, partim inedia & aeris intemperie, partim Sarracenorum armis, ac Græcorum dolis & fraude, pene deleto, infelicem,

ut ſæpe, habuit exitum expeditio illa adverſo numine incœpta; cum negotio infecto, & ob ingentem ſuorum cladem, animo conſternato, redire coactus ſit Imperator; Bello autem poſt reditum, inter ipſum & Welphonem redintegrato, tunc primum auditum eſſe dicitur nomen Guelphorum ac Ghibellinorum; A duabus enim hiſce familiis, de Weiblingen & Welphis, ex quarum prima Imperatores, ex altera vero præpotentes Duces ſunt exorti, quæque per multos annos de primatu inter ſe concertarunt, multi autumant, factiones Welphorum & Ghibellinorum poſtea in Italia exortas, quæ primum ſub FRIDERICO ſecundo Imperatore audiri cœptæ, diu propter Romanorum Pontificum ac Cæſarum diſcordiam, Chriſtianam Rempublicam afflixerunt. Sed ut Fundatorum Elchingenſis Cœnobii ſtemma clarius perſpici poſſit, & quorundam ineptiæ confundantur, genealogiam familiarum, qua parte ſe invicem attigere, ut eam ex probatioribus ſcriptis elicui, ſubjungam.

Eckbertus Senior March. Saxoniæ, ob. 1068. — Gerbirge filia Com. Landſpergici.
Friderieus Baro in Weiblingen.
Henricus 4. Imp.

Gebhardus Comes a Querfurdt.
Henricus Craſſus Comes in Northeim, occiſus a Friſiis 1161. — Gertrudis.
Dedus ſeu Conradus March. Landſpergicus, occiſus 1115.
Fridericus Comes ab Hohenſtaufen. Dux Sveviæ anno 1078. — Agnes

Lotharius 2. Imp. 1126. Dux Saxoniæ. — Rixa
Ita
Thiemo Comes de Within & Serbeck.

CONRADUS I. Marchio Misniæ. Fundator Elchingenſis Monaſterii, viduus factus, Lautenbergi monachum induit; ibi ſepultus 1156. — LUITGARDIS Fundatrix.
Conradus 3. Imp. 1138. ob. 1152.
Fridericus Cocles Dux Sveviæ.
Fridericus Junior Dux Suev.

Fridericus I. Imp. 1152. dictus Barbaroſſa, mor. 1190.

Cum itaque ut diximus, CONRADUS Fundator primus ſuæ ſtirpis Misniæ Marchio conſtitutus eſſet à LOTHARIO Imp. A. C. cIↄ. CXXVI. ut Deo gratus eſſet, non CONRADI, (qui nondum erat Imp.) juſſu, ſed pro ſeculi illius in Deum pietate, & in homines religioni mancipatos munifica liberalitate, Caſtrum Aichlingenſe, quod uxori ſuæ LUITGARDI dotis nomine obvenerat, ejusdem conſilio & aſſenſu ad DEI ſervitium convertere, ibique pro D. BENEDICTI regulam profeſſis monachis Cœnobium conſtruere decrevit, quod & biennio poſt, anno nimirum cIↄ. CXXVIII. perfecit, & templum ad honorem DEI OPT. MAX. ſub patrocinio B. MARIÆ VIRG. SS. Apoſtolorum PETRI & PAULI, ac D. BENEDICTI, adjecit. Hanc fundationem doctiſſimus hujus Cœnobii Abbas Andreas Thierlinus hoc dyſticho complexus eſt.

Saxonici generis princeps, clariſſima & uxor
L ſuperis dicant hæc loca Cœnobio.

Sed non diu feliciter ſtetit hæc fundatio, nam pro temporum illorum calamitate & perturbatione, quibus omnia vicina loca bellis inteſtinis flagrabant, paucis annis à prima ſua fundatione, incendio miſere periit, penitusque collapſum eſt. Ea ipſa ætate ALBERTUS Comes de Ravenſtein & Irczenburg (cujus uxor BERTHA, Comitiſſa de Ravenſtein, pro Diva colitur, eo quod nivales anſeres, ut vocant, ex hac tota provincia Danubiana fugarit) in expeditione D. BERNARDI præcipue monitis ſuſcepta, cum CONRADO Imp. & ceteris Principibus Hieroſolymam profectus, vovit ſe ædificaturum ad honorem DEI omnipotentis, & Deiparæ virginis gratitudinis ergo Monaſterium, ſi Dei bonitate & miſericordia ſalvus rediret in patriam. Inde accidit, ut cum incolumis domum remearet, videretque incendio miſere vaſtatum novum hoc Monaſterium, cœperit è veſtigio maximis ſumptibus idipſum reſtaurare, A. D. cIↄ. CXLII.

De

De qua fundatione dictus Abbas hæc metro lusit.

Post M. C. post bis duo X. binos simul annos
Virginis à partu tale resurgit opus.

In insignia Ravensteinensium Comitum.

Quisquis ad ista pie dubitans adspexerit Arma
Ravenstein Comitum stemmatis esse sciat.

Confirmata est hæc fundatio, & Monasterium in Apostolicæ Sedis protectionem susceptum sub annum cIↄc. XLIV. à LUCIO Papa II. Habuitque ab initio Advocatos ipsos Rom. Imp. qui nonnunquam alios, præsertim Comites ab Helfenstein vice sua substituerunt; tandemque hoc privilegium concesserunt, ut Abbas & Conventus ipsi per se possent Advocatum quemcunque sibi placitum eligere.

Juxta idem hoc Elchingense Virorum Cœnobium, sanctimonialium etiam reclusorium fuisse, traditur. *Fuit enim ista Consuetudo*, inquit Trithemius in Chronico Sponheimensi, *pene in omnibus nostris & regularium tunc celeberrima Christi monasteriis, ut quanto viris essent viciniores, tanto facilius eorum vigilantia moniales ab antiqui hostis insidiis tuerentur.* Idem ibidem causam abrogationis hujusmodi reclusorium subjungit.

FRIDERICO Zwirnero Abbate (qui iniit cIↄ CDXXXI. & obiit LXV. ejusdem seculi) fulmine exustum, & vicissim instauratum est hoc Monasterium.

Rursum A. C. cIↄ DXLVI. bello Germanico idem Cœnobium ab Hispanis occupatum, & die S. GALLO sacro ab Ulmensibus incensum ac universum pene deletum est cum templo ac omnibus ædificiis; in qua calamitate jacturam fecit ducentorum milium aureorum, & insignis Bibliothecæ; nam & omnia templi ornamenta & monumenta perierunt, nihilque mansit integrum. Sed subjugata ab Imp. CAROLO V. Svevia, cum Monachi Cœnobium recepissent, ab Abbatibus subsequentibus sedulo instauratum, in eumque splendorem, quo adhuc nobiliter floret, perdictum est.

Et quamquam semper fere floruerit, tum tamen singulariter enitere visum est, cum circiter A. C. MCDL. strictiorem vivendi normam, & reformatam, ut vocant, Monastices disciplinam recepit, in qua non solum ita profecit, verum etiam excelluit, ut eamdem in alia Monasteria quoque propagaverit, nimirum Ursinense, Utenburanum, Anhusium Brentianum, ac Neresheimium, missis è suo gremio Monachis ad instaurandam Regularis disciplinæ observantiam idoneis. Cujus laus adhuc vel maxime in eo viget, quod A. R. D. THOMAS Abbas ibidem ex Decreto Synodi Diœcesanæ Aug. primus Ord. per totam diœcesim constitutus Visitator, iterumque confirmatus eodem munere summa cum laude regularisque observantiæ emolumento fungatur, quem proinde Deus Ordinis nostri bono longum servet, omnique bonorum genere magis ac magis augeat. Sic voveo, sic precor.

MONASTERIUM
URSIN MCLXXXII.

URSINIUM vel (ut nunc corrupte dicitur) Irsingum, olim castrum eo ipso loco conditum, ubi hodie S. STEPHANI templum in editiore colle conspicitur, nunc vero Monasterium Ordinis nostri amplissimum ac pulcherrimum, paululum infra Kauffburnium oppidum Imperiale non procul à Vindice seu Wertachio amne, in mediis densissimisque nemoribus situm: fundatum & locupletatum est A. C. cIↄ. C. LXXXII. regnante FRIDERICO Barbarossa Svevorum Duce, ac bellicosissimo Imperatore, ab HENRICO Marchione de Rumsperg & ejus filiis GODEFRIDO

ac BERTHOLDO & IRMELGARDE filia, in media ecclefia ibi fepultis cum tali infcriptione:

Hic generoforum feliciter offa quiefcunt
A Rumfperg Comitum BERTHOLDI & GODFEDERICI,
IRMELGARDE fimul dilecta cumque forore.
Hujus Cœnobii qui primi rite fuerunt
Autores vera commoti religione.
Ergo Deo vivant æterna pace fruentes:

HENRICUS Fundator profectus cum FRIDERICO Barbaroffa ad recuperandam terram fanctam, obiit Neapoli A. C. clↃ. CLXXXVIII. Hic exceperat ex UDILHILDE conjuge GODEFRIDUM primum filium, qui mortuus eft Auguftæ fub cura medicorum, & revectus inde Utenburam, ibi honorifice eft fepultus. Poftea ex Utenbura ad Urfinenfe Monafterium relatus una cum fratre BERTHOLDO honorifico Manfolæo conditus eft, fub Abbate ejus loci XXIII. PAULO Necharo. Secundus vero filius BERTOLDUS, illuftriffimum totius Sveviæ fpeculum, obiit in quodam conflictu prope Rhenum, iturus cum OTHONE excommunicato Imp. in Saxoniam. IRMELGARDIS autem filia, nupfit Baroni cuidam de Ultimis, genuitque UDALRICUM de Ultimis magnum imprimis Urfinenfis Cœnobii benefactorem, qui habitabat in Adelburgo Athefinæ regionis caftro.

Eft in eodem Cœnobio celebris fepultura nobilium heroum à Bentzenaw, JOANNIS patris, & WERNHERI filii, qui vixerunt annum Chrifti circiter clↃ. CDXL. Item JOANNIS Equitis aurati, qui obiit anno clↃ. DXV. & GEORGII à Bentzenaw qui obiit anno clↃ. DXXXV. reliquitque filium GEORGIUM SIMPERTUM eruditæ antiquitatis, & antiquæ eruditionis amantiffimum hominem, XVIII. liberorum parentem.

Primus autem qui locum hunc religiofa & monaftica difciplina imbuit, & Prioris Clauftralis titulo rexit, fuit WERNHERUS, ex Ilnenfi Cœnobio evocatus annum Chrifti circiter clↃ. CLXXXIV. Is fretus auxilio HENRICI Marchionis, habitationem fratrum, eremum ibi in Ybergenfi nemore denfiffimo colentium, è filvis tranftulit in locum amœniorem, in montem videlicet Urfinum, idque factum eft A. C clↃ. CLXXXV. Qui cum ibi Monafterium cum templo conftituiffet, ad Monafterium fuum Ifnenfe reverfus eft, cum prius primus loci illius Abbas inftitutus fuiffet CUNO, ex Utenburano Cœnobio evocatus, anno proxime dicto. Is admonitus à Mengofo fratre fanctitate & prudentia confpicuo (cui B. V. MARIA invifione præclara apparens, præelectum à DEO Monafterii conftruendi locum demonftraverat) tranftulit Monafterium è monte in pedem & planiciem adjacentem monti, idque in honorem B. MARIÆ Virginis confecrari voluit

Itaque fumptibus HENRICI de Rumfperg Fundatoris, & GODEFRIDI filii, cœpit ædificare habitationem paulo fplendidiorem: antequam tamen perficeretur, ipfe CUNO Abbas ex hac mifera ad beatiorem translatus eft vitam.

Succeffor autem ejus RUDOLPHUS, ex Ochfenhufio adfcitus, vir eloquens & doctus, ædificavit Sacellum S. NICOLAI, quod Paradifum vocant, confecratum ab UDALSCALCO Epifcopo Auguftano A. C. clↃ. CLXXXVIII. fecundum alios, XCV. Sepelivit etiam in eo WERNERUM primum loci hujus gubernatorem, & CUNONEM Abbatem.

Is locus poftea etiam Fratrum Monafterii, & nobilium Laicorum fepulturæ deftinatus eft; & primus vir nobilis ibi fepultus, WALTERUS à Baysweyl fuiffe legitur.

Præ cæteris benefactores hujus loci celebrantur, inprimis vidua quædam nobilis & opulenta D. GERTRUDIS, quæ poft obitum mariti fui HENRICI de Bickhenriedt plurima contulit ad Monafterii hujus amplificationem, quæ in eodem Monafterio hnmata eft annum Chrifti circiter, clↃ. CCLXIX.

Poft nonnullos etiam annos CONRADUS de Ramfchwag advocatus hujus Monafterii fidelis, Ecclefiam Ingenriedenfem cum jure patronatus, & totam illam Advo-

Advocatiam cum omnibus ad eam pertinentibus redditibus tradidit huic Urſinenſi Monaſterio in liberam dotem.

Plurima & graviſſima damna etiam hoc Cœnobium perpeſſum eſt, eo tempore, quo LUDOVICUS Bavarus contra FRIDERICUM Auſtriacum bellum gerebat, quando omnia iſta loca cædibus ac direptionibus erant infeſtiſſima. Ea damna diligentiſſime reſarcivit CONRADUS II. hoc nomine Abbas, non ſolum bonus Oeconomus, verum etiam aurifaber, ſculptor & pictor egregius, qui ambitum Monaſterii primus lapideum fieri & concamerari curavit A. C. clↄ. CCCXXXIV.

Cumque aliquot poſt annis ob negligentem, imo prodigam adminiſtrationem ad extremam pene inopiam deveniſſet, CONRADUS Hauſanus Abbas inſtitutus A. C. clↄ. ICD. Monaſterium egregie reſtituit, fratres revocavit, ac licet idem incendio pene univerſum periiſſet, non ſolum id eximie inſtauravit, ſed & turrim ac multa alia nova ædificia prioribus addidit. Idipſum ſedulo etiam præſtitit ſucceſſor ejus HENRICUS Eſſeler, qui decem florenorum milibus villam Bayswil comparavit.

Rurſum A. C. clↄ. DXXV. XIII. Maji hoc Cœnobium miſere vaſtatum & incenſum eſt, ſed opera PETRI Fendii Abbatis egregie inſtauratum. Quod ſucceſſor PAULUS Neccharus ædificiis pulcherrimis, & inſigni Bibliotheca auxit & illuſtravit. Sub ejus tamen regimine A. C. clↄ. DXLVI. rurſum ſpoliatum eſt hoc Monaſterium à Smalchaldici Fœderis aſſeclis. Cetera inſigne eſt hoc Cœnobium, & vix ulli noſtri Ordinis tam pulcherrimorum ædificiorum ſplendore, quam eorundem ad uſum egregie accommodatorum commoditate cedere videtur.

MONASTERIUM

S. MONS ANDEX MCXX.

MONS Andechſius, qui à ſanctitate nomen accepit, & eſt quodammodo commune Cœlitum Mauſoleum tota Germania ob cineres Sanctorum ibi maximo numero conditos eſt inclitus; nam tot ibi Beatorum ſervantur exuviæ, tot pignora ſanctitatis cuſtodiuntur, quæ à frequentiſſimis tam advenis, quam indigenis adeuntur, qui nova quotidie beneficia, DEO Divisque gratulantur, uti jure ſuo non Sanctus tantum, ſed conditorium Sanctorum, Cœlitum domicilium, terrarum præſidium, & omnium ægrorum & miſerorum, publicum quodammodo jatrion & aſylum appellari poſſit. Fuit ANDEX arx, ſedes olim Andecenſium nobiliſſimæ ſtirpis Comitum, hodie celeberrimum, ob frequentes præſertim peregrinationes, noſtri Ordinis Cœnobium, ad DEI cultum ex arce hac fere ratione traductum.

B. BASSO ſeu RATHO, ejusdem ſtirpis ſurculus, (cui pater Rathbotho, avus Ratholdus, caput gentis Andexianæ, quem ARNULPHO Cæſare natum tradunt) tetracha Bojorum, curabat limitem, qui ad orientem pertinet, & hodie Auſtria eſt, vir ingens, & ſtatura tam procera, ut communem hominis modum excederet, uti ſaxum ad modum corporis ejus factum oſtendit. Ratho cum Juditha Henrici principis Bojorum & Saxonum conjuge, Arnulphi ſeu Arnoldi mali filia, Hieroſolymam adiit, indeque magnos rerum ſacrarum theſauros ſecum detulit; ædem ſacram CHRISTO, & CHRISTI per orbem nunciis PHILIPPO & JACOBO ad Ambronem in ſuperiori Boica condidit; contubernium in S. BENEDICTI leges juratis adjecit,

 ipſe-

ipſeque pars familiæ factus, ſacra ex Palæſtina monumenta allata ibi repoſuit, ac beato poſt fine conquievit A. C. DCCCCLIV. XV. Cal. Julii. Corpus ibidem in mauſoleo conditum, hodieque maxima populi quotannis frequentia colitur, innumerisque votis, prodigiis, & anathematis celebratur, quamvis ſacræ Divorum reliquiæ cum ipſis religioſis ad MONTEM ANDECENSEM migrarint, cum reverſus in Boicam Hunnus Cœnobium ſolo æquavit, ab OTHONE Imperatore in campis Lycatiis ad internecionem deletus.

Poſthæc circa A. C. clɔ. CXX. BERCHTOLDUS Comes Andecenſis primæ hujus loci fundationis auctor extitit, cum duos dicti Ordinis Religioſos, ex Seonenſi Cœnobio accitos, huic Sancto Monti præfecit, & prædia ac poſſeſſiones adjecit. Literæ fundationis extant; hanc confirmavit HERMANNUS Epiſcopus Auguſtanus, anno præſcripto. Eandem auxit poſtea HENRICUS Comes Andecenſis, & SEYFRIDO Epiſcopo Auguſtano curam Capellæ, & Fratrum ibi degentium reſignavit, quos ipſe in ſuam tutelam recipit A. C. M. C. VC. Eorundem amborum diplomata adhuc extant.

Verum cum A. C. clɔ. CCVIII. PHILIPPUS Imp. ab OTHONE palatino à Wittelbach in regio cubili nefarie confoſſus occubuiſſet, & duo ultimi Comites Andechſii, hujus facinoris conſcii haberentur, anno ſequenti cum paricida proſcripti ſunt, & arce Andecenſi everſa, bona direpta, poſſeſſionesque eorum victores occuparunt. Monachi loci curatores, qui ſacris exuviis timebant, eas terræ infoderunt circa A. C. clɔ CCXXIX.

LUDOVICUS inclitus Bojorum Dux LUDOVICI IV. progenitor ædem ſacram Andexii, quæ cum arce ante L. annos diruta erat, refecit circa A. clɔ. CCLXVI. vel ut alii clɔ. CCLXXV. A. C. clɔ. CCCLXXXVIII. ſacra monumenta, quæ ibi diutius ſub terra latuere, à Jacobo Dachauer Franciſcano reperta, juſſu Principum Monachium translata, ibidem oſtenſa populo, poſtea ad montem ſanctum Andex relata ſunt per Erneſtum Ducem, qui ibi Collegium pro ſeptem myſtis inſtituit. A. C. clɔ. CDXXXVIII. & Montem Sanctum appellari juſſit.

ALBERTUS Dux Bavariæ, Comes Vochburgenſis, filius ERNESTI, auctoritate S. P. amotis Præpoſito & Canonicis ſecularibus, denuo ibi ſubſtituit Monachos Benedictinos ex Tegerenſi Cœnobio evocatos, A. C. clɔ. CDLV. Quibus poſtea anno LVIII. ejusdem ſeculi primus Abbas præfectus eſt EBERHARDUS, eodemque ſolenni benedictione ordinatus, quo & ipſo die D. JACOBO ſacro Eccleſia reconciliata, in eaque octo Altaria, una cum ambitu & ſacello ibidem conſecrata ſunt. Hæc pauca e pluribus delibare, ſed pluribus proſequi noluimus, quod hæc non ſolum paſſim apud Aventinum, & Vitum Arempeckium obvia ſint; verum etiam quia ſingularis editus circumfertur tractatus, vernacula lingua conſcriptus, & Monachii editus, de fundatione, chronologia, & ſacris reliquiis Andecenſibus. Unum addo, tot hic aſſervari beatorum cineres, tot pulveres martyrum ſanguine irrigatos, tot homologetarum oſſa, tot virginum exuvias, ex diverſis orbis partibus allatas, aureisque & argenteis ac gemmeis tabulis, ferculis, pegnatis, urnis, arcis, doctiſſimis artificum manibus elaboratis clauſas & illuſtratas, ut admirationem ſuperent. Hunc vero locum tot beatorum pignoribus auctum, tot populorum anathematis ornatum, magis etiam indies augent & ornant religioſi viri, non tantum pietate & monaſtica diſciplina ſpectabiles, quam etiam bonis literis & doctrinæ laude præclari. Regnat enim apud eos honeſtas, cultus pietatis, & litterarum ſacrarum aſſidua tractatio.

MONA-

MONASTERIUM DECKINGEN CIↃ. CXXXVIII.

DECKINGUN Monasterium Diœcesis Augustanæ in extrema Rhetiæ ora, summo colle situm, quo totius Comitatus Oettingensis regio videri potest, non procul ab antiquo Comitum Oettingensium castro tempore C. Julii Cæsaris structo, quod vulgus Hornburgum appellat, uno miliari à Nördlinga civitate Imperiali situm, perantiquum fuisse oportet, quamquam de prima fundatione nil certi constet, id tamen certo certius colligitur ex Diplomatibus Cæsareis.

Nam Anno Domini MVII. S. Henricus hujus nominis II. Romanorum Rex, dictus Claudus, tradidit Ecclesiæ Babenbergensi locum Teckingen, prout ex ipsius diplomate patet, quod ita se habet:

In nomine SS. & Individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Rex.

Saluberrimis igitur sacri Eloquii institutionibus erudimur & admonemur, ut temporalia relinquentes bona, & terrena post ponentes commoda, æterna & sine fine mansura in cœlis studeamus adipisci consistoria. Quapropter nos Dominicis non surdum auditum præbentes præceptis, & Deificis obtemperando intendentes suasionibus nostræ paternæ hæreditatis locum Babenberg dictum, in sedem & cultum Episcopatus sublimando proveximus, & Romana auctoritate, atque Venerabilis Henrici Wirtzeburg: Episcopi consensu, ac pari communique omnium nostri fidelium tam Archiepiscoporum quam Episcoporum Abbatumque nec non Ducum & Comitum consultu decretoque, in honore S. Dei genitricis Mariæ sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, nec non Martyrum Kiliani atque Georgii stabilivimus & corroboravimus, ut ex inibi nostrum parentumque nostrorum & Ottonis III. videlicet Imperatoris antecessoris ac Senioris nostri celebre haberetur memoriale, & jugis pro omnibus Orthodoxis hostia mactaretur salutaris. Proinde noverit omnium nostri fidelium tam præsens ætas quam & successura posteritas quia nos nostræ quendam proprietatis locum Teckingen dictum in pago Rietzzin, & in Comitatu Sighardi Comitis situm, ad eandem supradictam Episcopalem sedem, una cum omnibus ejus pertinentiis sive adhærentiis, videlicet villis, vicis, Ecclesiis, servis & ancillis, areis, ædificiis, terris cultis & incultis, viis, inviis, extitibus & reditibus, quæsitis vel inquirendis, silvis, venationibus, aquis, piscationibus, molis molendinis, rebus mobilibus & immobilibus, ac cæteris omnibus, quæ rite scribi, aut appellari possunt quoquolibet modo utilitatibus hac nostræ auctoritatis præceptali pagina, prout firmius possumus, donamus atque proprietamus omnium contradictione remota. Præcipientes igitur ut nobis in Deo dilectus supradictæ sedis Eberhardus Episcopus suique successores, liberam debinc habeant potestatem, eundem locum Teckingen dictum cum omnibus appendiciis suis tenendi, possidendi, seu quicquid sibi libeat modis omnibus in usum Episcopatus inde faciendi. Si quis igitur, quod absit, hujus nostræ donationis munificentiam destruere sive violare præsumet, in die Judicii coram oculis Dei tormento inextinguibili æternaliter luat. Quod ne eveniat, sed hæc traditio nostra ab omnibus perpetualiter inviolabilis permaneat, hanc chartam inde conscriptam manu propria roborantes Sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Data Cal. Novemb. indict. V. Anno Dominicæ incarnationis MVII. Anno vero Domini Heinrici II. regnantis VI. Franckenfurt fæliciter, Amen.

PRIVILEGIUM EJUSDEM S HEINRICI IMPERATORIS SUPER ABBATIAM S. MARTINI EPISCOPI IN TECKINGEN DE DODATIONE, DE JURE ADVOCATIÆ ET ADVOCATO.

In nomine SS. & Individuæ Trinitatis, Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Redemptoris nostri Salvatoris doctrina nos admonet ut nostros Thesauros reponamus in cælo, ubi non timetur fur nec tinea, nec erugo. Sed & Paulus affirmat hæc esse infuturo metenda quæ in hoc mundo fuerint seminata. Quapropter omnibus Christi nostrisque fidelibus innotescat, quia cum haberent parentes nostri Abbatiam in Rhetia, in Comitatu Sighardi Comitis Teckingen dictam in honore Domini & Beatissimi Martini constructam, nos ipsam Abbatiam hæreditario Jure nobis propriam tam pro ejusdem sanctissimi Confessoris Martini, quam nostra ac eorundem parentum nostrorum perpetua salute, prædiorum largitione, ditare curavimus eamque nostro Babengergensi Episcopatui in honorem Beati Petri Apostoli sanctique Georgii Martyris constructo, imperiali munificentia contradidimus, quatenus uni familiare præberetur obsequium, nec alteri deesset piæ defensionis maternale solatium. Dedimus enim ipsum locum præfatæ Ecclesiæ cum omni legalitate ad eundem locum pertinente videlicet utriusque sexus mancipiis Ecclesiis, ædificiis, areis, extitibus & reditibus, agris cultis & incultis, quæsitis & inquirendis, pratis, pascuis, viis & inviis, aquis aquarumve decursibus, molis, molendinis, rebus mobilibus & immobilibus & cum omnibus vel quæ in hoc tempore habet vel postmodum habiturus est. Porro locum ipsum ab omni oppressione liberum fore censemus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque prædia vel à parentibus nostris vel à nobis, aut à quocunque hominum juste ac legaliter fuerint vel fuit eidem loco delegata, sine omni gravamine, sine molestia sine inquietudine, servientes inibi Deo possideant. Sane Advocatiam supradicti loci sub tali conditione instituimus, ut Advocatus per semetipsum eam sine subadvocato administret. Placitum vero cum colonis bis in anno hoc est ante festum S. Michaelis & ante Quadragesimam habeat; & tunc detur ei servitium, duo modii tritici, modius siliginis, porcus inductilis, porcus lateralis & porcellus, sex casei, centum ova, octo pulli gallorum, urna vini vel medonis & urna constet ex XXX. pecariis, duæ urnæ cervisiæ,

duo acervi avenæ, modius avenæ vel hordei. Hæc justitia Advocati. Præcipiendo itaque jubemus ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, nulla denique magna parvaque persona, hanc nostra institutionis authoritatem aliquo conatu infringere præsumat. Si quis autem, quod absit, temerarie contra hanc venire præsumpserit, seipsum coram summo Judice Deo damnabit & iram sibi in die furoris Domini thesaurizabit. De quarum rerum veritate ut per successiva tempora nullus reddatur ambiguus, hoc imperiale præceptum inde conscriptum manu propria roborantes Sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Data V. Id. Octob. Indict. XV. Anno Domini Inc. MXVII. Anno vero Domini Heinrici II. regnantis XV. Imperantis autem III. Actum Franckenfurt feliciter, Amen.

Postea ad summam egestatem, & omnimodam desolationem redactum est hoc Monasterium propter varia bella, & turbulentum Imperii statum, iis præcipue temporibus, quando inter Sacerdotium & Regnum schisma erat, & in tam miserabili conditione permansit, usque ad tempora S. OTHONIS ex Comite Andecensi & Imperatoris Cancellario, Episcopi Bambergensis VIII. & Pomeranorum Apostoli, omnium fere orthodoxorum Germaniæ scriptorum præconiis celebratissimi, plurimorumque Monasteriorum fundatoris & restauratoris liberalissimi, qui Monasterium hoc Deckingense (quod olim prædium optimo jure, hoc est, immune fuit, Ein frey ledig guet) A. C. cIↃc. XXXVIII. restituit, & quasi de novo fundavit, & dotavit.

Eam fundationem ratam habuit & privilegiis auxit LOTHARIUS Imp. A. D. cIↃ CXXXIX. Confirmavit INNOCENTIUS II. P. M. Anno Domini cIↃc. XL.

Utrum vero ædificia vivente adhuc S. OTHONE sint constructa, dubium controversumque est, nam in pervetusto codice ejusdem loci hæc annotantur: A. D. cIↃ CLXI. *fundamenta hujus Monasterii inchoata sunt.* Anno cIↃ. C. LXXXVII. *consecratum est altare* SS. BLASII & VITI *à venerabili* OTHONE (dicto Largo) *Episcopo Babenbergensi* III. *Id. Septemb. Anno Domini* cIↃc LXXXXII. *consecratum est altare* SS. BENEDICTI & SCHOLASTICÆ & MARIÆ MAGDALENÆ *à venerabili* UDALSCALCO *Augustensi Episcopo V. Kal. Decemb. Sed altare B. V.* MARIÆ *consecratum est in honore S. Crucis & S.* MARTINI *Episcopi, qui est Patronus hujus Cœnobii.* Hæc ille codex.

Jus vero Advocatiæ hujus Monasterii hoc tempore habent illustres Comites de Oettingen, quod A. D. cIↃ. CCCXLVII. die Jovis ante S. GREGORII emerunt à Conrado nobili de Hirnhaim, dicto de Alta domo vom Hohen hauß. Quomodo autem & quando jus Advocatiæ hujus Monasterii, quod S. HENRICUS Imp. anno cIↃ. XVII. Episcopatui Bambergensi tradidit, ad nobiles de Hirnheim devenerit, non constat. Et quoniam Advocatia hujus Monasterii etiam hodie Episcopatui Bambergensi in Feudum cedit, illo iidem jam dicti Comites de Oettingen, quando Feudum vacat, investiuntur.

Attamen nec S. OTHONIS quidem instauratio diu felix fuit, nam statim periculosissima inolevere tempora, de quibus nonnulli hæc prodidere: *Tunc cœperunt multiplicari mala in terris, rapinæ, deprædationes, depopulationes terrarum, incendia, bella, latrocinia,* &c. In eam sortem & hoc Cœnobium devenisse credibile est, quod innuere videntur verba URBANI VI. P. M. in diplomate quodam: *Considerantes, quod fructus, redditus & proventus Monasterii Deggingensis propter guerras, quæ in illis partibus viguerant, adeo erant diminuti, & tenues ac exiles, quod Abbas & Conventus ex eis nequibant commode sustentari, &c.*

Hinc Episcopi & Magnates quidam *videntes labores, pressuras, & varia pericula alia, quibus plus æquo afflictus locus* iste *ad nimiam devenerat egestatem, & moti interna compassione animi super malis his omnibus, in eorum levamen & ad reformandum statum dicti Monasterii, & ut ibidem Deo studiosius deserviretur.* Parochiales quasdam Ecclesias eidem incorporaverunt, utpote SIFRIDUS Episcopus Augustanus Parochialem Ecclesiam S. GEORGII Martyris in pago Deggingensi sitam A. C. cIↃ. CC. XXI. quam incorporationem HONORIUS III. P. M. confirmavit. Et quamvis sequentes Pontifices NICOLAUS III. cIↃ. CC. LXXVIII. HONORIUS IV. cIↃ. CCLXXXV. CLEMENS V. cIↃ. CCCVI. datis literis Apostolicis serio mandaverint, ut decimarum, terrarum, possessionum, domorum, Casalium, pratorum, pascuarum, molendinorum, Jurium, Jurisdictionum & aliorum bonorum ad Monasterium spectantium restitutio fieret, nulla tamen sequuta est. Sed respectu dicti Monasterii egestatis, aliæ adhuc Ecclesiæ eidem unitæ fuerunt, utpote S. ANDREÆ in Sorheim, cIↃ. CCC. XII. S. VITI in Hirnheim, cIↃ. CCCXLVI. vel cIↃ. CCCLXXVIII. S. NICOLAI in Magerbein cIↃ. CCCLXVI. S. PETRI Munningen cIↃ. CCCLXXX. Reliquos vero redditus ferme omnes coemit R. D. GEORGIUS Flos Abbas, optimus Monasterii Oeconomus, ab electionis suæ anno cIↃ. CDLIV. usque ad cIↃ. CDLXXXVI. quo obiit, merito tertii quasi fundatoris titulo cohonestandus. Ædificavit etiam novum Chorum, & complura alia ædificia construxit. Verum sub hujus successore UDALRICO Rem, incendio totum hoc Monasterium periit incuria inhabitantium, in vigilia SS. Apostolorum SIMONIS & JUDÆ anno cIↃ. DXII. Dicitur incendium triduum integrum durasse. Ejusdem in regimine successor ALEXANDER Hummel restauravit Monasterium incendio destructum; quod in hodiernum usque diem ob diligentem Prælatorum ibidem administrationem adhuc viget & floret, sub A. R. D. VITO Abbate, cui proinde DEUS multos addat annos; ita voveo, sic precor.

TOMI I.

PARS II.

CAROLI STENGELII

Ord. S. Benedicti Abbatis Anhusani

MANTISSA

AD

COMMENTARIUM RERUM AUGUSTANARUM.

PRÆMONITIO AD AMICUM LECTOREM.

CUm magnum illud Ecclesiæ lumen S. Augustinus Epist 7. de seipso scribere non erubuerit: *Si aliquid vel incautius, vel indoctius à me positum est, quod non solum ab aliis, qui videre id possunt, meritò reprehendatur, verum etiam à me-ipso, quia & ego saltem postea videre debeo, si proficio, nec mirandum est, nec dolendum; sed potius ignoscendum, atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum.* Et infrà: *Si talem me asseritis adversus eos, quorum malitia, vel imperitia, vel intelligentia reprehendor, ut nusquam scriptorum meorum errasse dicatis; frustra laboratis, non bonam causam suscepistis, facilè in ea re meipso judice, superamini.* Et inferiùs: *Ab hac ergo excellentia tam longe absum, ut si nullum verbum, quod revocare vellem protulero, fatuo sim, quam sapienti similior, illius cujus scripta summa sunt auctoritate dignissima, qui nullum verbum, non quod revocari deberet, emisit. Hoc quisquis nondum est assecutus, secundas habeat partes modestiæ, quia primas habere non potuit sapientiæ, quia non valuit omnia non pænitenda diligenter dixisse, pæniteat quæ cognoverit dicenda non fuisse.* Et demùm: *Ego autem Judices veros, & veritate severos magis intueor, inter quos, & meipsum primitus constituere volo, ut ad illos ea tantum reprehendenda perveniant, quæ à me quamvis sedulò perscrutante minimè videri potuerunt.* Hæc S. Augus.

Quod si sanctissimus hic vir non erubuit hæc de seipso scribere, quis aut qualis sum ego, ut erubescam retractare ea, quæ minus verè ex aliorum mente scripsi, quandoquidem cum eodem S. P. in illorum scriptorum numero haberi cupio, *qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt.* Itaque retracto ea, quæ ex Acatholicis quibusdam scriptoribus hausi, ipsi ita scribunt. *Idem Episcopus bis mille & sexcentis libris argenti impignoratam ab eodem Cæsare accepit præfecturam ruralem, sive,* Die Straßvogtey, *una cum 4. Pagis, Göggingа, Menchinga, Weringa & Aitinga.* Hæc ego dum fideliter exscribo, & autoribus illis fido, impingo. Moneo igitur quemcumque Lectorem, etiam Typographum (si contingat *Rer. Aug. Commentarium* aliquando recudi) ut expungat nomina illa 4. pagorum fol. 213. v. 4. & seq. §. 4. ut qui ad præfecturam illam (Die Straßvogtey) numquam pertinuerint, neque pertineant.

Pariter emendandum rogo illud, ubi fol. 116. v. 26. scribitur *Ludovicus Augustanus*, pro LUITHOLDO, errore typographi impressus legitur. Quæ fol. 115. de *Marchionatus Burgoviensis* limitibus transcribo, ea ex *Latzio* desumpsi, sine præjudicio limitum modernorum ab antiqua descriptione longè mutatorum. Si quæ verò alia in *Commentario Rer. Aug.* à me conscripto, vel etiam præsenti ejusdem mantissa continentur, quæ quomodocumque juribus Episcopatus & diœcesis *Augustanæ* præjudicant, vel præjudicare posse videntur, ea, propter meam scriptionem, robur accipiant aut habeant nullum, neque etiam velim ut sive extra, sive in judicio contra diœcesin & Episcopatum auctoritas producatur mea, sed cuncta ejus sint ponderis, cujus auctores, e quibus singula collegi, existunt.

Similiter rogo, paucos è multis corrigendos errores Typographicos, ita legendos fol. 11. v. 33. Atticæque, fol. 16. v. 19. XVIII. Martii, fol. 39. v. 6. sine fol. 52. v. 20. Vindo. fol. 75. v. 3. Rorinna. fol. 116. v. 26. LUITHOLDUS, fol. 207. marg. Lorchenses. fol. 153. v. 5. non satis. fol. 368. v. 29. deleatur illa parenthesis (*de qua nemo hominum quidquam sciebat*) quamvis enim passim vulgo ita creditum fuisset, informatus tamen postea sum ab ipso Magistratu, præfectos militiæ hujus rei bonam notitiam habuisse. Vale, & hæc boni consule.

REVERENDISSIMIS, ADMODUM REVERENDIS, PERILLUSTRIBUS, GENEROSIS, NOBILIBUS DOMINIS, DOMINIS

JOANNI RUDOLPHO

LIBERO BARONI de RECHBERG, IN HOHENRECHBERG, DOMINO IN DONZDORFF & WISGOLTING,

SERENISSIMI, ET REVERENDISSIMI

SIGISMUNDI FRANCISCI

ARCHIDUCIS AUSTRIÆ ET EPISCOPI AUGUSTANÆ DIOECESIS ADMINISTRATORI, CATHEDRALIS ECCLESIÆ IBIDEM PRÆSOSITO, NEC NON EICHSTETENSI & ELWANGENSI CANONICO.

JOANNI ULRICO SCHENCK A CASTEL

DECANO,

CETERISQUE CATHEDRALIS ECCLESIÆ AUGUSTANÆ CANONICIS.

F. CAROLUS ABBAS ANHUSANUS F. P.

ECCLESIASTICAM hierarchiam è diverſis ritè conſtitutis ordinibus à CHRISTO inſtitutam, ab Apoſtolis verò egregiè expreſſam *Chriſtiani* profitemur, cum univerſus Clericorum (a) cætus in Epiſcopos, Presbyteros, & eos qui catechizant tribuitur; quorum omnium omnis in fideli populo purgando, illuſtrando, perficiendoque labor deſudaret. Quam majorum diſciplinam ita orthodoxa fides ab ipſis incunabulis condoce facta eſt, ut ei SS. Synodus *Tridentina* (b) anathema denunciet, quisquis eam, quæ ex Epiſcopis, Presbyteris, ceterisque Eccleſiæ Miniſtris conflatur, Hierarchicam Remp. in Eccleſia *Catholica* divina ordinatione inſtitutam pernegarit. Ex quo proclive eſt intelligere, Clericorum inſtitutum ſicut ab Apoſtolis & Succeſſoribus universè traditum eſt, ut velut in ſortem hæreditatemque DEO Domino ſepoſiti vitam ducerent humana conſuetudine puriorem; ita fuiſſe, quod *Auguſtinus* (c) & *Proſper* (d) disertè monuerunt, legibus & omni diſciplinæ genere devinctum, ut quemadmodum à capite membrorum valetudo & concinnitas, ſic eorumdem ſalus & amplitudo ab pulcherrima illa cum Antiſtite ſuo conſenſione dependerent. Ceterum nec illud, hic diffitebor, perfectius quiddam & auguſtius Canonicum, quam Clericum profiteri; ut videlicet ampliatis jam Eccleſiarum poſſeſſionibus in partem quamdam laboris ad Antiſtitis arbitrium, in regendo dirigendoque ſui Ordinis cætu veniret. In quo vitæ inſtituto annonaria res & fabrica curationis eſſet *Præpoſiti*, morum autem diſciplinæ *Decanus* invigilaret, ſub quo *Cuſtos*, *Camerarius*, *Cantor*, *Cellarius*, *Scholarcha*, *Theſaurarius*, & ſi quæ alia cum functionibus nomina in Cathedralibus Eccleſiis uſurpantur, militabant.

Et verò quod hanc AUGUSTENSEM Cathedralem, vel maxime commendet, eſt, quod DEIPARÆ VIRGINIS patrocinio felix, aliisque inſignium dignitatum gradibus multis etiam antecellere convinci poſſit. Hæc enim à primis Conditorum exordiis ſtemmata retro avorum memoria Illuſtria & Generoſa Ducum, Comitum, Baronum numeravit, eoque fuit faſtigio, tum imaginum, tum virtutum radiis ſublimis, ut vicinæ quoque Diœceſes ac Metropoles ſplendorem, & non rarò Pontifices hinc adoptarint.

Quid memorem, quam numeroſa propagine ex *Auſtriacorum I. Bavariæ III. Palatinorum II. Brandeburgenſium IV. Badenſiumque III.* Archiducum, Ducum & Marchionum illuſtri latu; è Comitum de *Amerthal*, *Andecenſium VI. Cazenelenbogenſium*, *Döringerorum*, *Habſpurgenſium*, *de Hefra*, *Hohenwart II. Helfenſtainenſium IV.* *Hohen-*

(a) *Clem. Rom. l.* 8. *cap.* 13. *Conſt. Ap.* (b) *Seſſ.* 23. *can.* 6. & 7. (c) *L. de mor. Eccl. c.* 30. (d) *Serm. de com. vit. Cler. c.* 3. & 9.

Hohenloensium IV. Hohenembs II. Kiburgensium III. Königseckgerorum II. Leinigensium, Madruciorum, Montfortensium II. Ortenburgensium II. Oettingensium III. Tubingensium II. Waldburgensium Truchsessiorum. Warttensteinensium, Werdenbergensium. Zollerensium III. Vetusta prosapia, tamquam sidera olim exorta sint? quam præclara columina ex Generosa Baronum *Döringerorum, Freibergerorum, Gerolzeggensium II. Graueneggerorum II. Gumbenbergensium V. Gundelfingensium, Hellensteinensium II. à Klosen, à Königsegg & Aulendorff II. Màchselrain, Pfluegiorum, Rechberg, Schwarzenberg II. Spaur, Stain, Truchsessiorum à Waldburg VI. de Höfingen V. de Ulma in Erbach III. Vöblin in Illertissen & Neuburg, Welsperg & Wolckenstain* (quorum plerique nunc illustrium Comitum dignitate præfulgent) hujus Reip. bono prodierunt? quot ex sparsis ultro citroque Nobilitatis ramis, Cathedrale hoc Collegium, Generosæ prosapiæ, tum maxime avitæ religionis tuendæ studio & splendore illustrarunt, hodieque illustrant? Sed ut aliquod specimen demus, antiquorum stemmatum gratia, quorum jam vix memoria ampliùs extat, syllabum eorum damus ordine Alphabetico.

A.

Adelman de Adelmansfelden II. Adelzhausen II. Aichaim. Aichdorff II. Aittingen II. Althaim. Amphra. Avv V. Auer de Buelach. Ausses'.

B.

Bach. Bachstein. Bais Weil. Bumgartner. Berchtolshaim. Berg. Beringen. Berner de Gottenradt II. Bernhausen. Bernstatt. Biberbach IV. Bibra. Bienzenau VIII. Blanckenburg II. Blarer de Wartensee. Bocksperg. Bodman. Bolhaim. Bolstett. Bopfingen. Braittenbach. Buebenhofen. Byren II. Burgravii III.

D.

Dalheim. Degenfeld. Diecheima. Dienheim. Dinckenspil. Dornsperg.

E.

Edelböck de Schönau. Ehingen. Eisenberg II. Ellerbach V. Enzenberg. Erenbach. Eslingen. Eyb. II.

F.

Fezer. Flersheim. Frauenberg. Freundtsperg IV. Freiberg XVII. Fronberg.

G.

Gemmingen VIII. Gerenberg III. Geringen. Giss de Gissberg III. Gottsfeld. Gottsmann. Graisbach. Grandt. Gremlich de Jungingen. Gros de Trockau II.

H.

Häll de Haunsheim II. Hameln. Harschar II. Hausen, Hazfeld, Hegneberg, Hellmstatt, Helbturg, Herbsthaim, Hertenberg, Hessberg, Heudorff, Hirnhaim XIV. Hochenstain, Hochschlitz, Holbach, Hornstain, Humpis de Waldthrambs II. Hutten.

I.

Jarsdorff. II.

K.

Kaltenthal II. Kemnata, Klingenberg II. Knöbel à Katzenelenbogen, Knöringen, X. Königsberg II.

L.

Landenberg III. Leonrott II. Liechtenau II. Liechtenegg, Liechtenstain, Lustnau.

M.

Mantechingen, Maussberg, Mändlin de Stainfels II. Maisel de Nidrofels, Mengensreitten, Metternich, Mindelberg, Mingen II. Münstersee, Muggenthal.

N.

Nagel de Dirmstain, Neidlingen, Neiffen, Neuhausen II. Neinegg IV. Nenningen, Niderthor.

O.

Ostein.

P.

Pappenheim VI. Praſperg V. Probſtein, Preiſingen III.

R.

Randeck & Neidlingen VIII. Ramingen, Rabenſtein II. Ranenſtain, Ratzenriedt, Rechberg, XXI. Rednitz, Römi à Kötz II. Richen II. Riedhaim III. Riſs. Rorbach VI. Rott V. Rott de Ulma III.

S.

Schadii II. Schaumberg VI. Schenckii de Limburg II. Schenckii à Caſtel, Schenckii de Schenckenſtain, Schenckii de Stauffenberg II. Schenckii de Winterſtetten III. Scheppach, Schönegg II. Schelleberg, Schliderer de Lachen II. Schmiehen, Schwabsperg, Schrenckii de Notzing, Schrofenſtain, Schwangau, Schweningen III. Schwendi II. Seefeldt IV. Seckendorf III. Seglau, Segeſſer à Brunegg, Sengen II. Seyboldtsdorf II. Sirgenſtain, Sperbersegg, Spetten de Zwifalten, Sponnagel, Stadion VIII. Stain XXIII. Stainheim, Stoflen, Stotzingen, Sturmfeder II. Sulzberg, Sundtheim IV.

T.

Thalhouen, Thanberg II. Trockau, Thumnau, Trausbach, Truchſes de Bommersfelden II. Truchſes à Kielenthal, Truchſes de Wätzhauſen.

V.

Venningen. Villingen.

W.

Wartolfſtetten, Weichs II. Weiler, Weittingen II. Welden V. Wellenburg, Werdenau, Werdenſtain, Wernau, Weſternach III. Weſterſtetten V. Wickershoven, Wickerſtain, Wildenfels II. Wimpfelden, Winterſtetten, Winzenburg, Wirſperg II. Wittislingen, Wollerſtetten, Wolffſtain III.

Ex Cathedralis Eccleſiæ AUGUSTANÆ Canonicis creati Cardinales III. Patriarchæ Aquilegienſes III.

Archiepiſcopi	Moguntinus.	I.
	Colonienſis.	I.
	Salisburgenſes.	III.
Epiſcopi.	Auguſtani.	LV.
	Bambergenſes.	II.
	Conſtantienſes.	IV.
	Curienſes.	II.
	Eiſtettenſes.	V.
	Friſingenſes.	II.
	Gurcenſis.	I.
	Lavantini.	II.
	Paduanus.	I.
	Paſſavienſes.	V.
	Ratisbonenſes.	IV.
	Spirenſes.	IV.
	Tridentini.	III.
	Viennenſis.	I.

Non dubito quin plures fuerint, ſed hi tantum inter relegendum occurrerunt.

Subjungo nunc deſcriptionem totius Diœceſis, item nomina civitatum, & locorum ſacrorum; quibus ſubjicio Catalogum Epiſcoporum, Suffraganeorum, Præpoſitorum, Decanorum & Canonicorum, veſtræ antiquiſſimæ & nobiliſſimæ Eccleſiæ Cathedralis, quotquot ex diverſis reſcriptis elicere licuit. Subſequentur Nomina ceterorum Prælatorum totius late patentis Diœceſis AUGUSTANÆ. Quæ omnia, licet exigua prima fronte appareant, non parvo tamen labore conſtitere: uti judicabunt illi, qui experti ſunt, quanto conatu & diligentia veterum ſcriptorum ſcrinia excutienda ſint. DEUS Opt. Max. RR. VV. DD. felicitet, & in priſtinum ſtatum brevi reducat, & ut non ita pridem fuit, reflorere faciat. Aug. Vind. Cal. April. 1650.

CAPUT I.

Quousque Diæcesis AUGUSTANA porrigatur?

EPiscopatus A. fines & sacra illius jurisdictio longè lateque patent: nam ab ortu transfluvium *Lycum* habet diœcesin *Frisingensem*, & vicinam *Ratisbonensem*; à Meridie in Alpibus & *Almangavia* Episcopatus *Brixinensem* & *Curiensem*, ab occasu *Constantiensem*; usque ad Danubium & trans Danubium: à Septemtrione *Herbipolensem* & *Eistettensem* Episcopatus conterminos habet: ita quod Kardo incipiat in ipsis Alpibus & *Almangavia*, nempe Diœcesi *Brixinensi* & *Herbipolensis* initium excurrat.

In Decumano vero porrigitur à diœcesibus *Ratisbonensi* & *Frisingensi* occidentem versus usque ad principium diœcesis Constantiensis, per complura milliaria Germanica.

CAPUT II.

De Civitatibus in diæcesi AUGUSTANA sitis.

EPISCOPUS AUGUSTANUS Ecclesiasticæ suæ jurisdictioni subjectas habet universim civitates XXXVIII.

Imperiales præter AUGUSTAM sunt.

II. Campidona.
III. Memminga.
IV. Kauffbura.
V. Nordlinga.
VI. Werdæa.
VII. Dinckelspüla.
VIII. Bopfinga.
IX. Aulen.
X. Gamundia.
XI. Gienga.

Principum Ecclesiasticorum.

XII. Dilinga.
XIII. Füessa.
XIV. Elvuacum.

Serenissimo Bavariæ Electori subjecta.

XV. Landsperga.
XVI. Schongavium.
XVII. Weilhaimium.
XVIII. Rhaina.
XIX. Pfaffenhofen.
XX. Schrobenhusium.
XXI. Aicha.
XXII. Fridberga.
XXIII. Haidenhaimium.
XXIV. Mindelhaimium.

Principi Neoburgico Bau. Duci, Com. Palatino Rheni, subditæ Civitates.

XXV. Neoburgum.
XXVI. Lauinga.
XXVII. Gundelfinga.
XXVIII. Höchstettum

Marchioni Burgoviensi parent.

XXIX. Güntsburgum.
XXX. Burgovia.

Marchioni Brandenburg in Onspach.

XXXI. Feüchtwang.

Ditionis Ulmensis.

XXXII. Leipheim, & Albegg XXXIII.

Comitum Ottingensium.

XXXIV. Ottinga.
XXXV. Nöreshaim.

DD. Fuggerorum Comitum.

XXXVI. Weissenhorna.

DD. Mareschallorum.

XXXVII. Wertinga.

Baronum de Stain.

XXXVIII. Stotzinga.

CAPUT III.

De Cathedrali Eccleſia & annexis.

Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis ac Domini, Domini Epiſcopi AUGUSTANI Officiales Eccleſiaſtici ſunt:

I. R. D. Epiſcopus Adramyttenus : *Suffraganeus.*
II. *Vicarius* in Spiritualibus Generalis.
III. *Officialis*, ſeu Curiæ cauſſarum Judex.
IV. *Pœnitentiarius* Epiſcopalis.
V. *Sigillifer*, & Notarius Vicariatus.
VI. *Fiſcalis.*
VII. *Advocati* Conſiſtoriales.
VIII. *Notarius* Conſiſtorii.
IX. *Pedellus.*

Eidem ut Principi S. R. I. aſſiſtunt ex equeſtri nobilitate: *Mareſchallus*, *Archimagirus*, *Pincerna* & *Camerarius*: his Officiis hæreditario jure ad ſe devolutis.

CAPITULUM Cathedrale comprehendit *Canonicos XL.* e quibus *Prælaturæ II. Præpoſitus*, *Decanus*. *Perſonatus* cenſentur IV.

I. *Cuſtos.*
II. *Scholaſticus* & *Parochus.*
III. *Archidiaconus.*
IV. *Cellarius.*

Canonici voce Capitulari carentes, divinis quotidie Officiis deſtinati ſunt IV. (vulgo die vier Herrn appellantur.)

Vicarii Eccleſiæ, ſeu *Socii* Chori ſunt XL.

De Collatione *Capituli* XIV.

Extra Eccleſiam.	I. SS. Trium Regum.	XIII. S. Joan. & Chriſtoph. in ſepultura tenebricoſa.	Altariſta.
	II. S. Leonardi.	XIV. S. Leonardi in Eccleſia.	
	III. S. Ægidii.	XV. SS. Matthiæ & Servatii.	
	IV. SS. Antonini & Pantaleonis.	XVI. SS. Laurentii & Sebaſt.	
	V. S. Georgii	XVII. S. Antonii.	
	VI. SS. Philippi & Jacobi.	XVIII. SS. X. M. Martyrum.	
Capellanus in Eccleſia.	VII. S. Agnetis 2. Miſſæ.	XIX. SS. Trinitatis.	
	VIII. S. Jacobi.	XX. SS. Gaſtuli & Othiliæ.	
	IX. S. Udalrici.	XXI. SS. Thomæ & Blaſii.	
	X. SS. VII. Dormientium.	XXII. SS. Auguſt. & Agathæ.	
	XI. S. Conradi.	XXIII. SS. Bartholomæi & Pangratii.	
	XII. S. Spiritus in Crypta Eccleſiæ.	XXIV. S. Gregorii.	

De Collatione Reverendiſſimi *Epiſcopi III.*

XXV. SS. Vitalis & Martini.
XXVI. S. Victoris.
XXVII. SS. Georgii & Barbaræ.

De Collatione D. *Præpoſiti I.*

XXVIII. S. Urſulæ in Eccleſia.

De Collatione D. *Decani II.*

XXIX. S. Catharinæ in ambitu.
XXX. S. Nicolai.

De Collatione S. *Cuſtodis IX.*

XXXI. S. Stephani.
XXXII. S. Annæ.
XXXIII. S. M. Magdalenæ.
XXXIV. S. Hilariæ Capellanus in Choro Occidentali.
XXXV. S. Agnetis 1. Miſſæ Capellanus in Pœnitentiaria.
XXXVI. S. Galli. Altariſta.

XXXVII.

XXXVII. S. Pauli.
XXXVIII. S. Spiritus. } In crypta Ecclesiæ.
XXXIX. S. Andreæ.

De Collatione D. *Scholastici I.*
XL. SS. Martini & Andreæ Capellanus.

Præter hos *Vicarios* sunt *Levitæ IV.* Diaconi duo, & duo Subdiaconi, *Lectores VI.* Diaconi tres, Subdiaconi totidem.

Ministri Altaris duo.
Subcustos.
Sacristanus.
Præsentiarius.
Cooperatores Parochiales duo.
Magister Capellæ, seu *Rector Musices.*
Chorales pueri, *Discantistæ* Clerici, numero VIII. sunt sub disciplina & cura Magistri Capellæ.
Organista, & Musici Instrumentales Laici plures.
Ludimoderator laicus.
Mariani, sive Alumni Clerici Choro mancipati XVI.
Æditui tres, duo pro Choro: tertius pro Parochia.
Fratres sedium duodecim: è quorum numero duo ad custodiam summi templi destinati sunt.

CAPUT IV.

De Ecclesiis Cathedrali vicinis & aliis per Urbem Templis ac Sacellis.

I. S. Joannis Baptistæ parochialis Ecclesia CMLX.
II. S. Viti. } In Curia Episcopali.
III. S. Lamberti.
IV. S. Narcissi auf der finstern Grädd.
V. S. Barbaræ in curia Prasbergiana. *MCCCLXXXI.*
VI. S. Galli ad S. Stephanum.
VII. S. Christophori auf der finstern Grädd.
VIII. S. Elisabethæ in Curia Mon. Cæsariensis. *MCDLXXXV.*
IX. S. Andreæ. } In ædibus Welserianis. Jam sunt PP. Carmelitarum Discalceatorum.
X. SS. Trinitatis.
XI. S. Severini.
XII. S. Antonii ad clivum Dominicanum *MCDXLV.*
XIII. S. Marci in Fuggeria. *MDLXXXI.*
XIV. S. Margarethæ in hospitali habet duos Capellanos. *MDXCIV.*
XV. S. Michaelis ac omnium Angelorum in cæmeterio novo ante portam Göggingensem. Habet Capellanus Salvatoris è cæmeterio veteri. A. C. *MDCIII.*
XVI. S. Ursulæ in Monasterio ibidem. *MDXX.*
XVII. S. Rochi in domo pustularia. *MDCIX.*
XVIII. S. Dominici Sepulchri in Mon. Franciscanorum. *MDCIX.* olim in foro vinario *MCCXXXVI.*
XIX. S. Sebastiani ad Lazaretam. *M. DC. VIII.*
XX. S. Nicolai, olim Monasterium. *MCCLXXXVIII.*
XXI. S. Salvatoris in cæmeterio antiquo ad S. Stephanum.
XXII. S. Servatii ad Leprosos. *MCCLXXXVIII.*
XXIII. S. Wolffgangi ad Leprosos. *MCDXIV.*
XXIV. S. Sebastiani ad Leprosos. *MCDXLVIII.*
XXV. S. Leonardi prope Göggingam. *MCCCLXXXIII.* destructa.

XXVI. S. Othmari ad S. Crucis. } destructæ sunt
XXVII. S. Joannis al. S. Michaelis ad D. Georgii. } MDCXXIX.
XXVIII. S. Magni propè Ecclesiam S. Mauritii dicitur fuisse, ubi nunc est domus frumentaria (die Schrand.)
XXIX. Omnium SS. & S. Eustachii. *MCCLXXXVIII.* } ad D. Udalrici.
XXX. SS. Jacobi & Blasii.
XXXI. SS. Matthæi & Joannis in domo Prædicatoria.
XXXII. S. MICHAELIS circa MCL.
XXXIII. S. Agnetis ML.
XXXIV. S. Bartholomæi.
XXXV. S. Gregorii.
XXXVI. S. Gothardi.
XXXVII. S. Spiritus Parochialis extra portam rubeam.
XXXVIII. S. Jacobi Domus Peregrinorum. *MCCCLVI.*

CAPUT V.

De Collegiatis Ecclesiis in Diœcesi AUGUSTANA.

I. Collegiata Ecclesia Elwangensis: habet præpositum S. R. I. Principem; Decanum, Custodem, & Canonicos Nobiles XII. Provisores, vulgo Veruveser IV. Vicarios Chori XVIII. Levitas II. Ministrum Altaris I. Pænitentiarium I. Concionatorem I.

II. Collegiata Ecclesia S. Mauritii AUGUSTÆ: habet Præpositum, Decanum, Custodem, & Canonicos XII. Provisores III. Vicarios Chori XVIII. Ministrum Altaris I. Bursarium I. Chorales Laicos IV.

III. Collegium S. Petri in Perlagio AUGUSTÆ; habet Præpositum & Canonicos V.

IV. Collegium S. Gertrudis AUGUSTÆ in Cathedrali Ecclesia, habet Præpositum & Canonicos IV.

V. Collegiata Ecclesia S. Udalrici in Häbach Bau. habet Præpositum, Decanum, & Canonicos VI. qui omnes Parochiis præsunt.

VI. Ecclesia Collegiata S. Petri in Dilingen, habet Præceptorem, Parochum, & Capellanos universim VIII.

VII. Collegium SS. Philippi & Jacobi in Grüenenbach, habet Decanum, & Capellanos II. olim Canonicos XII.

VIII. Ecclesia Collegiata B. MARIÆ Virg. in Feüchtwang oppido Marchionatus Brandeburgici; Lutherana nunc.

IX. Præceptoria S. Antonii (al. S. Martini) Memmingæ.

Cæterum Diœcesis AUGUSTANA habet ultra mille Parochias, in XL. fere Decanatus, seu Capitula ruralia distributas.

CAPUT VI.

De Monasteriis, Collegiis, & aliis locis sacris hujus Diœcesis.

Monasteria Ordinis S. Benedicti XXVI.

I. SS. UDALRICI & AFRÆ AUGUSTÆ.
II. S. Magni in Faucibus. *DCCXXXVIII.*
III. S. Michaelis in Fultenbach. *DCCXXXIX.* & *MCXXX.*
IV. SS. Alexandri & Theodori Ottenhuræ. *DCCLXIV.*
V. S. Benedicti in Benedictbeurn. } *DCCLXX.* circiter.
VI. SS. Petri & Pauli in Wessesbrun.
VII. SS. Apostolorum eorundem in Thierhaupten.

VIII.

VIII. SS. Udalrici & Afræ in Nöreshaim. *DCCLXXV.* & *MXCV.*
IX. S. Crucis Werdeæ. *MXXX.*
X. S. Martini in Deckingen.
XI. B. MARIÆ V. in Lorch. *MCII.*
XII. SS. Petri & Pauli in Echenbrunnen. *CIↃ. CXX.*
XIII. Gloriosæ V. MARIÆ & S. Martini in Ahusen. *CIↃ. CXXV.*
XIV. B. MARIÆ Virg. in Elchingen. *MCXXVIII.*
XV. B. MARIÆ Virg. in Ursin. *MC. LXXXII.*
XVI. S. Petri in Münchrott. *MCCXX.*
XVII. SS. Nicolai & Elisabethæ S. M. Andex. *MCDLI.*
XVIII. S. Nicolai prope Memmingam Scotorum. *MCL.*

Monialium.

XIX. Neoburgi B. MARIÆ Virg. *MVII.*
XX. S. Magni in Chüebach. *MXI.*
XXI. Gemphingæ. *MXL.*
XXII. B. MARIÆ Virg. in Hochenwart. *MLXXIV.*
XXIII. Liezhaim. *MCL.*
XXIV. S. Joannis Baptistæ zum Holz. *MCLII.*
XXV. Reistingen.
XXVI. S. Nicolai Augustæ. *MCLXXXVIII.*

Canonicorum Regularium VII.

I. Beatæ MARIÆ Virginis in Wettenhausen. *CMLXXXII.*
II. B. MARIÆ Virginis in Diessen.
III. S. SALVATORIS in Pollingen. A. C. *DCCLXX.*
IV. S. Georgii Augustæ. *MCXXXV.*
V. S. Crucis Augustæ. *MCLV.*
VI. S. Martini in Bernriedt.
VII. S. Dionysii in Herbertingen. *MCXLIV. al. MCXLIV.*

Canonicorum Ordinis Præmonstratensis III.

I. Ursperg. *MCXXV.*
II. Roggenburg. *MCXXVI.*
III. Staingaden. *MCXLVII.*

Ordinis Cisterciensis VIII.

I. Krafftal juxta Lautterbrun; unitum est Monasterio Cæsariensi. *MCXXXIII.*
II. Kaissershaim. *MCXXXIII.*
III. Königsbrunn. *MCCCII.*
IV. Oberschönenfeld. *MCCXX.* } Monialium.
V. Niderschönenfeld. *MCCXLI.* } Monialium.
VI. Kirchaim. *MCCLXX.* } Monialium.
VII. Zimmern. } Monialium.
VIII. S. Bernardi Lauingæ. } Monialium.

Carthusiæ II.

I. Buchshaim.
II. Christgart.

Ordinis S. Dominici. XI.

I. S. Mariæ Magdalenæ Augustæ. *MCCCXII.*
II. Gamundiæ.
III. Nördlingæ.
IV. Kirchaimii. *MDCI.*

Monialium.

V. S. Catharinæ Augustæ. *MCCL.*
VI. S. Margarethæ ibidem. *MCCLXXXVIII.*
VII. S. Ursulæ ibidem. *MCCCXXXV.*
VIII. Cella Dei prope Gamundiam.

IX. Congregatio minor Dilingæ. MCCCXVIII.
X. Medingen.
XI. Medlingen.

Ordinis S. Francifci XXXIII. Conventualium.

I. S. Francifci Auguftæ.
II. Gamundiæ.
III. Mariæ May. olim Ord. S. Brigittæ.
IV. Ad Stellam Auguftæ MDXXIII. Monialium.

Obfervantium.

V. Ad Sepulcrum Dominicum Auguftæ. MDCIX.
VI. S. Francifci Nordlingæ.
VII. Zum Lentzfritz.
VIII. Ad D. V. Auxiliatricis. Refidentia.
IX. Congregatio major Dilingæ. MCCCLIX.
X. Clofterbeüren.
XI. S. Annæ Campidoni Sororum.
XII. Zum Lentzfritz prope Campidonam Sororum.
XIII. B. MARIÆ Virg. Memmingæ.

Tertiæ Regulæ.

XIV. Kauffburæ im Mayrhoff.
XV. Günzburgi.
XVI. Mündelhaimii.

(IX.–XVI.: Monialium.)

XVII. Hochholtingen.
XVIII. Gamundiæ.
XIX. In Welden. MDLXX.
XX. S. Martini Auguftæ. MCCLXIII.
XXI. Auf der Harbrugg. Ibidem.
XXII. S. Elifabethæ Memmingæ.
XXIII. Salmanshoven. MCC.
XXIV. Inclusorium Giengæ.
XXV. S. Jacobi Hermaringæ.

Capucinorum.

XXVI. S. Francifci Auguftæ. MDCII.
XXVII. Günzburgi. MDCXVIII.
XXVIII. Dinckelfpülæ.
XXIX. Werdeæ.
XXX. Haidenhaimii. MDCXXXVI.
XXXI. Gamundiæ in his duobus per modum refidentiæ.

Reformatorum.

XXXII. Füeffenii.
XXXIII. Weilhemii.
XXXIV. Schrobenhufæ.

Ordinis S. Auguftini Eremitarum V.

I. S. Auguftini Lauingæ.
II. S. Auguftini Mindelhaimii MCCLX. nunc S. J.
III. S. Auguftini Memmingæ.
IV. S. Auguftini Gamundiæ.
V. Weiheberg juxta Wertingen. MCXLV.

Incerti Ordinis II.

I. In Gundelfingen.
II. Stainhaim: unitum nunc Mon. Königsbrunn.

Ordinis S. Spiritus de Roma I.

I. Magifter Hofpitalis Memmingæ. MX.

Ordinis B. M. Virginis Carmelitarum IV.

I. S. SALVATORIS Nordlingæ. MCCCLXXXI.
II. B. MARIÆ Virg. in Dinckelfpül.

III. D. Annæ Auguſtæ. MCCCXXI. nunc S. J.
IV. S. Joſephi ibidem MDCXXX. Diſcalceatorum.

Collegia, Domus Probationis, & Reſidentiæ Patrum Societatis JESU. X.

I. S. SALVATORIS Auguſtæ
II. S. Annæ, ibidem.
III. S. Hieronymi, Dilingæ.
IV. S. Crucis Landſpergæ.
V. Neoburgi.
VI. Mindelhaimii.
VII. Memmingæ.
VIII. Kauffburæ.
IX. Donawerdæ. } nunc vacant.
X. Füeſſenii. } nunc vacant.

Magiſtratus ſeu Commenda Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani I.

I. In Erlingen.

Commendatores Ord. Teutonici B. MARIÆ Virginis. IV.

I. Donawerdæ.
II. Ottingæ.
III. Kapfenburg.
IV. Bluementhal.

Canoniſſarum II.

I. S. Stephani Auguſtæ. MCCLXX.
II. S. Joannis in Edelſtetten. MCXXVI.

Summa Monaſteriorum & aliorum locorum ſacrorum hujus Diœceſis. CIX.

CAPUT VII.

Epiſcoporum AUGUSTANORUM Vindelicorum Catalogus.

S. DIONYSIUS S. AFRÆ avunculus, à S. NARCISSO, Presbyter, & deinde Epiſcopus ordinatus, martyrio coronatus eſt, circa an. CCCV.

Epiſcopatus AUGUSTANUS inſtitutus creditur circa annum Domini DXC.

Num. Nomina.	*an. elect.*	*Regim.*	*obitus.*	*dies.*
I. Zozimus.	590.	18.	608.	
II. Perwelf.	608.	5.	614.	
III. Tagebertus.	614.	16.	630.	
IV. Manno.	630.	19.	649.	
V. Wicho.	649.	18.	667.	
VI. Pricho. C. Brigant.	667.	20.	687.	
VII. Zeizzo.	687.	21.	708.	
VIII. Marchman.	708.	29.	738.	
IX. S. Wichterpus.	738.	17.	755.	18. *April.*
X. S. Tozzo.	755.	12.	768.	16. *Januar.*
Vacavit Sedes 20. circiter annos.				
XI. S. Sintbertus.	788.	30.	818.	13. *Octob.*
XII. Hanto.	818.	7.		
XIII. S. Nitger.	864.	4.	869.	15. *April.*
XIV. Vodalman.	869.	7.	876.	
XV. Wigger.	876.	10.	887.	
XVI. Lanto.	878.			
XVII. S. Adalberto C. Dilingenſis.	887.	30.	909.	28. *April.*
XVIII. Hiltine.	909.	15.	923.	
XIX. S. Vodalricus C. Küburgenſis.	923.	50.	973.	4. *Julii.*
XX. Henricus C. in Geiſenhauſen.	973.	8.	982.	14. *Julii.*
XXI. Eutichus.	982.	6.	988.	
XXII. Luitolth.	988.	7.	996.	27. *Julii.*

 XXIII. Ge-

XXIII. Gebehart.	996.	4.	1000.	7. *Julii.*
XXIV. Sigefridus.	1000.	7.	1007.	
XXV. Pruno Dux Bojorum.	1007.	22.	1029.	23. *April.*
XXVI. Eberhardus.	1029.	18.	1047.	
XXVII. Heinricus.	1047.	16.	1064.	3. *Decemb.*
XXVIII. Embrico C. de Leininigen.	1065.	14.	1077.	30. *Julii.*
XXIX Wigoldus. al. Sigefridus.	1077.	11.	1088.	
XXX. Herimannus. C. de Wittelſpach.	1088.	38.	1134.	
XXXI. Waltherus. C. de Tubingen.	1134.	16.	1153.	3. *Sept.*
XXXII. Kuonradus. C. de Lizzelſtain.	1152.	15.	1167.	
XXXIII. Hartwigus de Lierhaim.	1167.	17.	1184.	25. *Jan.*
XXXIV. Vodalſcalcus. C. de Eſchenloch.	1184.	18.	1202.	1. *Junii.*
XXXV. Heirtwicus ab Hirnhaim.	1202.	6.	1208.	30. *April.*
XXXVI. Sifridus de Rechberg.	1208.	19.	1227.	
XXXVII. Syboto Baro de Gundelfingen.	1227.	25.	1262.	15. *Aug.*
XXXVIII. Hartmannus C. de Küburg & Dilingen.	1252.	33.	1286.	4. *Julii.*
XXXIX. Sifridus ab Algishauſa.	1286.	2.	1288.	29. *Junii.*
XL. Wolfardus à Rodt.	1288.	12.	1300.	13. *Jan.*
XLI. Degenhardus de Helenſtain & Haidenhaim.	1300.	7.	1307.	25. *Nov.*
XLII. Fridericus Spett de Turnegg.	1307.	22.	1330.	
XLIII. Udalricus à Schöneck.	1330.	6.	1336.	
XLIV. Henricus à Schönech.	1336.	12.	1368.	
XLV. Marquardus à Randeck.	1348.	20.	1381.	
XLVI. Waltherus Hochſclitz.	1368.	1.	1369.	4. *Octob.*
XLVII. Joannes Schadlant.	1369.	9.	1378.	
XLVIII. Burcardus ab Ellerbach.	1378.	30.	1404.	
XLIX. Eberhardus C. à Kirchberg.	1404.	6.	1411.	
L. Anshelmus de Nenningen.	1411.	10.	1428.	
LI. Petrus à Schaumberg Cardinalis.	1421.	45.	1469.	12. *April.*
LII. Joannes C. à Werdenberg.	1469.	17.	1486.	20. *Jan.*
LIII. Fridericus C. de Zolleren.	1486.	19.	1505.	8. *Martii.*
LIV. Henricus à Liectenau.	1505.	12.	1517.	12. *April.*
LV. Chriſtophorus à Stadion.	1517.	26.	1543.	
LVI. Otho Baro Truchſeſſius Cardinalis.	1543.	30.	1573.	2. *April.*
LVII. Joannes Egolphus de Knöringen.	1573.	2.	1575.	4. *Junii.*
LVIII. Marquardus de Berg.	1575.	15.	1591.	28. *Jan.*
LIX. Joannes Otho de Gemmingen.	1591.	7.	1598.	6. *Octob.*
LX. Henricus de Knöringen.	1598.	47.	1646.	25. *Junii.*
LXI. Franciſcus Sigismundus Archidux Auſtriæ &c.	1646.			

CAPUT VIII.

SYLLABUS.

Epiſcoporum in Pontificalibus Vicariorum AUGUSTANI Præſulis, quorum nomina reperiri potuerunt.

I. HENRICUS Abbas Cæſarienſis, Ord. Ciſtertienſis, Epiſcopus Chalcedonenſis, olim Metropolitanus, jam vero Provinciæ Conſtantinopolitanæ. 1267.

II. ALBERTUS Mader, Ord Minorum., Epiſcopus Salonienſis, Provinciæ Athenienſis. 1380.

III. UDALRICUS Ord. Carmelitarum, Epiſcopus Sebaſtenſis, Provinciæ Cæſareenſis. 1404.

IV. MARTINUS, Epiſcopus Adramyttenus in Myſia minoris Aſiæ ad Helleſpontum, Epheſinæ Provinciæ. 1424.

V. GUI-

V. GUILELMUS Dieminger Episcopus Adramyttenus. 1444.
VI. MARTINUS Aursperger Episcopus Adramyttenus, 1446.
VII. JODOCUS Abbas Urspergensis, Ord. Præmonstratensis, Episcopus Adramyttenus. 1460.
VIII. UDALRICUS Geislinger Ord. Minorum, Episcopus Adramyttenus. 1480.
IX. JOANNES, Doctor, Episcopus Adramyttenus. 1490.
X. HENRICUS Negele Doctor, Episc. Adramyttenus. 1497.
XI. JOANNES de Werthaim, Episcopus Adramyttenus. Obiit decima quarta Septembris. 1506.
XII. MARCUS Avunculus, Doctor, Episcopus Nazianzenus, Provinciæ olim Tyanensis in Cappadocia secunda, jam vero Morissiæ, vel, ut nonnulli ajunt, Metropolitanus sub Patriarchatu Constantinopol. 1520.
XIII. JOANNES Laiman, utriusque Juris Licentiatus, Curiæ Episcopalis Judex, Episcopus Augustopolitanus Provinciæ Synadensis in Phrygia salutari. 1550.
XIV. MICHAEL Dornuogel, Episcopus Adramyttenus. 1558.
Obiit 6. Decembris, Anno 1589.
XV. SEBASTIANUS Breining, SS. Theologiæ Doctor, Canonicus Cathedralis Aug. Episc. Adramyttenus. 1586.
Obiit 14. Februarii 1618. ætatis 66. d. 25.
XVI. PETRUS Wall, SS. Theologiæ Doctor, Dilinganus, Canonicus Augustanus, Episcopus Adramyttenus. 1618.
Obiit 6. Julii 1630.
XVII. SEBASTIANUS Myllerus, SS. Theologiæ Doctor, Brigantino-Triebenbachensis ad Acronium, Canonicus Augustanus, Episcopus Adramyttenus. 1631.
Obiit 1644. 20. Octob.
XVIII. CASPAR Zeiller. SS. Theologiæ Doctor, Vicarius Generalis, Decanus S. Mauritii, Episcopus Adramyttenus. 1645.

CAPUT IX.

Præpositi Cathedralis Ecclesiæ AUGUSTANÆ.

960. Gebhardus Comes de Amerthal fit *Abbas Elwang.* 990. *E. Aug.* 996. Obiit 1000. 7. *Julii.*
990. Wandalgerus.
1000. Waltherus.
1016. Eberhardus.
1046. Reinhardus.
1050. Sinhardus Comes à Katzenelenbogen.
1058. Sigefridus.
1064. Embricus Comes à Leiningen, *ut nonnulli volunt, sed videtur omittendus.*
1071. Nortbrechtus Comes de Hochenwart, fit *Episc. Curiensis.* obiit 1087.
1077. Udalricus Comes de Hefra, fit *Episc. Passav.* obiit 1124.
1092. Volckmannus de Dalheim.
1130. Conradus.
1135. Hildebrandus.
1140. Waltherus de Stain.
1150. Conradus.
1151. Sigefridus.
1170. Giselherus.
1180. Udalscalcus Comes de Eschenlohe, fit *Ep. Aug.* 1184. obiit 1202. 1. *Jun.*
1184. Remboto.

1190. Sifridus de Rechberg, fit *Episc. Aug.* 1208. obiit 1227.
1208. Hildebrandus.
1220. Burcardus.
1221. Rabanus.
1230. Volckmarus de Thalhoven.
1235. Eberhardus de Thumnau.
1240. Hainricus de Diefchaima.
1250. Raboto.
1252. Ludovicus Comes de Helfenftain. Obiit 1288.
1288. Fridericus Comes de Zollern, fit *Episc. Conftant.*
1293. Degenhardus Baro de Hellenftain, fit *Ep. Aug.* 1300. obiit 1307. 25. *Nov.*
1307. Conradus de Rechberg.
1310. Rudolphus de Hirnhaim, obiit 1312.
1312. Udalricus de Aichaim. obiit 26. Decemb. 1324.
1324. Swiggerus.
1328. Henricus à Schönegck.
1330. Crafto de Neidlingen. obiit Anno 1333.
1333. Eberhardus de Hirnhaim.
1350. Engelhart de Enzberg. obiit 14. Octob. 1362.
1362. Otho de Suntheim. obiit 3. Idus Augufti 1397.
1397. Waltherus Schübel Decretorum Doctor, *ædificavit à fundamentis Refidentiam Præpofituræ.*
1411. Henricus Harfcher.
1417. Fridericus Burgravius.
1427. Degenhardus à Weix, fit *Episc. Frifingenf.* 1432.
1432. Henricus Truchfes de Höfingen. DD. D. obiit 1468. 24. *Martii.*
1468. Joannes Dux Bavariæ de Newmarckt.
1486. Erphto Truchfes de Höfingen.
1501. Matthæus Lang, Auguftanus, *Epifcopus Gurzenfis*, *Archiepifcopus Salisburg. S. R. E. Cardinalis.*
1518. Marquardus de Stain, J. U. D. obiit 15. Jan. 1559. ætatis 83.
1559. Marquardus à Berg. J. U. D. fit *Epif. Aug.* 1575. obiit 28. Jan. 1591.
1576. Gebhardus Truchfes Baro à Waldtpurg. fit *Archiepifc. Colonenf.*
1580. Wolffgangus Andreas Röm à Köz, J. U. D. obiit 1588.
1588. Joannes Conradus de Stain, *Præpofitus* elect. fed non confirmatus.
1589. Vitus de Rechberg de Hochen-Rechberg, obiit 8. Jan. 1612.
1612. Chriftophorus de Gemmingen, obiit 31. Decemb. 1616.
1617. Chriftophorus ab Aw, *Prænobili in Suevia familia ortus, non folum Italiam, Romamque, fed fere totam Galliam & Hifpaniam vidit, atque ad S. Jacobi Majoris Compoftellæ in Gallæcia Sepulcrum ufque penetravit. Factus Præfectus Capituli* 1607. *Scholafticus* 1602. *Cuftos* 1607. *Decanus* 1614. 24. *Novemb. Præpofitus demum* 31. *Januarii* 1617. *Fuit etiam Canonicus Herbipolenfis.* Obiit 22. Januar. Anno. 1649.
1649. Joannes Rudolphus Baro de Rechberg de Hochen-Rechberg, *Adminiftrator Epifcopatus Auguftani;* electus in Præpofitum 26. Februarii 1649.
Floreat, & fuperet vivendo Neftoris *Annos.*

CAPUT X.

Decani Cathedralis Ecclefiæ AUGUSTANÆ.

950. Atelinus.
970. Etichus C. ab Altdorf, fit *Epifcopus Auguftanus* 982. obiit 988.
982. Wandelgerus.

900. Wal-

900. Waltherus.
1000. Ericharius.
1020. Dietrichus.
1030. Gebhardus.
1052. Sigefridus C. à Dornſperg, fit *Præpoſitus* 1058. demum anno 1077. electus *Epiſcopus.* obiit 1096. 4. Decemb.
1058. Udalricus, fit *Præpoſitus* 1077.
1077. Ericharich.
1100. Henricus.
1130. Wernherus, *Huic datum eſt jus conſtituendi Capellanum S. Sepulchri Dominici Auguſtæ in foro vinario.*
1135. Engelwardt.
1143. Agilwaldus, *ſub quo decanatui incorporatus eſt Archidiaconatus.*
1164. Meinhardus.
1180. Sigefridus de Rechberg, fit *Præpoſitus* 1190. ac demum *Epiſcopus* 1208. obiit 1227.
1190. Bertoldus.
1208. Adalbertus.
1220. Gotfridus.
1221. Sifridus.
1227. Heinricus de Dieſchaima.
1243. Sifridus Kæſtelin.
1252. Sifridus Schenck de Winterſtetten.
1265. Sigefridus de Wittislingen.
1285. Degenhardus Baro de Gundelfingen.
1287. Rudolphus de Hirnhaim. } *Videtur idem fuiſſe.*
1288. Rudiger de Hirnhaim.
1307. Udalricus de Aichaim, factus *Præpoſitus* 1312.
1312. Crophto de Neidlingen, obiit 28. Junii 1321.
1321. Hermannus Saxo, *ex Canonico & Cuſtode S. Mauritii poſtulatus ad Decanatum Cathedralis Eccleſiæ, fundavit Vicariam S. Nicolai in Eccleſia: emit quædam bona immobilia Menchingæ pro Capitulo Auguſtano.*
1330. Cropfo.
Henricus de Neidlingen. obiit 1333.
1333. Rudolphus de Hirnhaim, *emit pro Capitulo ſuo curiam dotalem, & alia bona Menchingæ.*
1337. Rupertus de Rorbach.
1346. Eberhardus de Rorbach.
1352. Conradus de Gerenberg. al. Garenbach.
1373. Udalricus Burgravius. } forte iidem.
1395. Udalricus de Echingen.
1400. Berchtoldus Truchſes de Killenthal.
1415. Udalricus Harſcher. al. Geſsler.
1434. Gotfridus Harſcher, *reſtauravit domum Decanalem.* obiit 28. *Sept.* 1459.
1460. Leonardus Geſſel, DD. *Licentiatus.* obiit 1465.
1465. Udalricus de Hochen-Rechberg. DD. *Doctor.* obiit 1. *Junii* 1500.
1500. Wolffgangus de Zillenhardt, DD. *Licent.* obiit ultimo *Decemb.* 1519.
1515. Chriſtophorus de Stadion, J. U. D. fit *Epiſ. Aug.* 1517. obiit 1543.
1517. Conradus de Hirnhaim.
1517. Marquardus de Stain, J. U. D. fit *Præpoſitus.*
1519. Philippus à Rechberg, *Præpoſitus Wormatenſis.* obiit 16. *Febr.* 1557.
1557. Chriſtophorus de Freiberg, fit *Præpoſitus Elwangenſis.* 1573. obiit 1584.
1573. Wolffgangus Andreas Röm à Kötz, J. U. D. fit *Præpoſitus* 1580. obiit 1588.
1580. Joannes Otho de Gemmingen, fit *Epiſc. Aug.* 1591. obiit 1598.

1591. Joannes Conradus de Gemmingen. *Primus præsentias seu distributiones quotidianas in summo Choro auxit. Sub eo Cathedralis Ecclesia renovata, dealbata, atque picturis quibusdam aucta est. Factus Episcopus Eichstadianus* 1594. Obiit Anno 1612.
1594. Joannes Henricus Vogt de Summerau.
1595. Joannes Hieronymus Stor, obiit 5. *Novemb.* 1614.
1614. Christophorus ab Aw, fit *Præpositus* 1617.
1617. Michael de Landenberg electus, *accipere noluit.*
1617. Zacharias Furtenbach, J. U. D. obiit 1633.
1633. Erhardus ab Aw, obiit 1639.
1639. Joannes Udalricus Schenck à Castell, *Crescat honore gradus multum crescentibus annis.*

CAPUT XI.

Canonici Cathedralis Ecclesiæ AUGUSTANÆ.

Quotquot ex vetustis literarum monimentis erui potuerunt.

800. Hanto Comes Andecensis, fit *Episc. Aug.* 818.
830. B. Rathardus ejusdem frater.
Sticho de Altomünster.
Waltherus.
Adalgerus.
Adelhaimus.
900. S. Udalricus postea *Episcopus Aug.* Anno 923.
950. Gerhardus *Præpositus.*
Attelinus *Vicedominus*, id est, *Decanus*, seu potius *Oeconomus.*
Adalbero *Nepos S. UDALRICI ex sorore.* obiit 971.
Hiltinus *Camerarius.*
Rudungus, post *Abbas* Ottenburæ.
Heilricus, *Presbyter, Cantor.*
Udalgerus, *Vicarius.*
Wandalgerus, *Præpositus.*
Anamotus, *Archipresbyter.*
Bernhardus.
Winchfridus.
980. Etich.
Adaspero.
Jacob.
Marchward.
Willehalm.
Hunfrid.
Engelmar.
Wezi.
Pelegrim.
Gundechar.
Cadolt.
Werinheri.
Gerhardi.
Hildepolt.
Reginhard.
Suitger.
Arebo.
Urolf.

Weren-

Werenherus.
Hiltepolt.
Gotepolt.
1008. Rudolphus *Vicedominus.*
Atzzo.
Adelhaimus.
Udalricus.
Waltherus.
Berchtoldus.
Albertus.
Henricus.
Seifridus.
Hartmannus.
Fridericus.
Conradus.
Mangoldus.
1011. Arbo Comes ab Andechs & Hochenwardt, fit *Archiepiscopus Moguntinus*, *sed ante Confirmationem obiit, & ideo in numerum Archiepiscoporum non est relatus.*
1029. Dietrichus *Decanus.*
Manegoldus *Advocatus.*
Eberhardus de Hohenloë Comes: fit *Episcopus Ratisponæ.*
Gebhardus Comes de Andechs, fit *Episcop. Ratisponens.* obiit 1036.
1042. Eberhardus fit Patriarcha *Aquileiensis.*
Balduinus, al. Baldingus & Baldovinus *Episcopus Patavinus*, *& Salisburgensis*, obiit 1062.
Vernculphus.
Adalpero.
Henricus.
Conradus.
Rudolphus.
Hermannus.
Erhardus.
Embricus.
1054. Reinhardus, *electus Episcopus Pataviensis & Spirensis.*
1060. Sinhardus Comes de Katzenellenbogen, *Episcopus Spirensis*, aliis Einhardus dicitur.
Waltolphus *Episcopus Patavinus*, al. Vereculphus dicitur: obiit 1064.
1071. Nortprechtus Præpositus, fit *Episcopus Curiensis.*
Waltherus *Archipresbyter.*
Richardus *Archidiaconus.*
Ercheinrich *Presbyter.*
Addprecht *Presbyter.*
Heinrich.
Aelgoius *Advocatus*, *Presbyter.*
Wernher *Advocatus.*
Wolfdrigel.
Godebot.
Senrit.
Sobenus.
Sorbolt.
Maremat.
Sigeboto.
Merebodus.
Wezel.

Wigoldus.
Sigefridus.
1077. Henricus fit *Patriarcha Aquileienſis.*
1084. Adalbero fit *Epiſcopus Tridentinus.*
1085. Ericharich *Decanus.*
Rudolph *Vicedominus.*
Aizzo.
Odolrich de Richen.
Witolt.
Heremun.
Regino.
Reginhart.
Egilolff.
Mezelin.
Futo.
Sitzo.
Odalrich.
Willeman.
Folpht.
Steuen.
Sigebotto.
Sigelim.
Burckart.
Uto.
Luipoldt.
Billunc.
Luitfridt.
Herman.
Werinhere.
Otho Comes de Andex.
1092. Udalricus Comes de Hefra, *Præpoſitus*, fit *Epiſcopus Pataviensis*, obiit 1124.
Conradus *Vicedominus*, & *Præpoſitus.* 1095.
Guido, fit *Epiſcopus Curienſis.*
1130. Wernerus *Decanus.*
Sigiboto. } *Archidiaconi.*
Uto. }
Gebeon, *Reſtitutor Fultenbacenſis Cœnobii & Abbas.*
Waltherus Comes de Tubingen, fit *Epiſc. Auguſt.* 1134.
Hermannus *Presbyter Theſaurarius.*
Hildibertus *Archidiaconus*, *Præpoſitus in Hegebach.*
Conradus *Archipresbyter.*
Wernherus *Archidiaconus.*
Helembrecht *Præpoſitus de Wiſeſtaig.*
Adelbero *Diaconus.*
Wigoldt *Presbyter.*
Sigifridus *Subdiaconus.*
Rudigerus *Notarius.*
Etichus.
Meginhardus.
Hartovicus.
Henricus.
Dietgerus.
Fridericus.
1135. Hildebrandus *Præpoſitus.*
Conradus *Vicedominus.*

Engel-

Engelwardt *Decanus.*
Conradus *Archipresbyter.*
Hermannus *Custos.*
Hermannus *Scholasticus.*
1143. Agilwaldus *Decanus.*
Conradus *Vicedominus.*
Hermannus *Thesaurarius.*
Erchingerus *Thesaurarius.*
Conradus *Archipresbyter.*
Berchtoldus *Cellerarius.*
Dietterícus *Camerarius.*
Sigeboto *Plebanus.*

Monasterium istud hodie *S. Placidi* nomen habet, ab ipso nimirum fundatore, estque aggregatum Congregationi Cassinensi an. 1506. ut infra cap. 92. dicemus.

DEsiderius Longobardorum Rex cœnobium S. Benedicto exædificavit in *Leno* agri Brixiani vico, filiam vero *Ansilbergam* divino cultui virginem consecravit, in monasterio à se constructo ad urbem Brixiam quod Christo Salvatori & S. Juliæ martyri anno 671. dedicavit. Pium hoc opus approbavit Paulus Papa anno 762. ut narrat Sigonius lib. 3. de regno Italiæ.

CA-

CAPUT III.

Monasterium S. Petri de Cardena, *secundo lapide à Burgensi urbe, in Castella veteri situm.*

Est istud monasterium inter Hispanica omnium antiquissimum, utpote an. Christi 540. fundatum per monachos à S. Benedicto in Hispaniam missos. Fundatrix fuit *Sanctia* mater *Severiani* Ducis provinciæ Carthaginensis, qui fuit pater Sanctorum *Leandri*, *Isidori*, *Fulgentii* & *Florentiæ*. Hoc monasterium reædificandum curavit *Rodericus Diaz*, vulgo *Cid Ruy Diaz de Vivar* dux belli contra Mauros famosissimus, qui & ibidem voluit sepeliri. Tumulus ejus hodieque magna cum admiratione spectatur. Obiit autem Valentiæ anno Christi 1099. Sic tradit Prudentius Sandovallius, Prior perpetuus monasterii S. Joannis Regalis de Naranco, & Chronographus Regius, nunc Episcopus Pompelonensis, in prima parte de fundationibus monasteriorum Ordinis S. Benedicti in Hispania, ab an. Christi 540. usque ad annum 714. quo Mauri Africani in Hispaniam irruperunt. Exstat is liber Hispanice in folio editus Madriti anno 1601.

Monasterium S. Toribii de Lievana, in Hispania.

Situm est hoc monasterium in montibus Sanctæ Julianæ, primo lapide ob opido *Potes* nuncupato, & creditur fundatum temporibus S. Benedicti. Nomen habet à *S. Toribio* monacho, fundatore: qui est alius à S. Toribio Episcopo Asturicensi. Nam Toribius Episcopus vixit circa annum Christi 450. temporibus Leonis Papæ: Toribius autem monachus floruit circa annum 544. temporibus Montani Archiepiscopi Toletani. Monachi meminit Ildefonsus lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, ubi de Montano agit. Uterque Toribius Fidem Palentiæ propagavit, & contra Priscillianistarum hæreses depugnavit, Utriusque sacrum corpus hoc in monasterio adservatur in sacello subterraneo. In eodem monasterio asservatur magna pars *Crucis Dominicæ*, & magno hominum pie peregrinantium concursu frequentatur. Ita Prudentius Sandovallius, in Parte Prima fundationum monasteriorum Benedictinorum in Hispania.

Monasterium S. Claudii, ad muros urbis Legionensis, & alia in Hispania.

Hoc monasterium fundatum est in honorem SS. martyrum Claudii, Eupercii & Victorici, quorum corpora ibidem adservantur. Putatur autem fundatum temporibus Sancti Benedicti, juxta traditionem à majoribus acceptam. Hujus monasterii quondam Abbas fuit Sanctus *Vincentius* martyr, cujus sacrum corpus adservatur in basilica cathedrali Ovetensi, arcæ argenteæ inclusum. In eodem monasterio, ob loci sanctitatem, olim vixit *S. Leander* Archiepiscopus Hispalensis. Fuit hoc monasterium olim Congregationis Cluniacensis, nunc autem Vallisoletanæ, ab anno Christi 1500. Ita Sandovallius in prima parte Fundationum monasteriorum Benedictinorum.

Est & illustre monasterium de Ona dictum, haud procul situm à Medina del Pumar de miranda, per *Sanctium* Castiliæ Comitem anno 1010. fundatum, ad expiandum parricidium matri à se illatum. Prima hujus loci Abbatissa fuit *Tingidia* Sanctii fundatoris filia. Fuit enim hoc cœnobium primo monialium, sed hodie est monachorum Benedictinorum.

In regno Navarræ in d. Pompelonensi est Abbatia S. Salvatoris *de Leyra*, fundata per Regem *Inicum Ximenium Aristam*, anno 840.

Est illustris pariter Abbatia in Navarræ opido Najara, quæ vulgo dicitur, *El Real de Najara*, in qua 37. Reges sepulti sunt.

Sunt insuper in Hispaniarum regnis alia multa cœnobia Abbatiali titulo clara, ut cella nova in d. Auriensi, in regno Galiciæ, fundata per *Rosesuindum* Archiepiscopum compostellanum. In eodem cœnobio quiescit corpus S. *Torquati* Episcopi Gaditani.

Abbatia S. Stephani, dicta, *in Riba de Sil*, quod ad fluvium nominis ejusdem sita sit in Regno Galiciæ.

Abbatia S. Joannis *de la Penna*, in confinibus Aragoniæ & Navarræ.

Abbatia S. Martini, in urbe Mantua Carpetanorum, seu Madrito.

Abbatia S. Petri de *Arlanca*, ad fl. de Arlànca, fundata per Comitem *Fernandum Gonzales* Castellæ Administratorem, eodem in monasterio sepultum.

Abbatia *S. Dominici de Silos*, in d. Calagurritana, quæ nomen ab eodem Sancto habet.

Abbatia de *Hipoll*, in Principatu Catalauniæ, tumulis antiquorum Comitum Barcinonensium insignis.

Abbatia, vulgo *El Real de Yrache*, in urbe *Stella*, in regno Navarræ.

Abbatia nostræ Dominæ, *Sopetram* dicta, prope opidum Hita, ad fl. Henares.

Abbatia S. Victoriani, in d. Oscensi, in regno Aragoniæ.

Abbatia S. Cucuphæ, vulgo de S. *Colgat* octavo lapide ab urbe Barcinonensi, ab ejusdem provinciæ Comitibus fundata.

Abbatia S. Petri de Roda, in Ampuriis ad mare sita.

Abbatia S. Martini in urbe compostellana, quæ vulgo *S. Jacobi* dicitur in regno Galiciæ.

CAPUT IV.

S. Matthiæ cœnobium, apud Treveros, in Germania.

S. Matthiæ præpotens ac magnificum hodie extra muros Treverenses cœnobium, reformationis Bursfeldensis, dictum est antiquitus *S. Eucharii Cella*, à S. *Euchario* primo Treverorum Doctore & Episcopo, qui ex septuaginta duobus discipulis unus, à S. Petro cum aliis duobus *Materno* & *Valerio* Treverim missus dicitur. Cumque ibi concionatus, ad Christum Treveros duceret, Albanæ senatricis cujusdam filium defunctum à mortuis resuscitavit; pro quo beneficio, cum dedisset femina domum suam sancto Dei viro; ipsemet ex illa domo privata, publicum eorum, qui jam Christo inserti erant, templum fecit. In hac domo & in hoc ipso templo S. *Eucharius* habitavit: in hac domo mortuus, mox ab auditoribus in subterranea templi crypta positus, ibique humatus est; in quo loco omnes postea ejus successores Episcopi Trevirenses usque ad Valentinum vicesimum sextum Antistitem collocati & decenter humati sunt, tumulis & mausoleis quindecim amplissimis parieti cryptæ eleganter insertis, quæ nonnisi cum multa admiratione videri possunt.

Cœmiterium vero S. Eucharii duas habet subterraneas cryptas, in quibus plurima veterum heroum & sanctorum Dei amicorum cernuntur mausolea & magnifica sepulcra; unum vero præcipue cum liliis saxo incisis, quæ Regem Galliæ aut de regia familia aliquem ibi cubare testantur. Periit incendio hæc Cella S. Eucharii circa annum Domini 330. sed restituitur paulo post à S. *Agritio* Archiepiscopo Treverorum vicesimo septimo, qui corpus S. *Mathiæ* Apostoli Treverim afferens, in eam cellam transtulit, quam deinceps S. *Mathiæ monasterium* appellandum censuit. Eversa vero ab Attila Hunnorum Rege (qui se metum orbis & flagellum Dei dicere non erubuit) tota fere Treveri, Cella hæc S. Matthiæ etiam solo æquata est. Quam mox tamen *Cyrillus* tricesimus septimus Trevirorum Antistes non solum reparavit, sed etiam auxit atque ampliavit, sibique tumulum illic prope antecessores suos constituit. Monastica vero congregatio cæpit illic paulo post hujus Cyrilli tempora: & fuisse in ea multos eximie doctos admodumque diligentes monachos testatur hodie adhuc incomparabilis hujus monasterii bibliotheca. Post modum Galliæ Regum & Episcoporum Treverensium accessit liberalitas ac munificentia, qua & ditatum & egregie illustratum est monasterium S. Matthiæ. Habet autem præ ceteris plurimis ornamentis, 28. fontes optimos ac limpidissimos, omnes ex una scaturigine ortum & initium sumentes. Sic fere Caspar Bruschius in Chronologia monasteriorum Germaniæ.

CAPUT V.

S. Vedasti Abbatia, in urbe Atrebatensi, apud Belgas.

ILlustrissimum S. VEDASTI cœnobium, ut nomen sic & originem repetit à *S. Vedasto* Atrebatensi Episcopo: adeoque commune cum aliis plurimis habet exordium, quæ à cellulis anachoretarum & oratoriis Sanctorum originem duxerunt. Cæterum *Vedastus*, Romano collabente Imperio, Religioni Christianæ propagandæ in Leucis operam dabat, cum Rex Galliæ Clodoveus primus adversus Germanos illo in tractu bellum gereret. A quibus parum abfuit quin funderetur ac deleretur: sed precibus ac votis impetrata victoria, Regi Vedastus cathechista opportunus adfuit, eumque ad Christiana sacra amplectenda, & baptismum suscipiendum, S. Remigio Remensi Archiepiscopo collaborante anno salutis 500. pertraxit.

Atrebatum surgebat è ruinis eo tempore & populus jam frequentior, sed rudis & omnis pietatis expers, diligenti ac pio pastore indigebat. Remigius itaque, ut aliis plerisque urbibus, alios atque alios, sic Atrebatibus, sub annum 350. Vedastum dedit Episcopum. Is provinciam ingressus, verbo & exemplo verum pastorem se exhibet, orationibus & meditationibus animum frequenter excolit, cellula anachoretica, cum sacello seu oratorio, non ita procul ab urbe prope ripam fluvioli Crientionis levi opere composita: in quam secedens cum Martha, opere fatigatus, Mariæ silentium & otium sanctum amplectitur, animumque reficit, ut seipso melior ad opus redeat.

Secessum hunc sanctus Præsul, quamdiu vixit, diligenter excoluit, & non raro insinuavit, optare se, in eo ut conderetur, cum mortalitatem exuisset. Piis tamen cleri populique votis, qui dictam cellulam adeo humilem tanti viri meritis imparem censebat, datum fuit, ut in cathedrali virginis Deiparæ templo conderetur. Voluit nihilominus Divina bonitas, ut aliquando sanctus Antistes voti compos fieret: atque ita immisit in mentem S. *Auberti*,

berti, post aliquot intermedios illius in cathedra Episcopali successores, ut sacras reliquias, in alium transferret locum. Cumque ambigeret, anxiusque secum versaret, quonam loco eas reconderet, post nocturnas preces & meditationes, è mœnibus, ceu pergulo & loco celsiori, prospicienti sub auroram eminus ad ripam Crientienis offertur imago architectorum & operariorum, ædificium insigne designantium: subiitque illi in mentem (quod & Deo revelante percepit) illum esse locum in quem transferri & deponi sacrum corpus deberet.

Quando autem vetus cellula, ipsiusmet *Auberti* judicio ad id non sufficiebat, nec solitudo aut paucorum fratrum societas, à quibus colebatur, idonea videretur ad asservandum nobilem hunc thesaurum, sic eum locum excoluit, ut justum monasterium conderet, & sanctioris vitæ cultores complures monachos ibidem colligeret. Et post aliquot annos, invitatis sanctis Præsulibus, *Audomaro* Tervanensi, & *Lamberto* Trajectensi ad Mosam, aliisque primariæ notæ viris ad translationis celebritatem, sanctas reliquias, è basilica Episcopali, transfert in monasterium, ad ripam dicti fluminis excitatum in clivo montis; qui sensim ad orientem surgit, cui jam insidet maxima pars urbis Atrebatensis, cupitæque S. Vedastum reddit cellulæ, anno Domini 658. ut tradunt Sigebertus & Massæus Chronologi.

Felicia hæc initia ac progressus postea promovit S. *Vindicianus* Episcopus, S. Auberti successor: qui ad expiandam cædem, S. Leodegario Augustodunensi Episcopo ab Ebroino majore palatii Regis Theoderici in agro Atrebatensi illatam, procuravit; ut dictus Rex Theodericus monasterium Vedastinum liberalissime dotaret. Sed & ipse Vindicianus jurisdictionem Pontificiam remisit, voluitque monasterium immediate à sede Apostolica dependere. Res breviter antiquis hisce versibus expressa est in dicti Theoderici Francorum Regis epitaphio, quod hodieque in Vedastino monasterio visitur ac legitur.

Rex Theodericus ditans ut verus amicus
Nos ope multimoda, jacet hic cum conjuge Doda,
Regis larga manus & præsul Vindicianus
Nobis Regale dant, & jus Pontificale.
In decies nono, cum quinquagies duodeno
Anno, defunctum sciat hunc qui quattuor addat.
Qui legis, hac hora Dominum pro Regibus ora,
Muneribus quorum stat vita Dei famulorum.

Hos progressus ac successus Vedastinum habuit cœnobium, fuitque initio anachoretica, ut dixit, S. Vedasti cellula, piorum deinde secessus, ac monasterium S. Auberti studio excitatum, & regia Theoderici liberalitate, demum mirifice auctum. Ac primum quidem per annos multos, à paucis monachis sub Priore agentibus locus incolebatur, sed temporibus Vindiciani Episcopi, & duodecimo anno Theoderici Regis, creatus est primus Abbas *Hatta* vir inprimis religiosus ac prudens, qui post annum decimum quintum regiminis, præfectura monasterii Sancti Petri ad muros urbis Gandensis auctus est.

Ad tam sanctas origines dicti monasterii accessit fama miraculorum S. Vedasti: unde natum ipsi nomen *Nobiliaci.* Additum & nomen *Castri*, sive ob ædes, quas in eo Theodericus aliique Reges ac Principes habuerunt, sive ob munitiones ac propugnacula quibus cœnobium olim cœptum fuit, adversus Hunnorum, Danorum, Normannorum & aliorum barbarorum incursiones.

Præpositurae à Vedastina Abbatia dependentes.

A Vedastina Abbatia dependent octo Præpositurae, quæ per monachos illius loci administrantur. Prima est *Angicurtiensis* sive *Agilcurii*, sita in diœcesi Silvanectesi septimo plus minus lapide à Lutetia Parisiorum, quæ Vedastinis accessit beneficio Glotildis viduæ Regis Clodovæi.

Secunda est *Maniliensis*, altero à Perona lapide sita, & altero à Papolmis intra terminos regni Franciæ, ut & Angicurtiensis.

Tertia *Salliacensis* sive de Salliaco dicitur, in confinibus Artesiæ & Flandriæ.

Quarta est S. *Michaelis*, in suburbio urbis Atrebatensis Henrico primo Abbate Vedastino excitata.

Quinta est *S. Petri de Gorrea*, quæ distat uno lapide à Bethunia Artesiæ opido.

Sexta *S. Salvatoris* ceu S. Trinitatis Bercloensis medio milliari à Bassea, tribus vero milliaribus à Lensio Artesiæ opido sita. Monasterio accessit liberalitate *Leduini*, qui postea factus est monachus ac demum Abbas Vedastinus. De quo ita chronographus Cameracensis in chronico nondum typis edito. *Est vicus ex rebus sancti Vedasti, nomine Berclaus, in paludibus quidem situs, pascuis tamen aptus, omninoque etiam monachorum usui oportunus.* Illic ergo Leduinus Abbas S. Vedasti, considerata rei oportunitate, monasterium fundare disposuit, si quidem ei Episcopalis auctoritas adspiraret: quippe duplici usu satis competenter proviso, quod inibi videlicet partem ex monachis, qui ad cœnobium S. Vedasti frequentiores confluxerant, delegaret, & bona Ecclesiæ circumjacentia tutius possiderentur. Itaque Dominum Gerar-

dum I. Episcopum in conventu Synodali conveniendum existimavit, suæque deliberationis effectum coram omni Synodo postulavit. Cujus auctoritate nec difficile impetratu fuit. Monasterium ergo ædificare festinat, consummatumque ab ipso Domino Episcopo consecrari obtinuit. Loci autem vocabulum Episcopus immutavit, & Cellam Sancti Salvatoris statuit nominari. *Rom. Hactenus ille.*

Septima est Præpositura *Hasprensis*, SS. Hugonis & Aichadri honori dedicata, medio itinere inter Valencanas & Cameracum, ad salem vulgo *Sel* fluviolum, qui ibidem in Scaldium sese exonerat, amœno loco sita.

Accessit ea quoque Vedastinis, studio ejusdem *Lebuini* Abbatis, cum antea à Gemetico diœcesis Rotomagensis monasterio dependeret. Rem totam sic exprimit Jacobus Guisianus.

Pipinus Major domus Austrasiorum, victo Theoderico Galliæ Rege, fundavit, cœnobitis Benedictinis, Gemetico celebri diœcesis Rotomagensis monasterio, evocatis. Porro anno Christi millesimo vicesimo quarto, Gerardo, eo nomine primo, Cameracensi Episcopo, procurante, facta est permutatio inter Vedastinum ac Gemeticense monasteria, Vedastinis Anglicuriam, in diœcesi Bellovacensi sitam, in usum Gemeticensium; Gemeticensibus vero Haspram in usum Vedastinorum cedentibus. *Ita Jacobus Guisianus in manuscriptis Hannoniæ Chronicis. De his rebus fusius Chronographus Cameracensis. Libr.* 2. Quo tempore (*inquit*) Normanni, maxime quidem Rol tyranno incentore, per hoc regnum, ut per alia, desævierunt, & culpis Christianorum exigentibus Ecclesias sanctorum passim combusserunt, tantæ formidinis tempestate, corpora sanctorum, Aicadri videlicet atque Hugonis, de Gemegio cœnobio, quod super fluvium Sequanam, non procul ab urbe Rotomago situm est, ad villam Hasprum, quæ ab urbe nostra non plusquam decem millibus disparatur, allata sunt. Quam villam utrum ab antea possessam subjacuisse prælibato monasterio, an tunc temporis aut à Rege, aut à quolibet Principe pro remedio animæ receptationi sanctorum traditam fuisse dicamus, incertum est. Ex his certe beatus Aicadrus à sancto Philiberto ejusdem cœnobii Abbate probatissimo, Abbas etiam constitutus, regimen sacrum agebat, vitæque moribus, & virtutum conversatione fulgebat. Ad cujus piam conversationem sanctus vir Domini Hugo Rotomagensis Episcopus, Carlomanni Regis filius, divina inspiratione succensus, relictis siquidem Episcopatus habenis, curisque secularibus abdicatis, disciplinam monachorum, & habitum ex toto desiderio appetivit, sacrisque magistri moribus informatus, omni virtutum genere perfectus, emicuit. Ambo autem qui & quales extiterint, eorum vitas legentibus evidenter occurrit. His nimirum apud hanc villam post hac remeantibus, *forte* remanentibus, monasterio facto monachis delegatis, ad laudem eorum pius & misericors Deus multa, imo & creberrima virtutum prodigia dignatus est operari, in tantum sane, ut nemo ex vicinis potentibus, aut in expeditionem aliquando transeuntibus, ullam præsumptionem ante hac audeat irrogare. Sed quia monachorum Abbas longe aberat, eosque rarissime pro difficultate longinquitatis visitare solebat, in libertate soluti seculum sectabantur, irregulariterque viventes, usque ad tempus Gerardi Episcopi, utpote absque rectore, periclitabantur. Quod videns Episcopus, Abbatem, ut hoc corrigeret, sæpe commonuit: sed quia, ut diximus, longe aberat correctionem morabatur. Contigit autem Episcopum, pro Ecclesiastica sollicitudine, forte per hanc villam transitum facere, & Abbati Leduino (comes enim erat itineris) obscenam monachorum conversationem indicare. Salubri etiam, imo competenti consilio hortatus, ut si quas res sancti Vedasti in vicinia prælibati monasterii haberet, eas siquidem pro hoc monasterio, quod sibi esset contiguum, commutaret, huncque locum pro compendio æternæ remunerationis meliorare satageret. Qui inter hujusmodi colloquia incerto hæsit, & tamen, ac si difficile, recusavit. Nec multo post temporis intervallo, Abbas salubriter consultus, bene & diligenter considerata oportunitate, notum fecit Episcopo, se executorem fore monitionis, si ab ipso Abbate Theoderico commutationem impetrare valeret. Unde lætus Episcopus continuo directa legatione Abbatem Theodericum adorsus est, monstrans animæ periculum, si non in tempore sibi consuleret. Cum longe esset positus locum commutare deberet; quod si nollet, adjuncto sibi Balduino Marchione, falsos monachos expelleret, locumque emendare cum omni auctoritate satageret. Super quod Abbas competenti consilio usus, mandatis Episcopi satisfacere æstimavit, rebusque sancti Vedasti, quæ in sua vicinia circumjacent, susceptis, villam Haspram Leduino Abbati contradidit. Hæc autem commutatio coram Rotberto Rege Francorum, coramque Comitibus, Balduino videlicet Flandrensium, & Richardo Rotomagensium facta est, & ab eisdem coroborata. Abbas itaque Leduinus, ut ædificator videlicet idoneus, locum cum summo studio ad laudem & venerationem sanctorum, qui ibidem quiescunt, emendavit, novisque ædificiis & claustro regulari insignire exercuit. *Hactenus ex Chronica Cameracensi.*

Octava est præpositura *S. Christinæ de Beveria*, qui pagus est uno milliari à Bethunia Arthesiæ opido distans. Fuit ea olim annexa monasterio S. Salvatoris Carossensis in diœcesi Putaviensi; quam inito contractu cum Carossensibus & à sede Apostolica approbato *Joannes*

Saracenus tunc Abbas Vedaſtinus & poſtea Archiepiſcopus Cameracenſis, anno Chriſti 1587. cum Abbatia Vedaſtina univit & amplis ædificiis inſtruendam curavit.

Atque hæc quidem, quæ de Vedaſtina Abbatia hactenus diximus, ad nos tranſmittenda curavit Reverendus admodum atque Ampliſſimus *D. Philippus Caverellus* Abbas Vedaſtinus anno 1611. menſe Aprili.

Chronographi Cameracenſis, qui anno 1040. floruit, teſtimonium de S. Vedaſto.

DUm tyrannica rabies in Chriſti Eccleſiam deſæviret, fuit civitas Atrebatus ſine Principe ſacerdotii, uſque ad tempus ſancti Vedaſti, Eccleſia deſtructa, locus in ſolitudinem redactus ferarum habitatio factus. Hic ſanctus Domini Confeſſor, & egregius prædicator, temporibus fortiſſimi Regis tunc temporis Francorum Clodonei, in has divina dirigente gratia ob multorum ſalutem pervenit regiones. Cujus rei ordinem, & cauſſam, quantum brevitas patitur, ſtilo proſequamur. Porro memoratus Princeps fanaticis adhuc tenebatur erroribus involutus, ſed erat ei uxor religioſa, baptiſmi ſacramentis initiata Crothildis nomine, filia Chilperici Regis, quem Gundebaldus Rex frater ejus ortis ſimultatibus interfecerat. Hæc Chriſtianiſſima Regina Regi quotidie blandiebatur, ſuadens ab idololatriæ cultura, ad unius veri Dei cultum converti, ut per mulierem fidelem, ſalvaretur Rex infidelis. Sed Rex Reginæ conſilium minus audiebat, quia Deorum ſuorum auxilio fieri putabat in omnibus, quæ ſibi proſpere accidiſſe videbantur. Anxia de Regis potius ſalute, quam de regni potentia Regina, ubi ſalutis conſilium Regem contempſiſſe videt, dari ab excelſo poſtulat opportunitatis eventum, quo ut ſit Rex compulſus, ſalutis ſuæ ſumeret occaſionem. Bellum itaque Rex Alemannis indicit, ſed imparatos, ut voluit, non offendit. Nam hi, collecta manu valida, circa ripas Rheni fluminis, Regi occurrere, bellicaque virtute patriam ſuam defendere tentant. Invocatis ad auxilium Regis diis ſuis Franci in ipſo congreſſionis apparatu, cœperunt mente deficere, & languentibus dextris terreri, ſimul & formidine diſſoluti, vitæ potius deſperatione, quam victoriæ diſpendio agitari. Videns Rex palantem exercitum, ſupra vim terris, virtutem anima gerens, prohibet trepidare milites, magisque in prælium accendit, ne tanti æſtimarent mortis periculum, quam gloriæ triumphum. Ipſe itaque ſignifer revocans acies, primus equum in hoſtem egit, & clamore magno ſecuti ceteri acriter dimicabant. Alemanni è contra viribus & numero præſtantiores, quibus pro patria, & vitæ libertate res erat, cœperunt fortiter Francos urgere, alii ſagittis alii telis, alii baliſtis, credentes confodere. Rex autem ubi multorum amiſſione videt dilabentem non poſſe ſubſiſtere exercitum, nec vocatos Deos inſtanti periculo ſibi ſubveniſſe, rebus deſperatis fortiſſimum Dominum Chriſtianorum, quem Regina colendum ei ſuaſerat, invocavit, toto ſe obligans ſe cum ſuo exercitu ſacro fonte diluendum, ſi converſis rebus victor ab hoſtibus remeaſſet. Nec mora recreatis viribus, & reparatis agminibus cum auxilio Trinitatis hoſtes invadunt, & omnes pene ad internecionem devincunt, niſi quibus fuga aut deditio fuit ad vitam. Intelligens Rex non tam ſua virtute, quam Dei munere hoſtes ſuperatos, cui ſe fidei voto conſtrinxerat, Tullum mox opidum adiit, audito ubi beatum Vedaſtum laudabili religione Deo ſervire, cui cum adventus ſui cauſſam exponeret, & pugnæ eventum, qui ex Deorum invocatione in adverſum ceſſerat, ad Chriſti nomen ſecundo ſucceſſu proveniſſe notificaret, vir Domini gratias agens Deo, qui gentibus regnum ſuum aperire dignatus eſt, cœpit Catholicæ fidei miniſterium Regi annuntiare, & Evangelicis aſſertionibus inſtructum duxit ad venerabilem virum Dei Remigium, qui tunc temporis Remenſis Eccleſiæ arcem tenebat, vir ex ſapientia, virtutibusque factus, cujus ſpiritualium virtutum inſignia teſtatur gens Gallica per eum ad Chriſtum converſa, cui etiam Hormiſda Papa vires ſuas quondam in Galliis agendas commiſerat. Vedaſtus igitur feſtinantem ad vitæ fontem deducebat Regem, quo in itinere cuidam cæco ad ſe clamanti vir Dei lumen reddidit oculorum non ſine admiratione palatinorum procerum, immo etiam Regis, quem præſentis exhibitio miraculi Chriſtianæ fidei fervore accendit. Cernitur uſque in hodiernum Eccleſia in teſtimonium virtutis hujus conſtructa, in qua orantibus, & credentibus beneficia præſtantur divina. Hactenus Chronographus Cameracenſis, typis nondum editus.

Ceterum Vedaſtus à ſancto Remigio Archiepiſcopo Remenſi datus Epiſcopus Cameracenſis.

Albini Flacci Alcuini teſtimonium de S. Vedaſto, Clodonei primi Galliæ Regis doctore ac catechiſta.

HIs appoſite à nobis adjungentur ea, quæ de S. Vedaſto, primo Clodonei Regis catechiſta, poſt Atrebatenſi Epiſcopo, Albinus Flaccus Alcuinus, ſanctiſſimi Præſulis res geſtas proſequens, commemorat, poſt dictam victoriam de Alemannis feliciter obtentam. *Hæc* (inquit) *arrepta victoria, de qua ante diximus, Regi populoque ſuo cauſa fuit ſalutis æternæ, & ne lucerna* (S. Vedaſtus videlicet) *ſub modio lateret abſconditus, ſed ſupra candelabrum poſitus exemplis vel prædicationibus in domo Dei lucens, ab errore idololatriæ & caligine ignorantiæ ad viam plurimos educeret veritatis. Igitur ſuperatis hoſtibus, & rebus in pace compoſitis, & Alemannis ſuæ ſubjectis ditioni, Rex ovans cum laude triumphi ad patriam rediit. Et ut fidelis tantæ ſibi gloriæ largitori ſponſor appareret, feſtinavit ſervorum Chriſti ſacra imbui prædicatione, & ſancti baptiſmatis ablui Sacramentis. Venit autem ad Tullum opidum, ubi ſanctum agnovit Vedaſtum laudabili religione ſoli Deo ſervire, & dulciſſimos*

contemplativæ vitæ carpere fructus. Hunc vero ad sanctum Remigium Christi carissimum sacerdotem, ad Rhemorum properans civitatem, sibi socium assumpsit, quatenus per singulos itineris sui gressus saluberrimis ab eo imbueretur doctrinis, & Catholicæ fidei firmis initiaretur fundamentis: ut paratus fide & virtutum scientia à tanto Pontifice (Reimgio scilicet) *spirituali ablueretur lavacro, & ab illo donis cælestibus confirmaretur, quod ab isto divina prius proveniens gratia, Evangelicis cœptum fuerat prædicationibus.*

Hic ad fontem vitæ festinantem deducebat Regem: ille in fonte salutis æternæ venientem abluebat: ambo propemodum pari pietate patres, hic doctrina fidei, ille baptismatis unda. Utique æterno Regi Regem temporalem munus obtulerunt acceptabile. Hi sunt duæ olivæ & duo candelabra lucentia, à quibus Rex præfatus in via Dei eruditus, miserante Deo portam æternæ lucis ingressus, cum fortissima gente Francorum credidit Christo, & facta est gens sancta populus acquisitionis, ut annuncientur in eo virtutes illius, qui eos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum. Sacræ igitur Evangelicæ auctoritatis narrat historia Dominum Jesum Jericho pergentem, ad confirmanda fide suæ majestatis corda populi præsentis, cuidam cæco ad se clamanti lumen reddidisse oculorum, ut per corporale unius cæci lumen, spiritualiter multorum illuminarentur pectora. Ita & Sanctus Vedastus, Deo Christo donante, per ejusdem illuminationem cæci fidem quam verbo prædicavit, in corde Regis miraculo confirmavit: ut Rex ipse intelligeret, tam sibi esse necessarium cordis lumen, quam cæco oculorum illustrationem: & quod divina operata est gratia per preces famuli sui in cæca nocte castigatis, hoc per sermones ejusdem famuli, eadem operante potentia; per spiritualis intelligentiam lucis in suo pectore perficeretur.

Nam regia excellentia condigno comitatu cum multitudine maxima populi, iter agentibus illis, venerunt in quendam pagum, qui incolarum terræ illius consuetudine Ungise pagus dicitur, prope Reguliacam villam, quæ sita est super florigeras Axonæ fluminis ripas. Et ecce ejusdem fluminis fontem Rege transeunte cum multitudine populi, obviavit illi cæcus quidam hujus diutissime solaris expers luminis, forte nec sua cæcatus culpa, sed ut manifestarentur opera Dei in illo, & per illius illuminationem præsentem plurimorum illuminarentur corda spiritualiter. Qui cum intellexisset a prætereuntibus Sanctum Vedastum Christi servum in eodem iter agere comitatu, clamavit: Sancte & electe Deo Vedaste, miserere mei, & supernam pio pectore diligentius deposce potentiam, ut meæ subveniat miseriæ. Non aurum posco, nec argentum, sed ut mihi lumen per sanctitatis tuæ preces restituas oculorum. Sensit itaque vir Dei virtutem sibi adesse supernam, non ad illius cæci tantummodo curationem, sed plus propter præsentis populi salutem, totum se in sacras effudit preces, in divina fidens pietate: & dexteram cum signo Crucis posuit super oculos cæci dicens: Domine Jesu, qui es lumen verum, qui aperuisti oculos cæci ad te clamantis, aperi oculos istius: ut intelligat populus iste præsens, quia tu es Deus solus, faciens mirabilia in cælo & in terra. Mox ille cæcus, lumine recepto, gaudens perrexit viam suam. In quo loco tempore sequenti, à religiosis viris ædificata est Ecclesia in testimonium miraculi istius; in qua orantibus & credentibus usque hodie beneficia præstantur divina.

Igitur Rex à viro Dei Evangelicis apprime imbutus disciplinis, & hoc præsenti miraculo in fide firmiter confortatus, nihil moratus in via, nihil dubitans in fide, sed magna alacritate animi, festinatione magna mentis sanctissimum Pontificem Remigium videre properavit, ut illius sacratissimo ministerio Spiritu Sancto operante in remissionem peccatorum, & spem vitæ æternæ, Catholici baptismatis vivo ablueretur fonte. Cum quo aliquantis moratus est diebus, ut Ecclesiasticis satisfaceret sanctionibus, & pœnitentiæ (secundum Apostolicum præceptum) prius ablueretur lacrymis, dicente beato Petro Principe Apostolorum. Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, & in nomine SS. Trinitatis, cælestis mysterii baptisma susciperet. Sciens vero beatus Pontifex Apostolum dicere Paulum:* 1. Cor. 14. *Omnia vestra honesto cum ordine fiant: statuit diem, quo Rex intraret, ad suscipienda divinæ pietatis Sacramenta. Quale fuit tunc Sanctis Dei gaudium, qualis in Ecclesia Christi lætitia, cum viderent Regem Ninive ad prædicationem Jonae de solio majestatis suae descendisse, & in cinere sedisse pœnitentiae: & sub pia Dei sacerdotis dextera suae excellentiae caput humiliare.* Hactenus Alcuinus, in vita S. Vedasti, apud Laur. Surium.

CAPUT VI.

Abbatia S. Germani de Pratis ad muros urbis Parisiensis.

ILlustris hujus monasterii fundator fuit *Childebertus* Rex Francorum, filius Clodonei primi Regis Christiani, qui cum ex Hispania adtulisset stolam S. *Vincentii* Levitæ & martyris, cum aliis plurimis sanctorum reliquiis, juxta ordinationem S. Hermanni tunc Parisiensis Episcopi, templum in honorem ejusdem S. Vincentii, quod nunc S. Hermanni de Pratis dicitur, excitandum curavit. Rei fidem facit Aymoinus monachus lib. 2. cap. 20. his verbis. *Verum Childebertus acceptam S. Vincentii stolam, Parisias defert, ædificatamque solotenus, secundum beatissimi Germani dispositionem basilicam, nomini ejusdem S. Levitæ ac Martyris dedicari fecit. In qua non minimam vasorum partem, quæ eum à Toleto asportasse supra memoravimus, cum capsis Evangeliorum, cruces quoque mirifici operis, aliaque devotus excellentissima contulit munera.*

Diploma

Diploma Childeberti Regis.

CHildebertus Rex Francorum, vir illustris. Recolendum nobis est, & perpensandum utilius, quod hi qui templa Domini Jesu Christi reædificaverint, & pro requie animarum ibidem tribuerint, vel in alimoniam pauperum aliquid dederint, & voluntatem Dei adimpleverint, in æterna requie sine dubio, apud Dominum mercedem recipere meruerint. Ego Childebertus Rex una cum consensu & voluntate Francorum & Neustrasiorum, & exhortatione sanctissimi Germani Parisiorum urbis Pontificis, vel consensu Episcoporum, cœpi construere templum in urbe Parisiaca prope muros civitatis, in terra quæ aspicit ad fiscum Isciacensem, in loco qui appellatur Locotitie: in honore S. Vincentii Martyris, cujus reliquias de Spania apportavimus, seu & sanctæ Crucis, vel Sancti Stephani, & Sancti Fetreæi, & Sancti Juliani, & beatissimi Sancti Gregorii, & Sancti Gervasii, Prothasii, Nazarii, & Celsi pueri, quorum reliquiæ ibi sunt consecratæ. Propterea in honore Dominorum Sanctorum, cedimus nos fiscum largitatis nostræ, qui vocatur Isciacus, qui est in pagis Parisiorum prope alveum Sequanæ; una cum omnibus quæ ibi sunt aspecta, cum mansis, commanentibus, agris, territoriis, vineis, silvis, pratis, servis, inquilinis, libertis, ministerialibus (præter illos quos nos ingenuos esse præcipimus) cum omnibus appenditiis suis quæ ibi aspiciunt, cum omnibus adjacentiis quæ ibi adagunt, cum omnibus quæ nos deserviunt tam in aquis vel insulis, cum molendinis inter portam civitatis & turrim positis, cum insulis quæ ad ipsum fiscum adjacent, cum piscatoria quæ appellatur Vannæ, cum piscatoriis omnibus quæ sunt in ipso alveo Sequanæ, sumuntque initium à ponte civitatis, & sortiuntur finem ubi alveolus veniens Sanara præcipitat in se flumen. Has omnes piscationes quæ sunt & fieri possunt in utraque parte fluminis, sicut nos tenemus & nostra forestis est, tradimus ad ipsum locum, ut habeant ibidem Deo servientes victum quotidianum per succedentia tempora.

Damus autem hanc potestatem, ut cujuscumque potestatis littora fuerint, utriusque partis fluminis teneant unam pecticam terræ legalem, sicut mos est, ad ducendas naves & reducendas, ad mittenda retia & retrahenda, absque ulla refragatione. De argumentis vero per quæ aves passunt capi super aquam, præcipimus ut nulla potens persona inquietare audeat famulos Dei, sed omnia secure teneant, possideant per infinitas temporum successiones.

Et cum areis & casis in Parisiis civitate, cum terra & vinea & oratorio in honore Sancti Andeoli Martyris, quæ de Heario & Cecaunio, dato pretio comparavimus: omnia & ex omnibus, quidquid ea nos deservierint, in qostmodum pro requie animæ meæ, quando Deus de hac clarissima luce dederit discessum, ipse fiscus qui vocatur Isciacus, cum omnibus quæ ibi sunt aspecta, ipso die ad ipsum templum Domini quod nos ædificamus deserviat, & omnia quæ ibi sunt opus, tam ad lumen quam in Dei nomine ad stipendia servis Dei quos ibi instituimus, seu ad ipsos rectores qui ipsos regere habent: omnia & ex omnibus ibi transolvant, ejusque temporibus, & per longa annorum spatia, ad ipsum templum Domini absque contradictione, vel refragatione, aut judiciaria contentione, inspecta ipsa præceptio, omnique tempore proficiat in augmentum.

Et ut hæc præceptio cessionis nostræ futuris temporibus Deo auxiliante firmior habeatur, vel per tempora inviolabiliter conservetur, manibus propriis vel nostris signaculis, subter infra decrevimus roborare. Datum quod fecit mensis Decembris die sexto, anno 48. postquam Childebertus Rex regnare cœpit. Ego Valentianus, Notarius & Amanuensis recognovi.

Obiit autem Chilpericus Rex anno 559. teste Sigiberto, in hoc suo monasterio conditur.

CAPUT VII.

Lerinense S. Honorati monasterium, vulgo Lerius, *in diœcesi Grassensi, regni Galliæ.*

EST illustris hæc Abbatia sita in insula Lerina seu Lerino, quam Plinius & Strabo Leronem vocant, in diœcesi Grassensi.

Ex hoc monasterio prodierunt viri quamplurimi sanctitate ac scriptis illustres ut S. *Hilarius* Archiepiscopus Arelatensis: *S. Honoratus*; Vincentius Lerinensis; libello adversus hæreses scripto notissimus; Faustus Rhegiensis Episcopus & alii.

Accessit hoc monasterium, congregationi Cassinensi, anno Christi 1515. ut constat ex diplomate Leonis X. Plura vide apud Chopinum lib. I. Monasticon tit. 1. & infra cap. 92.

Fontanellensis Abbatia.

FOntanellense monasterium anno 645. ædificare cæpit *S. Uvandregisilus*; qui in Virdunensi regione, Nualtchiso patre, ex nobilissima familia natus primum sub Dagoberto, Francorum Rege Comes palatii fuit. Ducta postmodum conjuge, cum ea virginitatem servavit: mutuo demum consensu, ipsa sanctimonialis, Uvandregisilus vero factus est clericus. Cumque in monasteriis aliquot piis sese operibus egregie exercuisset, Rotomagum venit ad S. *Andoeum* ejus urbis Episcopum; à quo Subdiaconus primum, post Diaconus, ac demum sacerdos à beato *Andomaro* Tarvanensi Episcopo est ordinatus. Contigit autem postea, Largiente

giente *Erchinoaldo*, qui Dagoberti Regis, filiique ejus Clodonæi, Major domus fuit, agrum quendam, ad monasterium exstruendum, acciperet, quem *Fontanellam*, ob rivum eo loco fluentem, nuncupabant. Hunc ergo locum Uvandregisilus, cum nepote suo venerabili *Godone*, cœpit excolere; multisque faventibus insigne ibidem monasterium construxit. Ad quod mox tantus factus est concursus, ut monachorum numerus ad trecentos excreverit.

Cœptum est autem hoc opus ab anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo quadragesimo quinto, sub die Calendarum Martiarum, Indictione tertia, qui erat annus Clodonæi Regis undecimus. Est autem hoc cœnobium situm in territorio Rotomagensi, distans à memorata urbe millibus ferme decem & octo; porro à fluvio magno Sequana, spatio passuum circiter octingentorum.

Adjutor vero hujus operis, ac cooperator insignis fuit *Uvaningus* vir illustris, qui monasteria varia, in his & *Fiscanum* construxit.

Porro S. *Uvandregisilus*, in Caletani tractus populis, qui id temporis rapaces ac belluinam fere vitam agebant, mitigandis, & Christianæ disciplinæ subdendis, admodum laboravit, multaque alia pietatis opera edidit.

Hæc ex actis illius, à quodam ejus pene æquali conscriptis, atque à Surio *to.* 4. *Induct.* 22. editis, excerpsimus.

S. Walerici monasterium, apud Caletes, in Gallia.

S. *Walericus*, B. Columbani Hiberni, qui Luxoviense in Burgundia, & Bobiense in Italia condidit monasteria, discipulus, Clotario Francorum Regi gratissimus exstitit. Eo adjutante istud ipse monasterium ædificavit, in quo hodieque corpore quiescit.

Plura vide in Actis ejus à Surio evulgatis. de S. Columbano vide infra cap. 13.

Centula, hodie S. Richarii monasterium in opido ejusdem nominis, *apud Caletum regni Franciæ opidum.*

S. Richarius Abbas & fundator monasterii Centulensis in agro Pontivo, fuit Dagoberto Galliæ Regi admodum gratus. Vitam ejus scripsit Alcuinus Flaccus ad Carolum Magnum Imp. quæ exstat apud Surium tomo 2. Meminitque ejusdem Hucbaldus in vita S. Rictrudis Marchianensis. Ex his brevem vitæ ejus seriem recitat Molanus in Natal. SS. Belgii; *Natus est Richarius in villa Centula, provinciæ, Pontivæ in qua per pietatis opera; & prædicationis lumina clarus effulsit: sed & in ultra marinas Britanniæ regiones lumen veritatis suo sparsit adventu. Reversus vero ad patriam, quodam tempore visitavit equitando Deo devotam feminam Rictrudem, & cum juxta morem, ipsa ad propria ascenso equo, remeanti, filiolum Maurontum, quem ante sacro baptismate regenaverat, benedicendum daret, immisit antiquus hostis equo ferocitatem. sed orante famulo Dei, puer, qui ceciderat sanus redditus est matri, & equus redditus est mansuetudinis suæ. Cum autem ab omnibus honoraretur, monasticam vitam petens, regimen Ecclesiæ quam in Centula viro fundaverat, alteri tradidit. Porro Gissemarus, vir illustris & Christianæ religionis amator & Maurontus, terrarum vel silvarum ad Regem pertinentium servator, præbuerunt ei locum manendi in silva Tristiacensi, qui & ipse Maurontus, postea seculari habitu deposito, monachus factus est in eodem loco. Cumque vir Dei mansionem solitariam præparasset, Christo monasterium construere inchoavit. At inibi tanta: se mortificatione carnis castigavit, ut vix ossa arentia dissipatis juncturis sibi adhærerent, illum quotidie vincens in eremo, à quo Adam olim victus est in paradiso. nec tamen in eremi angustia, lucis columna latere potuit, multis ad eum confluentibus infirmis, quos sanctarum medicinis orationum sanavit. Præscius tandem diei evocationis suæ Christi viatico suum iter munivit, & inter gratiarum actiones, & verba orationis, spiritum emisit: conditus à Sigobardo commilitone, ubi suo Regi maxime militaverat. Sed non multo post fratres Centulenses cum sua Abbate Ocialdo corpus tulerunt posueruntque eo in loco, in quo etiamnum cum magna meritorum gloria requiescit.*

Ex his autem Alcuini verbis colligitur eum Deo militasse multo tempore, deinde etiam obiisse, & quievisse in Belgio. Nam Maurontus, ut infra ex Hucbaldo dicemus, monasterium suum Broili inter Flandros construxit.

Huc etiam referendum est ex Bertinensis monasterii Chronicis, propter Normannorum persecutiones, Flandriæ Comitem corpus ejus & corpus Walerici ad S. Betini monasterium transtulisse. In quo utrumque remansit usque ad tempora Arnulfi secundi, qui Hugoni Capeto, postea Francorum Regi, ea multum reposcenti, tandem restituit.

Hactenus Molanus, Vocatur autem Centula hodie S. Richarii monasterium, opido ejusdem nominis in Picardiæ finibus iuclusum.

CAPUT VIII.

S. Martini Threverense monasterium.

S. *Martini* Treverense cœnobium, extra & intra, hoc est, ad ipsos muros urbis infra saxeum pontem vetustissimum in dextra Mosellæ fluminis situm, ex Tetradii Consularis viri

viri privata domo in ſcholaſticæ congregationis habitationem, inque domum Dei & oratorium commutatum eſt, anno Chriſti circiter 406. imperantibus Arcadio & Honorio, ab ipſo S. *Martino* Turonenſi Epiſcopo. Cum enim Treverin is veniſſet, & Tetradii Conſulis ſervum ibi malo ſpiritu correptum à dæmonio liberaſſet, Conſul ut eſſet pro præſtito ſibi beneficio gratus, S. *Martino* domum ſuam dono dedit, hac lege, ut vir Dei ex ea oratorium & domum precationum S. Cruci dedicatam faceret.

Poſtea vero hanc ipſam precationum & diſciplinæ domum, Barbarorum crebris in Galliam, Belgicam & Germaniam irruptionibus deſolatam & plane collapſam inſtauravit circa annum Chriſti 526. & monachis Benedictinæ profeſſionis attribuit quinquageſimus Treverorum Epiſcopus *Magnericus*, qui abolito S. Crucis priſcó nomine S. *Martini* cœnobium novo titulo appellari juſſit. Ejus Antiſtitis in hoc ipſo cœnobio oſtenditur tumulus, in ſubterranea videlicet templi crypta poſt D. Virginis aram. Tandem poſt multorum annorum curriculum, cum à Normannis vaſtaretur tota fere Gallia, & in Treverim quoque miſere ſævitum eſſet; iterum periit iſtud S. Martini cœnobium: ſed mox ab Epiſcopo Treverorum ſexageſimo octavo *Rathbodone* vel *Racbabodo*, circa annum Domini 880. præclare eſt reædificatum. Tertio vero ab Hungaris incenſum, rurſus à Theoderico ſeptuageſimo, ſecundo Trevirorum Antiſtite inſtauratum eſt circa annum Chriſti 960. Ita fere Caſpar Bruſchius, in Chronologia monaſteriorum Germaniæ.

CAPUT IX.

Benchorenſe monaſterium, in Hibernia.

FUndatum eſt hoc monaſterium à S. *Lomogello* Abbate circa annum Chriſti 570. multorum poſtea monaſteriorum mater ac caput futurum: utpote à quo Congregatio Benchorenſis, per Angliam, Scotiam, & Hiberniam olim diffuſa nomen ſumpſit. Ex hujus congregationis monachis fuit S. *Columbanus*, qui Luxovienſe in Burgundia monaſterium circa annum Chriſti 600. conſtruxit, itemque Bobienſe in Italia.

CAPUT X.

Monaſterium Regium S. Æmiliani, de Cuculla, vulgo de S. Millan de la Cogolla, *alias de* San Millan de Suſo.

S. *Æmilianus*, Patronus ac defenſor. Hiſpaniæ vivere deſiit an. Chriſti 574. die duodecima Novembris. Vitam ejus ſcripſit Braulio, ſive Braulius Cæſaranguſtanæ Eccleſiæ Epiſcopus, exſtatque apud Prudentium Sandovallium Parte 1. fundationum monaſteriorum in Hiſpania. S. Æmiliani magiſter fuit *S. Felix* presbyter, cujus translactionem deſcripſit Grimaldus, exſtatque citato loco apud Sandovallium. Eſt hoc monaſterium longe antiquiſſimum, quod numquam vel à Mauris vel ab Arrianis hæreticis fuit violatum.

Huic cœnobio tamquam matri, originem ſuam debent monaſteria virorum varia: ut *S. Martini de Ferran*, *S. Martini de Thama*, *S. Romani de Doniſcle*, *S. Martini de Mena*, *S. Felicis de Auca*, *S. Joannis de Orbananos*, *S.* Vincentii de *Ocizta*, *S. Stephani de* Salzedo, *S. Martini de Mameto*, *S. Mariæ* de Caſiera, itemque monaſterium unum monialium, videlicet *S. Michaelis de Peditoſo.*

De S. Æmiliano hæc legitur inſcriptio in veteri tumulo.

Purgatiſſimi Apoſtolicique viri Æmiliani corpus hic humatum jacet, qui poſtquam eremiticam vitam multis annis egit & clericalem, tandem monaſticam profeſſus, ſub regula Benedicti curam gerens Abbatialem, obiit in Domino clarus miraculis & prophetiæ ſpiritu, Hera. DC. XII.

In hoc monaſterio de Suſo ſpectantur octo arcæ lapideæ, in quibus quieſcunt famoſiſſimi illi ſeptem *Infantes de Lara*, cum ſuo Ayo, ut Hiſpanice vocant ſeu magiſtro. Ita Sandovallius in dicta parte prima fundationum monaſteriorum Benedictinorum in Hiſpania.

Eſt autem hoc monaſterium ſitum in D. Calagurritana & ſancti Dominici de la Calcada.

CAPUT XI.

Salisburgenſe ſancti Petri monaſterium.

CElebre iſtud monaſterium, ex quo multi egregii viri ad gubernandos varios Germaniæ Epiſcopatus atque Abbatias prodierunt, conſtruitur atque inſtituitur per ſanctum *Rupertum* una cum Epiſcopatu Salisburgenſi, auxilio & munificentia inclyti *Theodorici* Ducis Bavariæ, quem ſanctus Rupertus in fide Chriſtiana Ratisbonæ inſtituit, & una cum ſuis optimatibus, ſacræ regenerationis lavacro abluit, circa annum 580. In hoc monaſterio ipſe S. *Rupertus*, & ſe-

ptem ejus fucceffores fedem Epifcopalem habuerunt, adeoque tam Epifcopatui quam Abbatiæ laudabiliter præfuerunt, ibidemque humati funt; usque ad *S. Virgilium*, qui crefcente multitudine Chriftianorum relinquens Abbatiæ gubernationem *Gertrico* pio ac docto monacho, aliam fedem Epifcopalem erexit, & infignem bafilicam pronam in honorem *S. Ruperti* primi Salisburgenfis Epifcopi ac Doctoris conftruxit; quam abfolutam anno 774. ipfemet confecravit, eoque *S. Rupertum* cum duobus ejus facellanis, viris fanctis, ex æde S. Petri tranftulit. De qua re ceterisque Abbatibus hujus monafterii latius Cafpar Brufchius in fua Centuria monafteriorum Germaniæ.

Weltenburgenfe monafterium, in Bavaria, ad Danubium.

DE fundatione hujus monafterii fic fere fcribit Joannes Aventinus libr. tertio *Tempore Theodonis Ducis Bavariæ, qui cum filio Theodoperto à fancto Ruperto Reginoburgii aqua cælefti luftratus eft, poft extructa templa tam Reginoburgii, quam Utini, Chrifto Deo atque ejus Genitrici dicata, atque à fancto Ruperto confecrata (utrumque adhuc ædicula feu Capella vetus vocatur) per omnes Ubiorum regiones facræ ædes paffim ædificatæ funt, eædemque à fancto Ruperto & fociis confecratæ, ut Welteburgii, quod ipfe Valentiam vocat, & extra mœnia Reginoburgenfia, fancto Georgio, tutelari Chriftianorum militum, quædam fancto Martino Maximilianoque templa dicata, quæ adhuc monftrantur.*

Alibi idem Aventinus libr. fexto fcribit. Eodem tempore Hardonicus Epifcopus Reginoburgenfis Valentiam, hoc eft, Weltenburg, templum D. Georgio dicatum, pulfis monachis Benedictinis tradit Canonicis Regularibus D. Auguftini, accito Hardonico ejus ordinis, ex monafterio fancti Floriani in Auftria, fupra Anaffum. Conradus itidem Epifcopus Reginoburgenfis, quinque poft annos monachos Benedictinos rurfum reftituit, ipfisque Fridericum præfecit. Monafterium hoc Danubio feptum eft, quinque millibus paffuum infra Abenfperg, ubi cineres Artobrigæ, quæ, tefte Ptolemæo, caput olim Vindelicorum fuit, monftrantur. De qua Adventinus 2. & 3. libro Annalium latius fcripfit.

Ita Hundius in Metropoli Salisburgenfi.

Mauri monafterium, vulgo Maursmunfter, *quarto ob Argentina milliari.*

SItum eft opidum & cœnobium, *Maursmunfter* nuncupatum, quarto lapide ab Argentorato Germaniæ urbe celebri. Eo loci *Seobaldus* vir pius ac fanctus oratorium conftruxit anno Domini 583. favente ac dotante *Childeberto*. Rege Auftrafiæ, qui fuit filius Clodonæi I. Chriftiani Gallorum Regis. Primus Abbas fuit *B. Leobardus* S. Benedicti Abbatis in Caffinenfi monafterio difcipulus. Secundus fuit *Maurus*, S. Pirminii Meldenfis Epifcopi difcipulus, à quo cœnobium iftud, Mauri monafterium eft appellatum. Ita Brufchius, lib. cit.

CAPUT XII.

S. Medardi monafterium, ad muros urbis Sueffionenfis, in Gallia.

VIfitum in profpectu urbis Sueffionenfis *B. Medardi* monafterium, cujus ut celebritas & præftantia aliqua ex parte nofcatur, placuit nonnulla cum ex Archivis accepta, tum ex antiquitatis veftigiis ac ruderibus obfervata convertere. Primum ut ad ipfius templi à Carolo Calvo jam eum extructi partem fumme orientalem veniamus, duorum illic Regem Franciæ, *Clotharii* videlicet ac *Sigeberti* filii ejus monumenta, loco veluti fubterraneo, vifuntur. Non procul inde cernitur *B. Medardi* lapideum fepulcrum, (*Meminit illius Greg. Turonenf. lib. de glor. Confef.* §. 95.) duabus columnis pariter lapideis fuffultum, Septemtrionali parte Ecclefiæ, habetur lapis duriffimus, humani capitis menfuram quater excedens, quem ex loco Dominicæ Afcenfionis in Galliam allatum tradunt monachi, monftrantque Domini noftri impreffum lapidi veftigium. Ab eo olim cancellis ligneis, reverentiæ ergo, populus arcebatur, in ejusque honorem piam focietatem multi inierant. A meridionali parte exftant clauftrum, dormitorium, refectorium & hofpitale à *Carolo Magno* fumptuofiffime ac vere regio opere deftructa: quibus itidem ad Auftrum verfus nuper occurrebat haud ignobile aliud templum *S. Sophiæ* cum alio parvo facello, inter omnia totius Galliæ loca facra, longe antiquiffimo: cui fua vel antiquitas vel parvitas ad hoc profuit ne dirueretur, ficut proximum S. Sophiæ everfum eft (heu dolor,) ad colligendos lapides in reparationem murorum urbis. Quo etiam tempore non minus fevitum eft in monafterii ambitum; qui ex lapidibus quadris & fectis conftructis, octo circiter pedum latitudine tenebatur. Dedito ambitu in quodam privilegio Odonis Regis anno 893. apud Compendium palatii conceffo, anno 5. regni ejus fcriptum legitur in hæc verba: *Ad thefaurum Sanctorum reparandum, ad fuftentandam totius fabricam templi, & ad reintegrandum decorem domus Dei, qua nuper à Marcomannis igne combufta effe videtur, munitionem quoque muratam & muro cinctam in circuitu ipfius monafterii fieri decrevimus propter infurgentium Danorum infolentiam & memoriam Caroli Imp. qui eandem munitionem jamdiu fecerat, ad petitionem*

tionem Berthæ Sororis Ludovici Imp. in memoriam B. memoriæ Gregorii summi Pontificis, &c. In istius dirutæ nunc murorum partis angulo, urbem respiciente, fuit turris illa, in qua olim detentus fuit Ludovicus pius Imperator. Postremo constat ibi fuisse Regiam *Clodonei* primi Regis Franciæ Christiani, & apparent hodieque triplicium fossatorum amplissima vestigia.

Haud abs re fuerit his subnectere privilegium *Joannis* Papæ, huic monasterio circa annum 562. concessum, cujus & Baronius meminit ad Martyrologium Romanum VIII. Junii & Choppinus lib. 1. Monasticon. tit. 1.

Totius orbis Principibus machinam mundi sub Christo Principe regentibus, præsentibus atque futuris, Joannes meritorum qualitate infimus, sed Dei gratia S. Romanæ sedi Prælatus. Summum esse, quos divinæ fidei & apostolicæ majestatis nobilitat religio, constat, ut fructu operum & effecta rerum certa demonstrent obsequia. Ob hoc divina inspirante gratia, & præcellentissimi Cotharii suadente clementia, monasterio B. Mariæ, & B. Petri, quod est extra Suessoram civitatem situm, ubi Dominus Medardus requiescere & Daniel Abbas præesse videtur, hoc privilegium omnimodis indulgemus, ut terras quas filius noster Clotharius ob salutem animæ suæ dedit, Croniacum scilicet, Attipiacum, & Alunit, possessionem suam in pago Metensi cum Salina, quæ vulgo dicitur patella salis, cum omni integritate teneant atque possideant, cum terris, domibus, ædificiis, mancipiis, silvis, pratis, pascuis, salinis, Ecclesiis & altaribus, habeant atque possideant, & teneant. Hoc quoque auctoritate S. Trinitatis, & inseparabilis unitatis, vitæ B. Petri Apostoli, coram Rege Clotario, & omnibus plebejis Francorum, scilicet Archiepiscoporum, Episcoporum, Judicum, & omni populo Christianorum, Romanorum Principum decernimus, ut nullus Regum, Antistitum, Judicum, terras S. Mariæ, & Domini Medardi, sive Ecclesias vel altaria, thelonea, decimas, nonas, banna vel freda exigat, &c. Datum in Ecclesia S. Silvestri quinto Idus Martii anno Dominicæ Incarnationis D. LXII. Edict. X.

Insignem profecto antiquitatem præfert hoc privilegium, sed dubito an numerus annorum Christi non sit adjectus per recentiorem manum.

CAPUT XIII.

Agaunense & Luxoviense monasteria.

AGaunense S. *Mauritii* monasterium Abbatiale, apud Sabaulos ex *Chablais*, fundavit B. Sigismundus Burgundiæ Rex circa annum 600. ibidem sepultus. Est id situm ad radices montis D. Bernardi.

Est autem S. Mauritius hodie Patronus ac tutor Sabaudiæ: à quo & ordo apud Sabaudos Equestris nomen induit. Fuit is martyrio coronatus circa annum 298. sub Imp. Maximiano, cum esset Thebææ legionis caput ac præfectus.

Luxovium, in Comitatu Burgundiæ.

Sanctum Columbanum Abbatem anno 602. ex Hibernia in Burgundiam venisse, ibique Theoderico Rege permittente, Lugoniense monasterium inchoasse, tradit Sigebertus in Chronico.

Pulso postmodum, per Theodericum Regem, è Francia Columbano, B. Eustasius ejus discipulus Luxoviensi cœnobio summa cum laude præfuit.

Est autem Lugonium hodieque illustre monasterium, ejusdem nominis opido, in Burgundiæ Comitatu inclusum, quod *Lugeul* vulgo nuncupant. Fuit hoc olim monasterium quoddam quasi Apostolicorum, per Galliam virorum seminarium, ex quo summi illi viri *Andomarus* Morinensis, *Aicharius* Noviomensis ac Tornacensis, *Chagnoaldus* Lugdunensis, *Ragnarius* Augustodunensis Episcopi, *Bertinus* Abbas Sithiensis, aliique plurimi prodierunt.

Ab eodem monasterio olim congregatio reformata Luxoviensis nomen habuit.

Bobiense monasterium, in Italia.

HUjus auctor fuit S. Columbanus, patria Hibernus, qui & Luxoviense in Burgundia, ut dixi, cœnobium excitavit. De quo sic Sigebertus in Chronico.

Sanctus Columbanus à Theoderico, Rege, instinctu Brunichildis aviæ, expellitur Francia; qui post, relicto Gallo discipulo suo in Alemannia, cœnobium Bobium construxit in Italia.

Ceterum B. Columbanus paullo post Eustasium, monachum & discipulum suum, ex Italia in Galliam remisit, qui una eum *S. Uvalerico*, B. Columbani pariter discipulo, Luxoviense monasterium laicis ademit, & monasticam ibi disciplinam instauravit. Consule Jonam in Vita S. Columbani, & Acta S. Uvalerici apud Surium.

S. Columbano Anno 622. juxta Sigebertum in Chronico, aut anno 615. juxta Baronium, defuncto, successit in regimine Bobiensis monasterii Attila.

CAPUT XIV.

S. Maximini monasterium, extra muros urbis Treverensis.

S. Maximini potentissima vetustissimaque Abbatia, extra urbis Trevericæ Nigram vel Martiam portam, in ipso campo Martio, à regione cœnobii S. Mariæ ad Martyres, prope S. Paulini olim cœnobium, nunc vero Canonicorum sæcularium collegium sita, ex regio D. Helenæ palatio templum Dei domicilium factum, fundatur circa annum Domini 333. ab ipso Christianissimo Imperatore Constantino Magno, ad petitionem matris ipsius S. Helenæ, quæ sanctam Crucem Dominicam invenisse legitur. Eo ipso nimirum tempore, quo Agritium Patriarcham Antiochenum Treverim accersitum, ejusdem urbis Episcopatui præfecerat. Et hanc istius cœnobii originem veram ac certam esse, Dagoberti Galliarum Regis subsequens diploma, Memiliano decimo tertio ejus loci Abbati, anno 643. datum abunde & luculenter testatur.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Omnium Christianorum noverit industria, qualiter ego Dagobertus *Rex potentissimus, cum convenienti consilio Episcoporum meorum Comitumque Legatos de mea parte ad Abbatem Memilianum direxi, mandans ei ut diligenter inquireret, indeque per seipsum indicaret quibus auctoribus illud monasterium, S. Maximini constructum, vel cujus imperio à pristinis temporibus esset subjectum. Hanc rogationem Abbas cum fratribus sollicite percipiens, perlectisque in eodem loco quibusdam vetustissimis chartulis inventum est, idipsum monasterium Constantini Imperatoris fuisse regale templum, atque jussu ejus dedicatum in honorem S. Joannis Evangelistæ à* S. Agritio *venerabili Archiepiscopo, in quo videlicet templo (ut idem pater monasterii nostræ Regalitati patefecit certa relatione)* Helena *sacra Dei famula potente & favente supradictus Imperator pauperes Christi congregavit, eisque virum Dei Joannem præposuit, ut in servitio Dei semper vacarent, & pro se orationibus insisterent; & insuper illius loci habitationem aliæ personæ nolint subdere, nec suæ successorumque Imperatorum potestati. His rebus ita esse firmiter intellectis; regio more constituo atque firmissima jussione præcipio, ut nullus unquam proterve illud monasterium, in quo Abbas supradictus præesse videtur, audeat inire vel ullam inhumanitatem illi violenter inferre. Igitur ut assidua recordatio mei meorumque præsentium maneret in prædicto monasterio: ipsorum S. Maximini præbendariorum victualia sub præmemorato Imperatore constituta, meis ex parte prædiis augere curavi, quorum nomina haec sunt.* Kannis, Crassiacum, Luncuvich, Regiodola, Vallis, Polich, Budeliacum, Talevanc, Loania; *haec loca ad regiam curtem, quae dicitur decima, pertinent, quam curtem cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, hoc est, quidquid praedii visus sum habere à fluvio qui nuncupatur Rubera, usque ad silvam quae dicitur Idec, S. Maximino Praesuli in perpetuam haereditatem contradidi.*

Insuper etiam cum consilio & rogatu meorum Principum, catervis ibi Deo deservituris, hanc legem firmiter & perpetualiter in posterum habendam decrevi, scilicet ut centenorum ibidem monachorum semper integra maneat & inconvulsa congregatio; excepto, si Imperatorum Principumve per saecula succedentium benevolentia praediis augmentetur vel thesauris. Et si propter paganorum vel infidelium Christianorum devastationem eisdem Christi servitoribus penuria ultra modum ingruerit, & per thesauri effusionem expelli nequiverit; Dei omnipotentis & mei meorumque successorum habeant licentiam, allodium cum familia à fidelibus illo contradicentibus dandi & vendendi, antequam Dei destruantur servitia. Et ut istius chartulae confirmatio firma in aevum permaneat, describi eam praecepi, & nostro sigillo eam inde firmavi. Actum pridie Nonarum Aprilis, anno regni nostri duodecimo, Moguntiae feliciter, Amen. Signum Dagoberti Regis.

Monasterium hoc, ordinis primum S. Basilii, & regulæ Orientalium monachorum, ab omni Archiepiscopali & Episcopali jugo exemptum, in temporalibus soli Imperatori Romano, in spiritualibus soli Summo Pontifici immediate subest. Abbas vero hujus loci privilegiis, & dignitatibus ac singularibus prærogativis sic insignitus est, ut Decanus plerumque septem præcipuarum Ecclesiarum Treverensium & Imperatricis Archisacellanus esse soleat. Devastatum est aliquoties à Barbaris, post tempora Regis Dagoberti, in Germaniam & Gallias excursiones facientibus; sed ab imis fundamentis renovatum, ac præclare restitutum legitur, & denuo consecratum, Benedictinæque professionis monachis traditum ab *Hildulpho* Archiepiscopo Treverorum, anno Christi circiter 764. Quo anno & Treverorum Archiepiscopi *Agricius*, *Maximinus*, *Nicetius*, ac *Basinus* de prioribus tumulis levati, & una cum trecentis Thebææ legionis Martyribus, honorificentius in recens instauratæ S. Maximini basilicæ minore crypta, quæ est sub summo altari, humati sunt. Sub Arnulpho etiam Imperatore à Normannis vastatum, ac solotenus deletum, mox ab *Ogone* Abbate præclare reædificatum est. Sic fere Bruschius.

CAPUT XV.

West monasterium, apud Londinum Angliæ metropolim.

IN prima enascentis Ecclesiæ apud Britannos infantia, imperante Antonino Pio, templum Apollinis, ad occiduam urbis Londini partem, ubi hodie cernitur *West monasterium*, terræ

motu

motu corruit. Ex ejus ruinis *Lucius* Rex Britannorum, qui Romanorum permissu hic regnavit, ad Christi cultum anno salutis 170. Ecclesiolam erexit, quæ postea, cum persecutionis tempestas sub Diocletiano Britanniam pervasisset, penitus subversa est. Locus jam inde diu neglectus, & spinis obsitus jacuit, unde ab Anglosaxonibus *Thonnez* & *Thorney* dictus erat: donec *Sebertus* Rex Orientalium Saxonum sive Essexiæ, & Midlesexiæ, qui primus inter eos Christo nomen dedit, eo loci monasterium Christo & B. Petro, anno Christi 605. posuit: unde ab occiduo situ & monasterio, *Westmunster* nominari cœpit. Sed cum Danico ardente bello, prostratum esset, *Dunstauris* Cantuariensis Archiepiscopus, favente *Eadgaro* Rege id renovavit, & pauculis monachis concessit. Postea *Eduardus* Rex, cognomento Confessor, sibi in sepulturam, & Benedictinis monachis in monasterium, ex decimis omnium suorum redituum, magnifice construxit, & patrimoniis tota Anglia dispensis ditavit. Jam inde hoc monasterium, cum Regum Angliæ inauguratione, & Coronatione cum etiam sepultura & Regalium repositione longe fuit celeberrimum. Verum post 160. annos, hanc Eduardi fabricam subvertit *Henricus* III. novamque Ecclesiam speciosa structura multiplici marmorearum columniarum ordine tecto laminis plumbeis convestito, quinquaginta annorum opere, ipse primum ponens lapidem anno 1220. exædificavit. Quam Abbates ad occasum plurimum auxerunt: *Henricus autem* VII. anno 1502. in suam suorumque sepulturam ad ortum, sacrarium admirandæ elegantiæ (Orbis miraculum vocat Selandus, omnem enim elegantiam in illo acervatam dicas) impensis 14000. librarum Anglicarum adjecit: in quo sepulcrum ejus splendidissimum & maximum ex ære solido hodieque cernitur.

Expulsis postea monachis per Henricum VIII. Angliæ Regem, cum ab Ecclesia Romana descivisset Canonici sunt substituti, sed à sacris Ecclesiæ Romanæ alieni, qui conjugati & ritu Anglicano viventes, etiamnum Westmonasteriense cœnobium incolunt, cum scholasticis quadraginta, quos Alumnos Regios vocant.

Ceterum ut in Francia ad Sidionysium tumuli Regum Franciæ, sic in Anglia Westmonasterii omnium pæne Regum Angliæ sepulcra admodum sumptuosa spectantur. Haud procul à dicto monasterio visitur Palatium Regium, quod Reges Britanniæ plerumque incolunt.

Fuerunt autem quam plurima olim in Anglia Benedictinorum monasteria, quorum origines ac progressus Guil. Malmesburiensis & alii rerum Anglicarum scriptores fuse commemorant.

Canutus Angliæ Daniæque Rex, qui anno 1030. obiit, duo exstruxit cœnobia ordinis Benedictini, unum eorum apud Anglos, in Nortfolchia intra paludes quod *S. Benedicti* vocatur, septimo lapide à Nordovico Nortfolchiæ Comitatus opido: alterum vero in Norvegia. Ita tradit Polydorus Vergilius lib. 7. historiæ Anglicanæ sub finem.

CAPUT XVI.

Regni Galliæ monasteria varia.

Athanacensis seu Athanatensis Abbatia fundata est Lugduni in Gallia anno *612.* sedente Aetherio Archiepiscopo Lugdunensi. Alii volunt Athanacum diu antea à Salonio Archiepiscopo exstructum.

Brantholinæam Abbatiam in diœcesi Petracoviensi vulgo *Brantholine en Perigort* ad Dronam fl. anno 769. Carolus Magnus Imperator condidit. Eam ipsam Petrus Marolius Vaurensis in Aquitania Episcopus Societati Casalis Benedicti an. 154. annectendam curavit.

Sic Georgius Amboisius Legatus Apostolicus cœnobia S. Menulphi, Larentonii S. Laurentii & Hidori an. 1567. eidem sodalitio copulavit. Ex quibus quidem tria priora in Bitinicensi tractu sita sunt; Prioratus vero Hidori, Gallice *d'ysseure*, Molyrus Bojorum opido proximus, est in d. Augustodimensi.

In urbe Remensi est archimonasterium *S. Remigii* titulo nobile, quod Hercambaldus Abbas S. Benedicti Floreacensis ad Lugerim circa an. Christi 947. reformavit teste Frodoardo lib. 4. historiæ Remensis cap. 23. & 33. In hoc monasterio *Chrisma celeste* sedulo adservatur, Gallorum Galliæ Regum unctioni destinatum, ut testatur Nicolaus Aegidius in Annalibus Franciæ: de quo sacro Remensi simbolo fuse Renatus Chopinus, ex Aimoino, Frodoardo, aliisque scriptoribus, lib. 3. Domanii Francorum & in Panegyrico, quem Henrico IV. Regi an. 1594. dicavit. Istud S. Remigii monasterium hodie unitum est cum Archiepiscopatu Venensi.

Vizeliacense monasterium, in d. Autisiodorensi, vulgo *l'Abbaye de la Magdelaine de vegelay en Auxerrois*, fundatum fuit à *Gerardo* Comite Niveruensi ejusque conjunge *Bertha* pro virginibus Benedictinis, quod deinde jussu Pontificio translatum est ad monachos ejusdem ordinis. Horum Abbati Martinus V. anno 1417. jus minorum infularum, aliaque multa erogavit. Fuit hoc monasterium olim Congregationis Cluniacensis: sed postea secularisatum est, ut loquitur Choppinus, hoc est pro monachis, Canonici sunt substituti, per Romanum Pontificem.

Usarchiae monasterium S. Petro sacrum in dioecesi Lemovicensi condidit *Hildegarius* Lemovicensis Episcopus, paterno Geraldi jussu Procomitis Lemovicensis.

S. Suplitii monasterium Bituricense reformatum, fuit à Guilielmo Cambrajo Archiepiscopo Bituricensi sub annum 1496. ut Casolis Benedicti cœnobium reformatum fuit an. 1488. auctore Petro Cadoeto Archiepiscopo Bituricensi.

Abbatia *d'Aisnay* Lugduni fundata fuit à *Brunechilde* Sigeberti Austrasiæ Regis conjuge anno 612. Sed eadem destructa fuit à Wandalis tempore Eucherii Archiepiscopi Lugdunensis.

Abbatia *S. Audoëny* in urbe Rotomagensi, nomen habet à S. Audoëno, olim Dagoberti *Regis* Galliæ Cancellario, post Archiepiscopo Rotomagensi.

Abbatiam S. *Cypriani* in Siburbiis Protaviensibus exædificata est à *Froterio* Protovimo Episcopo qui ibidem sepultus est circa anno 928. Ita Chopinus lib. 1. monasticon tit. 1.

Abbatia Quincei vulgo de *Quincay* est apud Pictones sita.

Jotrense virginum monasterium in d. *Meldensi*, vulgo *Joverre*, fundavit *S. Audoënus* Archiepiscopus Rotomagensis circa an. 639. ut testatur Aimonus, historiæ Francorum lib. 4. cap. 41. & Guil. Nangiacus in Chronographia.

Cormeriacum Abbatiam, *Commercii*, fundavit in d. Turonensi *Itherius*, monachus antea S. Martini Turonensis; approbante Carolo Magno Imperatore: ut scribit Choppinus lib. 2. de Politia sacra, tit. 6.

Abbatiam *S. Nicolai*, prope muros urbis Andeganensis, *Falco* Comes Andeganensis excitavit: Abbatiam de *Oratorio*, vernacule *du Lauroux*, *Richardus* Angliæ Rex, Andiumque Comes prœdiis auxit: teste Choppino lib. 3. tit. 1.

Tironensis Abbatia in Pertico, *Tiron au Perche* est caput Congregationis Tironensis, habens sub se XIV. Abbatias, inter quas sunt *Pelisse*, *Asvieres*, *Ferrieres*, *Guedennay*, *Joudieu apud* Lugdunum, & *Charisii*: ut testatur Choppinus in Monasticis. De monachis Tironensibus fuse Jacobus Vitriacus cap. 20. Historiæ Occidentalis.

Majus-monasterium, *Mairemonstier*, haud procul ab urbe Turonensi situm, non sine voluptate anno 1610. lustravimus.

S. Geremari Abbatia, in diœcesi Bellonagensi sita est.

Ferrariensis Abbatia, *de ferrieres*, alias B. Mariæ de Bethlehem, in Senonibus. Hujus loci Abbas quondam fuit Lupus Caroli Cæni Consiliarius, cujus exstant Epistolæ.

S. Acheoli Abbatia, *S. Acheul*, in d. Ambianensi.

S. Fusciani in nemore, *S. Fusian au vois*, in diœcesi eadem.

Vindocinensis S. Trinitatis Abbatia exempta, de *Vendosure*, in d. Carnotensi.

S. Mariae de Silvâ majori cœnobium in ora maritima Burdigalensi.

S. Columbæ juxta urbem Senonensem Abbatia accessit congregationi Casalis Benedicti anno 1581.

S. Vincentii Abbatia juxta urbem Cenomanensem, vulgo *Maus*.

S. Benedicti Flovacensis Abbatia ad Lugerim in d. Avielanensi: *Fleurei sur Loire*.

Rhotonensis Abbatia in d. Venetensi, apud Britones, *Rhodon de Vennes*.

S. Cornelii Abbatia in opido Compendio d. Suessionensis, *Compeigne*.

In Galliam porro Benedictinum institutum primus intulit S. Maurus Abbas S. Benedicti discipulus ex Italia per Episcopum Cenomanensem Bertigrammum evocatus, quem Theodebertus Francorum Rex, in monasteriis fundandis profusa quadam liberalitate, mirifice adjuvit. De S. Mauro sic legitur in Breviario Romano. Maurus nobilis Romanus, puer à patre Eutychio Deo & S. Benedicto oblatus, brevi tantum divina gratia profecit, ut ipsi magistro admirationi esset: qui illum sæpe, veluti regulis observantiæ & virtutum omnium specimen, ceteris discipulis ad imitandum proponebat. Cujus adhuc adolescentis, illud admirabilis obedientiæ exemplum à S. Gregorio Papa commemoratur. Nam cum Placidus monachus in lacum prolapsus, aquarum impetu raperetur S. Patris jussu accurrens Maurus, & super aquas incedens, socium capillis apprehensum, ad terram attraxit. Missus in Galliam ab eodem S. Benedicto, celebri monasterio exstructo, cui annos quadraginta præbuit, monasticam disciplinam mirifice propagavit. Denique sanctitate & miraculis clarus, septuagenario major migravit in cælum, anno salutis 565. Ita Breviarium Romanum 15. Januarii.

CAPUT XVII.

Galliæ Belgicæ Typus, & Benedictinorum in ea cœnobiorum Elenchus.

Gallia nostra Belgica, seu Germania inferior, provinciis hodie (nam de antiquis ejus terminis nihil hic attinet dicere) septemdecim continetur. Sunt in his, ut vulgo loquimur,

DUCATUS

Brabantiæ,
Limburgi,
Luceburgi,
Geldriæ.

Co-

COMITATUS	MARCHIONATUS S. IMPERII.
Flandriæ,	DOMINIA
Artesiæ,	Frisiæ Occidentalis,
Hannoniæ,	Machliniæ,
Hollandiæ,	Ultrajecti,
Zelandiæ,	Transisalaneque ditionis,
Namurci,	Groningæ.
Sutfaniæ.	

Sunt autem monachorum ex instituto S. Benedicti *viventium cœnobia*,

IN BRABANTIA.

Gemblacensis Abbatia, in diœcesi Namurcensi. Vulgo *Gemblours*.

Affligemium, Abbatia diœcesis Machliniensis *Affligbem*.

Fliderbeca, Abbatia diœcesis ejusdem, *Vlierbeke*.

Capellensis Præpositura, in urbe Bruxellensi, diœcesis ejusdem. *Capelle*.

Monialium cœnobia.

Corteberga, diœcesis Machliniensis Abbatia. *Cortenberghe*.

Forestum, Abbatia diœcesis ejusdem. *Vorst*.

Bigardia Major, Abbatia diœcesis ejusdem. *Grooten Bygarden*.

Bigardia minor, Prioratus diœcesis ejusdem. *Kleinen Bigarden*.

IN DUCATU LUCEBURGENSI.

Epternacense S. Willibrordi monasterium, Abbatia monachorum, in diœcesi Treverensi, *Echternach*.

Munsteriensis B. Mariæ Abbatia, itidem monachorum, eadem in diœcesi. *Munster*.

IN DUCATU GELDRIÆ.

Hulsbergensis olim monachorum fuit Abbatia, apud Hattemum opidum. *Hulsberghen*.

Clara Aqua, Virginum cœnobium, apud idem opidum. *Claer Water*.

IN FLANDRIÆ COMITATU.

Blandiniense S. Petri cœnobium, Abbatia diœcesis Gandensis. *S. Peeters op den Blandinberch*.

S. Bavonis Gandensis Abbatia. *S. Baefs*. Nunc est cathedrale Canonicorum collegium in urbe Gandensi.

S. Amandi Elnonensis Abbatia, diœcesis Tornacensis. *l'Abbaye de S. Amand*.

Marchianæ, Abbatia diœcesis Atrebatensis. *Marchiene*.

S. Martini Tornacensis Abbatia, diœcesis Tornacensis.

S. Winocibergensis Abbatia, diœcesis Iprensis. *S. Winocx Berghen*.

Aldeburgensis S. Petri Abbatia, in diœcesi Brugensi. *Oudenborch*.

Einhamum, Abbatia diœcesis Machliniensis. *Eenham*.

S. Hadriani Gerardi montensis Abbatia, diœcesis ejusdem. *Geersberghen*.

S. Andreæ Brugensis Abbatia, diœcesis Brugensis.

Cœnobium *S. Joannis in Monte*, Abbatia olim apud Tervanam Morinorum, nunc in diœcesi & urbe Iprensi sita. *S. Jean au Mont*.

Hamaticum, Prioratus *Hamay*.

Virginum cœnobia.

Messinensis Abbatia, in diœcesi Iprensi. *Meessenen*.

S. Godeleva cœnobium *Gistellense*, diœcesis ejusdem.

Borburgensis Abbatia, in diœcesi Audomaropolitana *Borburch*.

Merchemensis Abbattia, in diœcesi Iprensi, ætate nostra desiit. *Merckem*.

Silva monialium, diœcesis ejusdem cœnobium, ante turbas istas civiles in agro, nunc in urbe Iprensi ædificatum. *Nonnen Bossche*.

IN ARTESIA.

S. Vedasti Abbatia, in diœcesi & urbe Atrebatensi, *l'Abbaye de S. Vast en Arras*.

S. Bertini Abbatia, in diœcesi & urbe Audomaropolitana, *l'Abbaye de S. Bertin en la ville de S. Omer*.

Blangiacum, Abbatia diœcesis Atrebatensis. *Blangy*.

Alciacum, Abbatia diœcesis ejusdem.

Hammensis Abbatia, in diœcesi eadem. *Ham*.

Arquensis Præpositura, primo lapide ab Audamaropoli. *Arques*.

Berclausensis Præpositura, apud Bassejam Flandriæ opidum, ad Deulam fl. sita. *Berclau*.

Monialium cœnobia.

Strumensis Abbatia, in diœcesi Atrebatensi. *Estrun*.

Avennensis Abbatia, diœcesis ejusdem *Avesnes*.

IN HANNONIA.

S. Gisleni Abbatia, in diœcesi Cameracensi, *l' Abbaye de S. Gislain.*
Altus Mons, Abbatia diœcesis ejusdem *Haultmont.*
Crispinium, Abbatia diœcesis ejusdem *Crespin.*
Maricolensis Abbatia, in eadem Diœcesi *Maroille.*
Hasnonium, Abbatia diœcesis ejusdem *Hasnon.*
Lætia, Abbatia diœcesis ejusdem *Liessy.*
Aquicinctum, Abbatia in diœcesi Atrebatensi. *Anchyn.*
S. Dionysii Abbatia *in Boqueroia*, diœcesis Cameracensis. *l' Abbaye de S. Denis pres de Mons en Haynault.*
S. Salvii cœnobium, Prioratus instituti Cluniacensis, in diœcesi Cameracensi. S. *Salve, pres de Valenchienes.*
Hasprensis Præpositura, diœcesis ejusdem *Haspre.*

Virginum monasteria.

Dononium, Abbatia nobilis in diœcesi Atrebatensi, *Denaim.*
Bethlehemiticum S. *Mariæ* cœnobium, apud Montes Hannoniæ, in diœcesi Cameracensi. *Bethlehem.*
Gislengeniense, monasterium inter Athum & Angianum Hannoniæ opida *Ghislengbien.*

IN HOLLANDIA.

Egmundana Abbatia, monachorum, in diœcesi Harlemensi. *Egmont.*
Rhenoburgensis Abbatia, nobilium olim virginum eadem in diœcesi *Rhynlburch.*

IN COMITATU NAMURCENSI.

S. Gerardi Broniensis Abbatia monachorum. *l' Abbaye de S. Gerard.*
Walciodorensis Abbatia, itidem monachorum, in eadem diœcesi *Wassors.*
Hasteriensis Prioratus, itidem monachorum. *Hastiers.*

IN FRISIA OCCIDENTALI.

S. Odulphi Stauriensis Abbatia monachorum, in diœcesi Leovardensi: *Sinte Odulphus klooster tot Staveren.*
Foswerdensis Abbatia, itidem monachorum, eadem in diœcesi. *Foswerdt.*
S. *Joannis Evangelistæ* cœnobium virginum, in *Smalenede*, apud vicum *Beets* ut audio.
Hemelense S. Nicolai monasterium.

IN PROVINCIA AC DIOECESI ULTRAJECTINA.

S. Pauli Abbatia in urbe Ultrajectina.
Ostbroucana Abbatia. *Oostbroeck.*

Monialium cœnobia.

Monasterium Dominarum, Abbatia. *Urowenklooster.*
Aldevicensis Abbatia. *Aldewijck.*

IN TRANSISALANA PROVINCIA.

Fuit olim monialium cœnobium, *Nigra Aqua* nuncupatum. *Swart Wæter.*
Item *Werselœnse*, ut ajunt, virginum pariter monasterium, S. Remigio sacrum. *Werseloo.*

IN DITIONE GRONINGENSI.

Fuit olim *Rottomense* monachorum, ut audio, cœnobium. *Rottum.*

Virginum Monasteria.

Fuerunt ista, ut audio *Manasterium vetus*, vulgo *Olde klooster.*
Tesigna vulgo *Tysingheim.*
Monasterium *S. Catharinæ in Syon*, vulgo in *Selwært*, in suburbano Groningensi.

IN DITIONE AC DIOECESI CAMERACENSI.

S. Andreæ Abbatia, in castello Cameracensi *l' Abbaye de S. Andrieu au Chastea en Chambresis.*
S. Sepulcri Dominici Abbatia. *S. Sepulchre.*
Fidemium, Abbatia. *Femy.*
Hunonis curia, sive *Hunocurtensis* Abbatia, in diœcesi quidem Cameracensi, sed in ditione regni Galliæ sita. *Houncourt.*

IN DITIONE LEODICENSI.

Laubium, Abbatia diœcesis Cameracensis. *Lobe.*
Stabuletum, Abbatia diœcesis Leodicensis. *Stavelo.*
Malmundarium, diœcesis ejusdem. *Malmedy.*
S. Trudonis Abbatia, eadem in diœcesi, *l' Abbaye de S. Tron.*
S. Huberti Abbatia, in eadem diœcesi. *l' Abbaye de S. Hubert en Ardenne.*
S. Jacobi Leodicensis Abbatia.
S. Laurentii Abbatia, ad muros urbis Leodicensis.
Florinensis Abbatia, diœcesis Leodicensis. *Florennes.*
S. Catharinæ cœnobium, virginum, eadem in diœcesi, apud Trudonopolim, & alia.

CA-

CAPUT XVIII.

Album caſtrum vel Weiſſenburgium in d. Spirenſi.

QUatuor ſunt S. R. I. Abbatiæ ducali ignitate conſpicuæ, *Fuldenſis*, *Campidonenſis*, *Murbacenſis*, & *Weiſſenburgenſis*, Fundatum eſt autem Weiſſenburgenſe monaſterium anno 623. Auctum vero ac dotatum anno 664. à Dagoberto Galliarum Rege: cujus filia *Irmina* fundatrix & Abbatiſſa horrei Treverenſis in templo Weiſſenburgenſi eſt condita. Diploma primæ fundationis exſtat apud Joannem Trithemium, libro de Regum Galliæ origine, ac rebus geſtis, & apud Munſterum in Coſmographia. Dedicatum eſt autem S. Petro Apoſtolorum & S. Stephano martyrum principibus. Ceterum an. 1526. monaſterium Weiſſenburgenſe, in Præpoſituram eſt commutatum, quæ an. 1546. Epiſcopatui Spirenſi eſt annexa, Paulo III. Romano Pontifice & Carolo V. Imp. conſentientibus. Ita Bruſchius in Chronologia monaſteriorum Germaniæ.

CAPUT XIX.

S. Galli monaſterium, apud Helvetios.

S. Galli ſive Sangallenſis Abbatia longe potentiſſima, quæ eſt ſita intra muros urbis Sangallenſis, & totam fere Turgoniam, Comitatumque Dockhenburgenſem ſub ſua poteſtate habet, ædificari cœpta eſt, non Dagoberti Magni Galliarum Regis, ut aliqui nugantur, ſed *Sigiberti* Auſtraſiæ Regis, & *Fridbergæ*, conjugis ejus, *Conczonis* vel *Gunzonis* Svevorum Ducis, Uberlingæ tunc temporis ad lacum Acronium reſidentis filiæ (quam S. Gallus à dæmonio liberarat) impenſis ac donationibus, anno circiter 630. ad S. Galli Scoti, Alemannorum Apoſtoli petitionem, Templum, quod hodie adhuc conſpicitur pulcherrimum atque ampliſſimum, exſtructum eſt anno 830. conſecratum anno 836. ab Hunnis vaſtatum ac ſpoliatum anno Chriſti 937. Hæc Abbatia poſtea ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, Comitibus ac Baronibus multis, in primis vero ab *Hedovvige* Comitiſſa de *Eberſtein*, Imperatoris Henrici Aucupis filia, ita eſt locupletata & aucta, ut aluerit olim Canonicos 150. & Abbas Sangallenſis legatur mille equitum comitatu Argontinam eſſe ingreſſus anno Chriſti 1361. cum Walterus Baro à Gerolczeck in Epiſcopum Argentinenſem electus introduceretur. Dedit hoc monaſterium toti Germaniæ multos eruditos homines, multosque Epiſcopos Conſtantienſes, ac variis Germaniæ monaſteriis Abbates: & dicitur habere nobiliſſimam (ſtudio & induſtria monachorum) optimorumque codicum multitudine refertiſſimam bibliothecam. Oppidum ipſum Sangallenſe annos ante quingentos foſſis & mœnibus muniri cœpit: eſtque nunc Rhætorum ſive Helvetiorum ortopagenſium ſocietati & confederationi conjunctum; fuit autem S. Gallus, natione Scotus, S. Columbani diſcipulus, Brigantinorum & Arbonenſium Apoſtolus, obiitque anno 640. Arbonæ (quod præclarum hodie eſt opidum ad lacum Acronium è regione Morſenburgi in littore Helvetico ſitum) ſepultus. Ita fere Bruſchius in Chronologia monaſteriorum Germaniæ.

In S. Galli monaſterio vixerunt quamplurimi Abbates ac monachi, ſanctitatis opinione illuſtres, quorum corpora hodieque ibidem obſervantur.

CAPUT XX.

S. Bertini cœnobium Sithienſe *intra muros urbis Audomaropolitanæ in Arteſia.*

CLotharius Rex & filius ejus Dagobertus, videntes fidem Catholicam per bella valde debilitatam, & meſſem Domini multam, viros Catholicam & legem Dei bene dictos miſerunt in meſſem Domini laborare. Proceſſerunt igitur (ſecundum quod diverſimode neceſſitas exigebat) Adoenus & Philibertus Rotomagum, Lupus & Amatus Senones, Pharo Meldos, Acharius & Eligius Noviomum, Audomarus Tarvanam, Aubertus Cameracum, Amandus Flandros & Menapos, Remaclus Trajectum, Richarius & Judocus Pontium, Agilus Briam, Gislenus & Landelinus Hannoniam, Walaricus Vimiacum & alii plures loca, quibus dati ſunt, ſua ſancta prædicatione & piis moribus illuſtrarunt. Ex quibus Amandus Blandinienſe, Elnonenſe, S. Bavonis & Marchianenſe, Agilus Resbacenſe, Landelinus Criſpinium, Gislenus Cellam, Richarius Centulam, Walaricus & Judocus ſua ſinguli monaſteria conſtruxerunt. Specialiter ſancti Bertinus, Momolinus, & Ebertramnus, tres veri cultores ſanctæ Trinitatis, talentum Domini nolentes abſcondere, vel ſine lucro reportare, de Luxovio Burgundiæ monaſterio venerunt in Franciam verbum vitæ ſeminantes, & à Rege Lothario ſunt honorifice recepti, ac inter Regis palatium cum ſumma diligentia ſubrogati.

rogati. Post longum temporis intervallum, sanctum Audomarum tunc Morinensem Episcopum, cujus compatriota atque consanguineus erat beatus Bertinus, adierunt, tam amore ipsius sancti, quam quod patriæ linguam, utpote Teutonici, bene sciebant. Quos sanctus Audomarus læte suscipiens, suos in prædicatione statuit esse consortes. Subibant ergo officium legationis suæ, labore prædicationis continuæ. Istis quoque temporibus, beatus pater Columbanus migravit ad Dominum. Cum autem sanctus Audomarus, cum suis tribus comitibus antea dictis, sanctæ Trinitatis fidem incredulorum cordibus sua prædicatione frequenter imprimeret, terræ populus ad eos catervatim confluebat, suavi jugo Domini colla devote subdentes. Interea quidam prædives opum, vir illustris Adroaldus nomine, nullum habens filium, cum beato Audomaro tractare cœpit, qualiter possessionum suarum Ecclesiam heredem faceret, villam quæ Sithin vocatur, cum suis appendiciis, beato obtulit Audomaro, ut ibi xenodochium construat. Jussu igitur B. Audomari, tres viri sancti prædicti Bertinus, Momolinus & Ebertramnus Ecclesiolam construxerunt, & cellam, in territorio ejusdem villæ in loco, qui adhuc & propter hoc vetus vocatur monasterium, super fluvium Agniona, anno Domini sexcentesimo vicesimo sexto.

Et paulo infra ad an. 626. Principante Dagoberto vir illustris Adroaldus supra memoratus, B. Audomarum alloquitur, ut Sithin villam cum suis appendiciis, & ceteras possessiones recipiat, & xenodochium suum construat. Sed B. Audomarus ejus propositum mutavit, consulens, ut Deo & B. Petro bona prædicta conferat, quatenus ibi per viros Dei Bertinum, Momolinum, & Ebertramnum, qui sibi in opus Dei collaborabant, monasterium construi debeat ad habitandum monachis, ubi laudes Deo & orationes pro vivis & mortuis perpetuo decantentur, & Christi pauperibus hospitia præparentur, & necessaria ministrentur. Quod Adroaldus præsente B. Audomaro, cunctisque proceribus urbis Tarvanæ, magna cordis cum alacritate complevit, tradens villam Sithin cum appendiciis.

Interea decedente Achario Episcopo urbis Noviomi, ad Episcopatum ejusdem urbis Momolinus provehitur, & Ebertramnus cœnobio S. Quintini à Momolino præfertur. Sanctus vero Bertinus, cum in veteri monasterio resedisset annis quatuordecim, quia locus illi permodicus erat, ut aptiorem locum quæreret, spem ponens in Domino, navem conscendit cum aliquibus sociis suis. Et ecce statim contra fluenta præcipitis fluvii, angelico ministerio navis impellitur, donec Bertinus ex ordine decantati Psalterii, versiculum illum pronunciaret, *Hæc requies mea in seculum seculi, &c.* Lecto versiculo navis stetit immobilis circa medium, ubi nunc est monasterium. Cognoscens igitur illum sibi à Deo electum locum, ibi monasterium ædificavit, in honorem Dei, sanctique Petri Apostolorum principis, anno Domini sexcentesimo quadragesimo, in quo brevi tempore centum quinquaginta monachos adunavit. *Ita Joannes Iperius in Chronico manuscripto Bertinensi.*

Ceterum qua ratione apud Bertinenses, à Lamberto ejus loci Abbate XL. institutum seu reformatio Cluniacensis, consilio Joannis Episcopi Morinensis, & Roberti Frisii Flandriæ Comitis, sit introducta, narrat idem Iperius. An. CIↃCI. Joannes Episcopus Morinensis Romam ad Papam tendit: cum quo Lambertus noster Abbas se proficisci simulans, iter aripuit, & monachum, quem secum assumserat, sub custodia reclusit in quadam cella Cluniacensi, idem vero Lambertus Cluniaci remansis professionem fecit, & eorum ordinem didicit. Tandem Episcopo Roma sine Abbate reverso, monachi nostri semel, iterum ac tertio Abbati Lamberto mandant, ut veniat. Redeunti quidam obediunt, sed major pars obedire recusat. Tunc ipse clam vocatis militibus suis, rebelles cepit, & in diversis Ecclesiis dispersos inclusit. Regebat tunc Cluniacum vir sanctæ memoriæ Hugo Abbas, per cujus licentiam Lambertus de diversis Cluniacensium monasteriis religiosos viros huc adduxit, & hic ordinem introduxit, an. Domini millesimo centesimo primo. Quibus stricte & religiose viventibus residui Sithienses, metu rigoris disciplinæ, fuga lapsi per diversa sparguntur. Nec ob hoc cessavit hic opus Dei. Nam novo religionis fervore, plures huc affluxerunt, ita ut in brevi plusquam centum viginti fratres adessent.

Porro jus mitra & ceteris Pontificalibus ornamentis utendi Gillebertus XLIX. Abbas Bertinensis impetravit ab Alexandro Papa quarto, Pontificatus ejus anno primo, teste eodem Iperio.

Arquensis Propositura, à S. Bertini Abbatia dependens, milliari fere uno ab Audomaropoli Artesiorum.

NObilissimæ hujus cellæ institutio ac dotatio debetur beato Walberto, Pontivensi & Arquensi Comiti. Idoneum ejus rei testem habeo Iperium, Bertiniani cœnobii Historiographum: Haugericus, *alias*, Hangericus vir illustris, major Domus Theoderici Regis Burgundorum, filii Hildeberti, filii Sigeberti ex Brunechilde, uxorem habuit Leodegondam, de qua genuit sanctos Pharonem. Walbertum, & Anoaldum, *alias* Canoaldum, & S. Pharam. Sanctus Pharo primo miles, inde clericus, deinde monachus in Resbaco, sub beato Agilo Abbate cognato suo, filio Agnoaldi, fratris Haugerici prædicti, deinde Episcopus Meldensis est effectus.

San-

Sanctus Canoaldus frater ejus à puero monachus in Luxovio sub patre Columbano, postea fit Episcopus in Lugduno clavato.

Sancta Phara ab infantia virginitatem Deo vovit, in manu sancti Eustathii Luxoviensis Abbatis. Hæc in Sombris, prope Wissantum, monasteriolum ædificaverat, ubi aliquantisper Domino serviens morabatur, sed inde ad Calam monasterium transiit, ubi sub habitu regulari Domino finetenus inservivit.

Sanctus autem Walbertus successione paterna Pontivensis, Ternensis, *forte* Tervensis *seu* Tervanensis, & Arckensis Comes, uxorem habuit sanctam Regentrudam: de qua filium genuit, quem beatus Pater Bertinus de sacro fonte levans, Bertinum nominavit. Ex utrisque pater confessionum, verbum vitæ sæpius proponebat. Quare Walbertus ad beatum Bertinum sæpe veniebat audire verbum Dei, & benedictionem de ejus manu suscipere.

Quadam vero die Walbertus ad basilicam sanctæ Dei genetricis oraturus accessit; sed insalutato beato Bertino recedens de equo lapsus, fracto crure, membrisque collisis à beato Bertino aliquid sua manu benedictum, per celerem nuncium exposcit. Sanctus autem Bertinus direxit ei signatum sua manu vinum: quo gustato sospes gratias referens, magnam hæreditatis suæ partem Deo & beato obtulit Bertino, Arckensem scilicet villam & comitatum, cum omnibus appendiciis ejus. Et sæculo renuntians hic primum sub beato Bertino, dein in Luxovio, (*opidum est Comitatus Burgundiæ in quo hodieque exstat Cœnobium monachorum Ord. Bened.*) monachus est effectus, sub beato Eustathio. Post quem ipse Walbertus immediate est in Abbatem assumptus, & demum, ut aliqui referunt, post beatum Pharonem fratrem suum est Meldensis Episcopus sublimatus.

Filius vero ejus sanctus Bertinus, hic in Sithin monasterio, sub beato patre Bertino professus, religiosam vitam sancto fine concludens, ad Dominum gloriose migravit. Cujus corpus cum corpore beati Erkenbodonis & aliorum Sanctorum, supra majus altare, in Ecclesia Canonicorum S. Audomari, repositum veneratur. *Hactenus Iperius.*

De sanctitate illustribus cœnobii Sithiensis Abbatibus ac monachis, Bertino *primo Abbate ac fundatore*, Momolino *Episcopo Noviomensi*, Ebertramno *Abbate*, Walberto *Comite & Abbate Luxoviensi*, Winoco *item Abbate, ejusque tribus fratribus*, Kadanoco, Ingenoco, Madoco, Erkenbodone & Hunfrido *Morinorum Episcopis*, Fulcone *Remensi Archiepiscopo*, Grimbaldo *Abbate Wintoniensi*, Jossione Roseo; Bernardo Pœnitente *aliisque, præter Iperium, fuse tractat Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii.*

S. Petri Gandense, seu Bavonicum, & S. Petri Blandiniense cœnobia.

SAnctus Amandus, Trajecti ad Mosam Episcopus, illustris per Galliam Belgicam doctrinæ Evangelicæ præco exstitit. Huic initia debent sua Gandense *seu* Bavonicum, Blandiniense, Elnonense & Marchianense *cœnobia, cum opulenta, tum perantiqua. De prioris utriusque institutione Philippus ab Eleemosyna, Abbas II. cœnobii Bonæ Spei, Ord. Præmonstratensis, apud Brinchium Hannoniæ opidum, vir longe eruditissimus, & S. Bernardo Abbati Clarevallensi olim familiaris, sic scribit in historia vitæ S. Amandi, qua MS. exstat Elnone & alibi.* Viam universæ carnis ingrediente Lothario Rege, successor ei constituitur Dagobertus, sicut regiminis, sic virtutis & pietatis paternæ strenuus imitator. Quo regnante beatus Amandus, ab urbe Roma regrediens, ministerium verbi, sicut assueverat, cœpit diligentius exercere, & animarum lucra profectu divini muneris operari. Hujus rei gratia, Gandavum progreditur, & sterilitatem gentis incredulæ fecunditate divini germinis satagit adimplere. Hic ut liberius securiusque possit in Evangelicæ sationis opus assurgere, interveniente sanctæ recordationis Aichario Noviomensi Pontifice, à præfato Rege suscepit epistolas, ut nullus verbum vitæ, jugum fidei, sacramenta gratiæ de trectaret, sicque Regi cœlesti, Rege militante terreno, velociter curreret sermo sanctus, & in exitium mortis, jugulumque diaboli, duo gladii convenirent; quia felix & jucunda est communio, cum ad classicum militiæ spiritualis erigitur terrenæ satellitium dignitatis.

Populus autem ille sicut ubere glebæ, sic ubertate gratiæ sterilis, & jejunus, fanatici erroris cultibus, & idolorum sacrificiis insistebat. Sicque instigante salutis adversario, dura fronte, & indomabili corde, pacis æternæ consilium respuebat, & salutaribus monitis cervicoso reluctabatur adnisu. Satagebat nihilominus vir Domini studio pertinaci & jugi opera, ut in diversoria mortis inductos, in regnum vitæ, per gratiam sanctificationis educeret. Renitebatur impietas pietatis obsequiis, & ministrum vitæ frequentibus ad mortem trahere moliebatur insidiis. Ille spreta sui corporis morte, sæpe numero cæsus, affectus contumeliis, pulsatus injuriis, opprobriis lacessitus, frequenter præcipitatus in flumen, ab ipsis etiam mulierculis persecutionis injuriam sustinebat. Fratres itaque, qui eum nimia devicta caritate secuti fuerant, & in opere Dei præstabant familiare contubernium, timore mortis & inediæ squasore compulsi, fracti animo recesserunt, relicto eo ad propria remeantes. Ille

ne quem gravaret, & ut ſine ſumtu poneret Evangelium, propriis manibus laborabat, unde viveret, & ut pro facultate miniſtraret neceſſitatem patientibus.

Nihil eſt tam arduum, tamque difficile, quod non expugnet opera pertinax, & frequens lima complanet: maxime cum diligentiæ comes gratia ſuffragatur. Aperitur tandem laboribus ſanctis oſtium grande, & magnatibus, ad fidem cum populo confluentibus, vir ſanctus in virtute Dei confringit idola, templa deſtruit, altaria demolitur, cultum miſere ſuperſtitionis excludit, & abdicat deceptæ gentilitatis errores. Ad laudem igitur & gloriam nominis Dei, vivificæ crucis erigitur triumphale vexillum, & mutato rito pro fidelibus offeruntur hoſtiæ ſalutares. Ædificatur in eodem loco fidelium ſumptibus fabrica celebris, quæ in fidei domicilium ſolemnibus edita ſacramentis, ſub Apoſtolorum principis honore & nomine, beati Amandi miniſterio, conſecratum. Conſtruitur item altera cultibus divinis Eccleſia in loco, quem Blandinium vocare conſueverat voluptatum ſectatrix piſca gentilitas, eo quod blanditiis lenis, & amænitate præcipuus videretur. Ubi Deo ſervientium probata conſtituens officia clericorum, curæ paſtoralis officium diſcipulo ſuo, viro venerabili tradidit Floreberto. Sub illius felici magiſterio ſanctus Bavo ſecretum votivæ recloſionis intravit, poſtquam à vanitare ſeculi, beati Amandi prædicatione, converſus eſt, & Eccleſiaſtico ritu benedictionis gratia tonſuratus. In qua vigiliis, jejuniis, orationibus convenienter intentus, ſeipſum Deo Patri hoſtiam vivam, ſanctam, beneplacentem juxta inſtitutionem viri Dei, ſatagebat fideliter exhibere.

Hactenus Philippus ab Eleemoſina; ex cujus verbis illud effici videtur, in Blandinienſi, ut & in aliis plerisque noſtratibus cœnobiis vetuſtioribus, à prima inſtitutione, non monachos, ſed clericos regulariter in communi vixiſſe. Idem in Natal. SS. Belgii 1. *Octob. de Gandenſi ſeu Bavonico cœnobio jampridem Molanus, vir ſacræ noſtratis hiſtoriæ peritiſſimus adnotavit, utut ſit, certo conſtat B. Gerardum Abbatem Bronienſem, anno nongenteſſimo quadrageſimo primo, pulſis clericis, monaſticam apud Blandinienſes diſciplinam inſtituiſſe.*

Eſt autem Blandinienſe S. Petri cœnobium intra muros hodie urbis Gandenſis in monte Blandinio ſitum, Flandriæ Comitum olim Mauſoleum, quorum tumulos marmoreos ibi ſpectari ſolitos impii Calviniſtæ, una cum baſilica ampliſſima, anno ſuperioris ſeculi octavo & ſeptuageſimo, funditus exſciderunt.

Gandenſe porro ſeu Bavonicum cœnobium, à S. Bavone, viro nobiliſſimo, cujus opibus illud S. Amandus exſtruxit, ſic nuncupatum, loco plano, ad Scaldis & Liſæ fluminum confluentem, olim ſitum fuit. Cujus quidem loci monachi, Paullo III. Pontifice Maximo indulgente, anno ſalutis milleſimo quingenteſimo triceſimo ſeptimo, Kalendis Auguſti, Canonicorum, ut loquuntur, ſecularium vitam ſunt amplexi. Qua de re verſus hic chronographicus.

VInCVLa sVnt petro, MonaCho qVæ VInCVLa toLLVnt.

ANno autem poſt tertio, hoc eſt Anno 1540. *ipſum cœnobium Bavonicum Carolus V. Imp. primo fundamenti ſaxo per funem inter obequitandum demiſſo, tutandæ urbi, in arcem convertit, & Canonici ad S. Joannis Baſilicam tunc paræcialem, nunc cathedralem, commigrarunt, R. D. Carolo Crojo, Tornacenſi Epiſcopo ipſos deducente, & Divorum corpora eodem ſolemniter transferente.*

Hujus Bavonici cœnobii (non autem Blandinienſis, ut Meyerus exiſtimavis) Abbas VIII. fuit Hildebertus, qui pro tuendo ſacrarum imaginum cultu, à fautoribus Conſtantini Copronymi Imp. iconomachi, eſt interfectus. Abbas porro XV. fuit Eginhartus ſeu Einardus, Caroli Magni Imp. Cancellarius, vir ſcriptis editis clariſſimus, qui SS. Marcellini & Petri martyrum reliquias Roma Gandavum transferendas curavit, & an. Chriſti octingenteſimo quadrageſimo quarto obiit.

S. Amandi Cœnobium Elnonenſe in Pabula, *tertio milliari à Tornaco Nerviorum.*

ANno incarnati verbi IↃCXXXIV. Dominus Amandus Trajectenſis Epiſcop. à Dagoberto Clotharii II. Filio, Francorum Rege Chriſtianiſſimo, pro monaſterio conſtruendo, locum, vulgo ad circumfluente fluviolo Elnone vocitatum, ſupplex petiit, & cum ſilva, aquis circumjacentibus & paſcuis munificentiæ regiæ beneficio obtinuit. Donatio ipſa Pariſiis civitate facta eſt Kalendis Maji, an. XI. Domini Dagoberti, cujus tenor in archivis noſtris usque in præſentem diem conſervatur. Loco igitur prænominato, inter duos fluvios Scarp & Elnonenſito, obtento, mox pater ſanctus monaſterium inchoavit. Eccleſiam igitur, licet parvam, ad honorem Divi Andreæ Apoſt. erexit & conſecravit, in qua ante altare Divæ Virginis poſt plura luſtra idem vir Dei Chriſto ſpiritum reddidit. Primus igitur Abbas fuit ipſe Amandus genere Aquitanus, Traject. ad Moſam Epiſc. vir ſanctiſſimus, gemina ſcientia, divina & humana præditus, elegantia plusquam Tulliana, Deo & hominibus dilectus.

Inchoato ergo à B. Amando Elnonenſi cœnobio, de grege ſibi commiſſo ſollicitus Trajectenſem ſuam diœceſim viſitare diſpoſuit: antea tamen Elnone vices gerentem ſuas in Abbatem ſuum ordinavit diſcipulum, nomine Urſum; qui annis aliquot laudabiliter rexit, ac tandem

tandem beato fine quievit. Cui à B. Amando ordinatus successor S. Jonatus, vir modestissimus, ipsius monasterii monachus, quem pridem Marchianis instituerat idem B. Amandus primum Abbatem. Verum cum Episcopalem curam renunciasset, & limina Apostolorum pro tertia vice, adjunctis sibi SS. Huberto de Maricolis, & Nicasio Elnonensi monacho & discipulo, petere decrevisset, prædicto Jonato Marchianensi Elnonense cœnobium similiter duxit commendandum. Deinde Amando, liminibus Apostolorum visitatis, Elnonensem repetente locum, Marchianas Jonatum repetisse reperimus; ubi post mortem etiam B. Amandi, aliquot lustris regulariter vivens, diversos utriusque sexus ad religionem induxit & castitatem. Ejus festivitas agitur Kalendis Augusti.

Jonato successit beatus Andreas. Beatus namque Amandus cum Roma tertio rediisset, & aliquot annis Elnone curam Abbatialem gessisset, sentiens corporis sui defectus, evocatum ad se B. Andream, quem in cella Apostolorum Barisiaci primum Abbatem instituerat, ut Elnonem repedaret, imperat, eumque ad se venientem constituit super familiam suam, quam Elnone collegerat, successorem. Revocare tamen decrevit in jus monasterii Elnonensis, in possessionem perpetuam, quidquid Barisiaci antea possederat, munificentia Regis Hilderici: quod usque in hodiernum diem, juxta viri Dei dispensationem, irrefragabiliter observatur.

Anno eodem, quo idem Andreas Elnonensis Abbas est effectus, scilicet sexcentesimo sexagesimo primo, idem Beatus Amandus sub Vitaliano Papa, post multiplices atque felices certaminum cursus, sciens sibi imminere obitus sui diem, ad dedicandam Ecclesiam Apostolorum Petri & Pauli, quam construxerat, convocatis Episcopis in Elnone, sanctis Reolo Remensi Archiepiscopo, Mommoleno Noviomensi, & Vindiciano Cameracensi, Abbatibus etiam sanctis Bertino Sitiensi, Adelberto S. Bavonis, & Joanne Blandiniensi testamentum de corpore suo, ne ab aliqua Ecclesiastica secularive persona ab eodem monasterio umquam auferretur, attestantibus & subscribentibus eisdem, anathemate confirmavit. Et post nonagesimo ætatis suæ anno, in Ecclesiam D. Andreæ, ante altare gloriosæ Virginis Mariæ VIII. Idus Februarii, spiritum Deo reddidit, & in Ecclesia BB. Apostolorum, quam recenter dedicaverat, ab obitu die quarto, honorifice sepelitur, in qua annis fere XVI. incorruptus & incontaminatus requievit. Post cujus felicem obitum B. Andreas ejus successor & filius, duobus fere lustris in humanis agens, miraculis coruscus terram linquens astra petiit, sepultus juxta patris sui vestigia, anno sexcentesimo septuagesimo. Post aliquot tamen annos, cum corpore B. Amandi, inde translatus est ad grandiorem Ecclesiam Divo martyri Stephano dedicatam. Ad cujus sepulcrum divina clementia, meritis ejus, languoribus plurimorum salutem contulit.

Huic successit B. Joannes à B. Amando Blandinii Abbas constitutus. Hujus temporibus constructa est Ecclesia B. Stephani major, propter crebra beati Amandi miracula, & B. Amandi corpus in eam transfertur per B. Eligium anno ab obitu ejus XV. Qui cum aliquot annis laudabiliter rexisset Ecclesiam, bonorum studiorum ac piorum actuum finem faciens, sanctum Domino spiritum reddidit. *Hæc ex manuscripto Chronico Elnonensi fideliter desumsimus.*

HUjus cœnobii monachi fuere Milo & Hucbaldus Elnonenses. Hucbaldus, præter vitas Sanctorum varias, de laude Calvorum ad Carolum Calvum Imp. centum triginta sex versus elegantissime conscripsit: quorum versuum dictio quælibet à littera C. incipit, exstantque typis editi. De Milonis, aliorumque hujus loci monachorum scriptis, vide Bibliothecam nostram Belgicam, brevi, ut spero, typis edendam.

Marchianense Monasterium in Flandria, ad Scarpum fl. tertio fere milliari à Duaco.

HUjus cœnobii à S. Rictrude, matrona nobilissima, S. Amandi consilio, instituti exordia habe ex manuscripto Chronico Marchianensi, à quodam ejus loci monacho, hortatu Simonis Abb. XX. olim conscripto.

Anno ab incarnatione Domini quingentesimo septuagesimo primo, S. Amandus ex nobilissimis parentibus in Aquitania natus est. Is anno à nativitate sua quadragesimo, anno vero Lotharii Regis vicesimo quarto, Ecclesiam S. Petri in Blandinio, & post Marchianensem in honorem ejusdem Apostoli, in Adalbaldi Ducis allodio construxit. Nam vir iste generosus, multis locupletabatur possessionibus in pago Flandrensi, Legiensi, Adartensi, Austrebatensi & Pabulensi.

Lotharius Rex Beritrude Regina mortua, secundam duxit uxorem Sichildem, de qua genuit Hairbertum, anno regni sui quadragesimo quinto Lotharius autem diem clausit ultimum anno Domini sexcentesimo tricesimo; cui successit Dagobertus filius, universam obtinens monarchiam, qui Hairberto fratri non uterino dedit partem regni, animo spontaneo, à flumine Ligeri, Aquitaniam scilicet, & Provinciam, & quidquid ulterius usque ad proximos montes, armis ac virtute posset acquirere. At juvenis egregius, laudis ac virtutis cupidus, Vuasconiam beatæ Rictrudis genuinam patriam, acquisivit suis viribus. Habitabant

tunc in ea Gethæ, qui alio nomine Gothi dicuntur, gens bellicosissima, & militari exercitatione egregia. De hac gente plenius scripsit Jordanus Episcopus Ravennæ. Hairberto igitur & filio ejus mortuo, omnia quæ acquisierant, ad Dagoberti imperium redigunt: à quo tempore usque in præsens Vuasconia & Francia, duo scilicet regna, unum sunt facta. Dux igitur Adalbaldus in Vuasconiam profectus, beatam Rictrudem alto sanguine ortam vidit, dilexit, legitimam uxorem duxit, tum ad hos ultimos Galliæ fines adduxit. Fuit autem filia Hirnoldi clarissimi & fortissimi viri, cognomento Nobilis, de Gente Getharum, cujus gesta militaria rithmice composita, & ejus fratrum adhuc decantantur in palatiis Regum, & theatris populorum.

Eo tempore Adalbaldus Dux, & Erchenaldus frater ejus major natu, reædificaverant Duacum castrum, & infra castrum ædificaverunt Ecclesiam beatæ Dei genetricis Mariæ, quæ nunc dicitur S. Amati. Igitur Adalbaldus ex Rictrude genuit filium, nomine Maurontum, & tres virgines sanctissimas Closendem, Eusebiam, & Adalsendem, Mauronto S. Richarius Pontinensis, pater spiritualis exstitit, Closendi S. Amandus Elnonensis, Eusebiæ Regina Machtildis, uxor Dagoberti Regis. Anno igitur Domini sexcentesimo quadragesimo sexto, Dagobertus Rex an. imperii sui decimo sexto, profluvio ventris exstinctus, delatus est ad basilicam S. Dionysii, quam exstruxerat, magnisque muneribus donaverat, pretiosisque ornamentis decoraverat, cujus animum de funib. diabolicis eripuit S. Dionysius. Successit ei in regno Clodoneus, fuitque princeps & patricius Erchenaldus, frater ducis Adalbaldi, de genere Dagoberti. In regno autem Sigeberti, alterius filii Dagoberti, floruit Pipinus Saxo, pater sanctæ Gertrudis virginis Nivialensis, cognatus præfati principis; qui primus *scilicet Erchenaldus*, exstruxit cœnobium Latiniacum, & Peronam.

Dux igitur Adalbaldus, necessitate urgente, à pago Austrebatensi, quem vulgari nomine Austrevannum vocant, in Vuasconiam proficiscitur; cumque per Aquitaniam iter perageret, & ad Petragoricum solum pervenisset, insidiis malignorum & uxoris suæ consanguineorum (qui indigne ferebant suam neptem matrimonio junctam Francigenæ, quod genus utpote Gothi oderant) peremptus est, & capite truncatus: quod ipse divino auxilio fultus dicitur inde ad Ecclesiam, in tumulandus erat, ambabus manibus deportasse; ad cujus sepulcrum multa illo tempore miracula edita sunt. At corpus ejus postea inde sublatum est ad Ecclesiam sancti Amandi Elnonensis. Cumque Rex Galliæ Rictrudem vellet ad secundum matrimonium cogere, ut haberet qui genus suum propagaret, illa consilio sancti Amandi, liberos suos tradidit Christo, aureo peplo capitis in sacrum velamen mutato. Bona autem sua sacris construendis applicuit, consilio S. Amandi, & cum auctoritate Præsulis Cameracensis Autberti. Itaque patrimonii sui substantiam, ac mancipiorum suorum regimen speciale commisit S. Amando, ut variis Ecclesiis applicarentur, & utriusque sexus fidelibus personis ea distribuerentur. Suis vero locis, in quibus piæ exercitio actionis Deo militatura erat, usque in finem, ut paupertatis sanctæ amatrix, pauca resignavit.

Porro Marchianensis locus circumfluentibus aquis, & palustri arundine circumdatur, habetque versus Aquilonem silvam grandem, ad Australem partem fluvium Scarpe, qui labitur ad Orientem, ex cujus utraque parte adjacent prata, herbis palustribus strata. Ad Orientem Marchianensis villæ, cœnobio rite composito, & à duobus Reverendissimis Episcopis, Autberto videlicet & Amando, monasterio in honorem Apostolorum Petri & Pauli, VI. Kalen. Novemb. solemniter dedicato, nobilis matrona Rictrudis voti compos effecta, universa, quæ sibi residua videbantur esse, testamentum legitimum faciens, perpetuo jure possidenda, liberaliter Sanctis Dei, & eidem contulit monasterio obtulit quoque tres filias suas virgines infantulas, Regi Christo sponso carissimas futuras.

In eodem cœnobio primum monachis ad serviendum Deo à beato Amando delegatis, pastor vigilantissimus, ac procurator interius, exteriusque fidelis, & simplex Jonatus donatus est eis, qui beati Amandi Pontificis discipulorum unus, ejus sacra eruditione admodum informatus, ad hoc officium idoneus inventus est. Verum postmodum rationi consentaneum visum est (quoniam sua bona beata Rictrudis huic loco consecrarat, ibique Deo deservire statuerat) ut ibidem sanctimoniales, inter servos Dei collocarent, quæ primatus ordinem obtinerent. Itaque modico superstite conventiculo eorum, cum pace mutua nobiles matronæ illuc certatim confluunt, religiosæ viduæ, ac virgines rasæ; quibus tamen ob humilitatem dominari renuebat S. Rictrudis. Quæ decurso vitæ suæ termino in omni virtutum exercitatione, ætatis suæ an septuagesimo quarto, IV. Idus Maji, diem clausit extremum.

Post S. Rictrudis dormitionem, Marchianensis cœnobii Abbatissa fuit Clotsendis filia ejus, cui successerunt aliæ, rexeruntque hanc Ecclesiam sanctimoniales per annos trecentos triginta tres, vel circiter.

Cum autem Marchianense monasterium, & alia multa rabies Normannica destruxisset, & sanctimoniales pœne ad nihilum possessiones redegissent, Balduino Comiti Flandriarum, avo Balduini qui apud Hasnonium est sepultus, Deus bonum pro restaurandis Ecclesiis spiritum est largitus. Accivit igitur Comes Lietuinum S. Vedasti Abbatem, virum vere sanctum, & tunc temporis singularis sapientiæ & virtutis. Nec mora præcepto Comitis moniales

les abſcedunt, & de ſuis aliquot boni teſtimonii monachos eligens Lietuinus, Marchianas transmittit. Tunc ibi cœnobialis diſciplinæ rigor renovatur, & de novo ipſius monaſterii fabrica inſtauratur. Denique intra novem annos, quibus Marchianenſi cœnobio pater iſte venerabilis præfuit, res monaſterii in bonum ſtatum revocatæ ſunt. Decurſis igitur novem annis Lietuinus miſſionem petiit, & uni de monachis ſuis Alberico ſcilicet monacho S. Vedaſti, hoc onus ſuſcipere injunxit, qui annos quindecim, temporibus Henrici Regis, præfuit, & obiit IV. Non. Januarii.

Alberico mortuo anno milleſimo quadrageſimo octavo, Balduinus Inſulanus Flandriæ Comes, filius Balduini ſupra memorati, Popponem Abbatem S. Remacli Stabulenſis, & S. Vedaſti Atrebatenſis, huic præpoſuit cœnobio, præfuitque huic Eccleſiæ menſe uno, & obiit VIII. Kal. Februarii. Poſt hunc Vuido monachus S. Vedaſti fit Abbas Marchianenſis Nonis Julii, & præfuit annis XX. obiitque XIII. Kal. Octob. anno 1068. *& ſic ex ordine cæteri. Hactenus ex manuſcripto Chronico Marchianenſi.*

His conſonat, quæ Chronographus Cameracenſis lib. 2. recenſet: Apud villam, *inquit*, Marcenias, Dei Glorioſa Rictrudis ex propriis opibus & prædiis, conſilio S. Amandi, qui tunc temporis inſignis habebatur monaſterium ſtruxit, ubi ſanctimonialibus ad ſerviendum delegatis, ipſa etiam Abbatiſſa habenas regiminis moderata eſt. In cujus vita plurimum, & poſt vitam aliquantulum religio crevit, uſuſque Eccleſiaſticus regulariter adolevit. Seculo autem ſemper in deterius vitiato, ipſarum etiam puellarum ordo vitiari & depravari cœperat. Jamque magis & magis depravatus mos, in degeneri poſteritate uſque in præſens duraverat. Nuper vero Abbas Leduvinus, Gerardo Epiſcopo, & Marchione Balduino ſatagentibus, feminas turpiter viventes, mundato loco, exturbavit, ac monachos, qui melius & religioſius, Deo & S. Rictrudi, quæ ibidem quieſcit, deſerviant, conſtituit. *Hactenus ille.*

Ceterum haud procul Marchianis, in Hamatico, ſive, ut Chronographus Cameracenſis loquitur, in villa Hamatgia, beata Chriſti famula Euſebia, prædictæ S. Rictrudis filia, ex rebus ſuis hereditariis pariter monaſterium conſtruxit, in quo ſanctimonialibus conſtitutis & ipſa Abbatiſſa præfuit; quod lapſu temporis vix paucos Canonicos habuit. *Eſt hodie Prioratus, ut vocant, Marchianenſi Abbatiæ annexus, vulgo* Hamay *nuncupatus, quem monachus unus alterve obtinet. Porro à Marchianis nomen habet illuſtre ac magnificum iſtud Academiæ Duacenæ* Collegium Marchianenſe, *quod Arnoldus Gantoiſius, Abbas Marchianenſis, patrum memoriæ à fundamentis extruendum curavit, obiit is an.* 1582.

CAPUT XXI.

S. Naboris monaſterium apud Lotaringos.

Eſt iſtud in ejuſdem nominis præclaro apud Lotaringos oppido ſitum, *Hilariacum* antiquitus, vel nova S. Hilarii cella, à primi oratorii conditore S. Fridelino Scoto Hilarii diſcipulo ſic dictum. Fundatum eſt autem & ſolerti ſtudio conſtructum à *Sigisboldo* triceſimo ſexto Mediomatricum urbis Epiſcopo; dedicatumque in honorem D. Pauli gentium Doctoris, anno Domini 714. Donatum eſt corpore *S. Naboris* martyris anno Domini 765. à *Crodegando* triceſimo ſeptimo Metenſis Eccleſiæ Antiſtite, qui Romam petens, à Paulo Pontifice tria obtinuit ſanctorum Martyrum corpora, *S. Gorgonii* quod in Gorzia monaſterio, *S. Naboris*, quod in nova hac cella, & *S. Nazarii*, quod in monaſterio *Horsheim* venerabiliter condidit. Sic fere Bruſchius.

S. Mauritii Tholegienſe monaſterium, in Lotharingia, ut d. Treverenſi.

Fuit id antiquitas *Schola & Eccleſia Theologorum* dictum, prope S. Wendelinum (quod oppidum Lotaringiæ eſt, à *S. Wendelino* Scotorum Regis filio, ac Theologienſi monacho cognominatum) ſub veteri Schaumburgo Lotaringiæ Ducum præclaro caſtro ſitum; Olim inſigne ac celebre gymnaſium, in quo vigebant & ſacræ & profanæ litteræ; nunc Benedictinorum monachorum ampliſſimum monaſterium Trevericæ diœceſis fundatum ac munificentiſſime donatum legitur anno Domini 627. à *Dagoberto* Galliarum & Auſtraſiæ Rege, conſilio & anxiliis B. *Modoaldi* Treverorum Archiepiſcopi, abſolutum vero à filio Dagoberti *Sigiberto* Auſtraſiæ Rege, ac tandem à *S. Pirminio* Epiſcopo & monacho præclare decoratum. Cubat in hujus cœnobii baſilica D. *Chuno*, alibi *Chunradus* dictus, Archiepiſcopus Treverenſis, patria & natione Suevus, qui aliquamdiu incarceratus, tandem anno Domini 1066. in Urczecik à tyrannis quibuſdam plebejis, ſubditis ſuis, trucidatus & ſecuri percuſſus eſt. Sic fere Bruſchius.

CAPUT XXII.

Maricolense Monasterium, vulgo Maroilles, *milliari uno à Landresio Hannoniæ opido situm.*

TEmporibus Hildrici, qui inter Francos regni monarchiam tenebat, S. Humbertus, sacerdos Dei egregius, & confessor claruit emeritus, qui Maceriis ad Mosam fl. ditissimis parentibus natus, & Lauduni sacris disciplinis institutus, tandem Romam, cum S. Amando, Trajectensi Episcopo, piæ peregrinationis ergo, se contulit, indeque secundum reversus, cœpit crebris meditationibus æstuare, quidnam de reliquiis Sanctorum, quas secum devexerat, facere deberet, cum forte caussis intervenientibus quædam juris sui loca lustraret. Contemplatus itaque aptum sacris ædificiis locum secus alveum Sambræ, quem priores ruricolæ Maricolas dixere, impetrata à Cameracensis sedis Episcopo licentia, oratorium construxit, in quo juxta rerum stipendiariam facultatem, viros sub habitu monasticæ conversationis constituit, qui per aliquod temporis spatium ibi deserviisse feruntur. Sed nostris quibusdam incertum, qua incumbente difficultate, an loci sterilitate, an circummanentium inquietudine, locus ille aliquo tempore, absque cultus monastici observantia vacavit. Verum illo relicto, haud procul exstruxit cœnobium, quod ad nostra usque tempora superfuit, in quo clericos utriusque conditionis & gradus triginta constituit.

Et infra: Multo denique tempore post, Abbatia tanto rerum suarum facultatibus est imminuta, quanto secularis potestatis nutibus est mancipata. Nam & hi, qui Ecclesiastici cultus officiis præesse videbantur, negotiis secularibus tanto liberius inhærebant, quanto nullo rectoris fræno coërcebantur. Porro si quid pro sui absolutione viri religiosi, ad communem famulantium usum contulerant, hi in usus proprios retorquentes, subditorum indigentiam non adeo curabant. Quæ autem ad solennem templi ornatum servabantur, vili mercatur ex impendiis distrahebant. Unde factum est, ut Othone Imperatore, Henrici quondam Regis filio, ut narrat Chronographus Cameracensis lib. 1. dum Fulbertus Cameracensis sedis illustris Episcopus, super hujusmodi querelam deferret, ille Princeps Catholicus Abbatiam de manu Isaac, qui tunc temporis Comitatus dignitatem administrabat, receptam, sanctæ Mariæ Cameraci subjectam faceret, & Episcopali regimine moderandam destinaret, quæ usque in hodiernum, ad eandem matris Ecclesiæ sedem spectare videtur. Verum res Ecclesiæ, quæ male ab externis tenebantur, & aut violentis invasionibus, aut infaustis (ut diximus) clericorum conventionibus fuerant alienatæ, nondum usque ad tempus Gerardi Episcopi dirimi potuerunt. Hic quarto decimo Henrici Imperatoris anno, Pontificale sceptrum adeptus, dum lustratis diœcesis suæ finibus, per singulas Ecclesias, qualiter divina ministeria tractabantur, perquireret, & ad hunc locum, forte transitum faciens, diverteret, reperit deformi horrentem specie semiruta ædificia, omnia dissipata, ut hac hostilem exercitum transisse putares. Tantæ igitur desolationis caussam percunctatus, cum didicisset maxime ex insolentia clericorum, tantam rerum ruinam obortam, & ipse universos eorum mores, tum privatis, tum publicis correptionibus increpitans, nequaquam ab errore pravæ consuetudinis posset revocare; desperata correctione, ejecit illos à loco, substituens pro his ordinem monachorum, consultius eos arbitratus regularis disciplinæ normam tenere, & si quid oriretur insolentiæ, facilius eos ad rectum duci. Renovato itaque, & ampliato monasterio, cœpit possessiones Ecclesiæ, sicubi fuerant, restaurare. *Hæc ex historia vitæ S. Humberti, quæ apud Maricolenses & alibi exstat manuscripta fideliter desumsimus.*

De Marecolis seu Marecliis, ut nuncupat, eadem narrat Chronographus Cameracensis; quæ in gratiam Lectoris subjungam: Sanctus vir Dei Humbertus, sanctitate conspicuus, & non modice prædiatus, ex patria Laudunensi decedens in villam Mareclias, locum suæ sanctæ conversationis elegit, ibique de rebus propriis, & prædiis monasterium in veneratione sanctæ Dei genetricis, & sanctorum Apostolum Petri & Pauli Apostolica auctoritate construxit. Illicque fratribus ad deserviendum statutis, ipse etiam Domino serviens, virtutum signis & doctrinæ, vitæque meritis satis clarus emicuit, ibique laborem hujus vitæ consummans sepultus in pace quiescit. Hanc Abbatiam primus Otho Imperator, Henrici Regis filius, tempore Fulberti Episcopi habendam tradidit sanctæ Dei matris Ecclesiæ Cameracensium.

CAPUT XXIII.

S. Dionysii Abbatia Regalis, secundo lapide à Lutetia Parisiorum.

NObilissimi hujus monasterii, in opido ejusdem nominis hodie siti, fundator fuit *Dagobertus* Rex Francorum XI. qui ab anno 632. usque àd annum 642. regnavit. Conditum est autem in honorem S. Dionysii, primi Parisiorum Episcopi, quem Dionysium Areopagitam fuisse volunt. Hujus sacræ reliquiæ, ut & *S. Ludovici* Galliæ Regis, ibidem spectantur, pretiosissimis theris inclusæ, cum aliis plurimis. Visuntur ibidem tumuli marmorei omnium

pæne

pæne Regum Galliæ, quos non semel magna cum admiratione ipsi spectavimus, cum Lutetiæ negotiorum caussa anno 1610. versaremur.

Dagoberti Regis diploma.

DAgobertus Rex Francorum, vir illuster omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Ducibus, Vicariis, Centenariis, Actoribus, Judicibus, & cunctis in universo regno Francorum principatum agentibus. Si ea quæ ad reverentiam locorum sanctorum Dei, & tutamentum mancipiorum ad ea pertinentium attinere videntur regia censura decernimus, juste quidem agere videmur: ac proinde nos habituros æternæ remunerationis apud Deum mercedem sine dubio speramus. Quapropter præsentium atque futurorum sagacitas noverit, quod ad petitionem Domini Chunaldi venerabilis Abbatis & fratrum monachorum monasterii sancti ac beatissime peculiaris patroni nostri Domini Dionysii Martyris, ubi ipse Domnus in corpore requiescit una cum suis præclaris sociis Rustico & Eleutherio Martyribus, de copulationibus mancipiorum, servorum & ancillarum, & eorundem sanctorum venerabilium Martyrum, & aliorum omnium universaliter hominum in toto regno à Deo nobis commisso consistentium, seu etiam nostrorum, seu quorumlibet hominum cujuscumque dignitatis, ordinis, & potestatis exstiterint, hanc per hoc nostræ dignitatis præceptum constituentes, sancimus, ut à modo per omnia sæculi præsentis futura tempora quicumque mancipiorum sive servorum, & ancillarum, præfatorum Martyrum, sive masculus sive femina qualicumque pacto seu legitimo seu furtivo complexu prolem genuerit, addiderit atque propagaverit, ex tunc & semper absque participe vel divisore quolibet irrefragabiliter ad supradictorum sanctorum Martyrum potestatem, cum omni prole sua revocentur atque subdantur, & lege mancipiorum ecclesiasticorum sub præfati Abbatis & successiorum illius monachorum in jam dicto monasterio Deo servientium ditionem perpetualiter mancipentur. Si quis vero contra hoc meæ majestatis decretum præsumpserit, & quod amore justitiæ decernimus infringerit, & quoque pacto violaverit; legibus arctatus, auri purissimi decem libras ac argenti probatissimi pondo viginti ad pensum nostri palatii solvere cogatur, & eorundem mancipiorum, si liber est, teneatur; si vero servus idem solvat, & centum quinquaginta ictibus in publico coram judicibus feriatur. Ut vero hoc nostræ præceptionis decretum inconcussum permaneat, atque pleniorem vigorem accipiens inviolabiliter per futura tempora conservetur, nostræ dignitatis anulo insigniri præcepimus. Datum anno decimo regni Domini nostri Dagoberti gloriosissimi Francorum Regis. Dado regiæ dignitatis Cancellarius recognovit, legit & relegit.

Ceterum *Dado* iste idem est qui *S. Andoënus* Polamagensis Archiepiscopus, Dagoberti olim Regis Cancellarius.

De hujus monasterii primis initiis ita legitur apud Sigebertum in Chronico.

ANno 629. Dagobertus iram patris sui Lotœarii Regis meritus, quia consiliarium ejus cæsum & detonsum dehonestaverat; Parisiis ad Ecclesiam S. Dionysii confugit, & quia inde nullo modo extrahi potuit, locum illum semper cordi habuit. Ita Sigebertus *Et hac de causa sancto Dionysio devotus, monasterium illi fundavit solemnissimum, sanctorum Martyrum memorias auro, & gemmis pretiosissimis adornando.* Ita Chronicon Bertinense manuscriptum.

CAPUT XXIV.

S. Haimerani monasterium, in urbe Ratisbonensi.

CIrca annum Christi 640. *Haimeranus* Pictonum in Gallia fuit Episcopus: qui relicto Pictaviensi Episcopatu, tempore Constantini tertii, Ratisbonam venit, ut ibi populum in Catholica fide, nuper à S. Ruperto institutum confirmaret, ac magis instrueret, sub Theodone quinto, Bavariæ Duce, qui eum benigne suscepit, & Episcopum Ratisbonensem constituit. Huic Theodoni filia fuit *Huta* quam *Sigibaldus* vir nobilis compresserat: intumescente vero utero, hujus flagitii culpam in S. Haimeramum (qui tum in itinere erat, Romam versus) absentem transfecti Laudebertus autem frater puellæ, rei indignitate commotus, sanctum Haimeranum insequitur, & comprehensum in pago *Helfendorf*, in superiori Bavaria circa monachium, in frustra articulatim dissecari jubet. Membra vero dissecta naviculæ imposita, adverso Danubio sunt Ratisbonam translata, ibidem sepeliuntur in sacello S. Georgii extra urbis mœnia, præsente Theodone Duce, anno 652. Theodo igitur, ut mors tanti Pontificis, cujus innocentia miraculo patefacta est, expiaretur, *Hutam* filiam in Italiam relegat, Landobertus fit profugus, & in exilio perit, Iste Theodo monasterii S. Haimerani primus fundator anno 696. exstitit.

Sequenti anno, scilicet 697. *Appollonius* primus hujus monasterii Abbas præficitur. Erat tum idem monasterium vix Capella monachorum, sed postea per *Simpertum* Episcopum Ratisbonensem, jussu Caroli magni, fuit magnifice inchoatum & perfectum. De licentia Tassilonis, Ducis Bavariæ, alique prœdiorum traditiones casæ constructæ, in honorem S. Petri

& Haimerani ſunt factæ; inter alias una, anno Ducatus ejus XIII. Ex quo conſtat Eccleſiam fuiſſe ante Carolum Magnum Imp. conſtructam.

Anno Domini 732. Bonifacius Moguntinus Archiepiſcopus *Gaubaldum* Epiſcopum Ratisbonenſem conſtituit, qui primus in ordine fuit eorum, qui iſtam cathedram & ordinariam Epiſcoporum ſucceſſionem inchoarunt. Nam ante hunc fuere Epiſcopi tantum adventitii. Sub hoc Gaubaldo S. Haimeranus eſt translatus.

Anno 752. Simpertus Ratisbonenſis Epiſcopus monaſterium S. Haimerani, juſſu & ſumptibus Caroli Magni Imperatoris, magnifice (ut dictum eſt) ædificare incepit; ſequenti anno S. Bonifacius martyrium ſubiit apud Friſones.

In hoc S. Haimerani monaſterio ſepulti ſunt quam plures ſancti & celebres viri, inter quos eſt S. *Haimeranus*, deinde S. *Dionyſius*, *ut volunt*, *Areopagita*, qui una cum Ruſtico & Eleutherio, conſortibus ſuis, ſub Domitiano & Siſinnio Feſcennino, Præfecto apud urbem Pariſiorum Galliæ clariſſimam, Martyrio coronatus eſt. Hujus ſanctiſſimi Martyris reliquiæ per Arnolphum Imperatorem ex Gallia, una cum pretioſiſſimo Evangeliorum codice, quem Carolus Rex Franciæ, poſtea Imperator dictus Calvus, fieri juſſerat, ad monaſterium S. Haimerani translatæ ſunt anno 900. pridie Decembris. *Pars altera reliquiarum quieſcit in S. Dionyſii monaſterio, in Francia.*

Sanctus denique *Wolffgangus*, Ratisbonenſis Epiſcopus, in monaſterio S. Haimerani corporaliter requieſcit.

Arnulphus item Imperator, Carolomanni Regis Bavariæ apud Otingam ſepulti, ex illuſtri femina filius, non tamen legitimus, in hoc monaſterio humatus eſt in choro; pariterque hujus filius *Ludovicus* Rex Romanorum. *Hemma* præterea Regina, Ludovici Regis Bavariæ filii Ludovici Pii uxor in Eccleſia S. Haimerani poſt altare S. Achatii requieſcit. De qua re magna eſt contentio inter Haimeranos & monales Superioris Monaſterii, quæ aſſerunt fundatricem in ſuo templo ſepultam, ejusque mauſeolum oſtendunt, & nituntur diplomate Caroli Imperatoris Craſſi, filii fundatricis. Econtra Hermannus Contractus vetus Hiſtoricus ſic loquitur: *Anno Domini 876. Hemma Regina Ratisbonæ obiit, & in Baſilica S. Emerani ſepulta eſt.* Sed utrumque poteſt verum eſſe, ut primo apud S. Emeranum ſepulta, poſtea ad Monaſterium Superius, locum novæ ſuæ plantationis ſit translata: quod ſæpe contingit. Et putat Aventinus lib. 4. mauſeolum, quod apud S. Emeranum oſtenditur, non eſſe Hemmæ, ſed potius *Hutæ* Auguſtæ, uxoris Arnolphi Imperatoris.

Henricus primus Bavariæ Dux, ex gente Saxonum, frater Ottonis magni Imperatoris, dicitur quoque in hoc monaſterio humatus, ſed quo loco, non conſtat, Aventinus in Annalibus, *Hujus filius Henricus Bavariæ Dux ſecundus, cognomento Rixoſus, in monaſterio S. Haimerani, in ſiniſtro latere, prope chorum humatus eſt.* E regione hujus Henrici, Ducis Bavariæ, patris Henrici ſancti Imperatoris, hodie cernitur ſepulchrum *Arnoldi*, Ducis Bavariæ, cognomento *Mali*.

In hoc monaſterio ſepultus eſt etiam B. *Rainoldus*, ejusdem monaſterii Abbas, S. Wolfgangi patruelis, quem S. Wolfgangus è Treverenſi vocavit cœnobio, & S. Emerani primo Præpoſitum, deinde Abbatem conſtituit anno 975.

Ædificavit hic *Rainoldus* cryptam ſui nominis, in qua ſibi ſepulchrum deſignavit, quam S. Wolfgangus dedicavit. In qua crypta juxta aram S. Gregorii, & omnium Confeſſorum, humatus eſt cum hoc diſticho:

Signis clareſcit pius hic Rainoldus humatus,
Cœlo fulgeſcit cœleſtibus aſſociatus.

Obiit anno M. I. XV. Kalendas Julii.

Claruit miraculis quam plurimis, ut patet ipſius hiſtoriam legenti. Hujus Rainoldi temporibus puella quædam, filia Regis Franciæ, Aurelia nomine, ad vitandum mariti commercium profuga, venit ad monaſterium S. Haimerani: quam S. Wolfgangus collocavit in ſolitudine, quæ nunc vocatur Sacellum S. Andreæ, juxta urbis Ratibonenſis mœnia ubi in vigiliis & orationibus 52. annis devotiſſime vixit, & anno 1027. Idibus Octobris obiit, & in ambitu monaſterii S. Haimerani ſepulta jacet, ad partem Auſtralem, habens in ſuperiori marmore hoc diſtichon:

Hic pia floreſcit Aurelia virgo ſepulta.
Quæ pœnas neſcit, cœli dulcedine fulta.

In Auſtrali ambitus plaga beatæ memoriæ *Adalbertus*, hujus monaſterii Abbas ſepultus, requieſcit intra cancellos ferreos, cujus mauſeolo inſcripta hæc carmina:

Floruit hic ſignis Abbas Albertus opimis,
Illius precibus JEſu Rex parce redemptis.

Obiit anno 1177.

Vixit ſub Friderico primo, Imperatore Romano. Inventum eſt corpus *Hemmæ* Reginæ, uxoris Ludovici, Regis Bavariæ, inter ruinas murorum ex incendio anno Domini 1163. collapſorum. Præter has celebres perſonas, in monaſterio S. Haimerani requieſcunt 18. Epiſcopi Ratisbonenſes. Sic fere Viguleus Hundius in Metropoli ſua Salisburgenſi.

CAPUT

CAPUT XXV.

Regni Franciæ cœnobia varia.

MOllispeci cœnobium Abbatiale apud Bituriges, vulgo *Meobec en Berrii*, Dagobertus I. Galliæ Rex excitavit: exstatque diploma apud Renatum Choppinum lib. 2. Monasticon, tit. 2. *Ego Dagobertus filius Clotharii Regis, filii Chilperici, filii Clotharii &c.* Datum anno Salutis 642.

Insulæ Barbaræ Abbatiam apud Lugdunum si non fundavit, certe instauravit omnino ruinosam Carolus Magnus Imperator: ut in Historia Lugdunensi lib. 2. cap. 106. legitur.

Monasterium S. *Michaelis ad Erenum* instauravit Guilielmus Aquitaniæ Dux, Caput stupeum nuncupatus.

Cormeriacum in D. Turonensi fundavit Carolus Magnus ac dotavit ex templi Martiniani prædiis, agente in primus Iterio primo illius loci Abbate.

In urbe Senonensi Chilpericus Rex ædificavit monasterium *SS. Petri & Pauli*, temporibus S. Remigii Remensis Archiepiscopi: ut testatur Odoramnus in Chronico Senonensi, quod, memini, usque ad annum 1121. exstat in monasterio S. Petri vivi Senonensis.

S. Luciani primi Bellonocarum Episcopi & Martyris cœnobium Abbatiale, in suburbano Bellonacensi, idem Rex instauravit. Ita Choppinus loc. cit.

S. Wandregisilus construxit *Fiscanum & Fontanellum*, in finibus Neustriæ: ut in Chronico Sigeberti ad annum 692. legitur. Glaber Rodulphus dicit illud ædificatum à Guilielmo duce Normanniæ, ubi & sepultus est.

Altum Villare exstruxit Nivardus Archiepiscopus Remensis, idemque S. Baslei monasterium vanis immunitatibus donavit, teste Frodoardo.

Abbatiam *SS. Sergii & Bacchi*, juxta urbem Andeganensem excitavit Clodoneus I. Rex Galliæ, itemque Abbatiam Jucundæ vallis, vulgo *Joyenual*, in agro Parisiensi.

Childebertus Rex fundavit Abbatiam S. *Germani de pratis*, in suburbiis Parisiorum, ut supra diximus, & Abbatiam *Montis S. Michaelis*, quæ est *in periculo maris*, in maritima Normanniæ ora. Alii volunt hanc posteriorem à Richardo Normanniæ Principe, conditam fuisse.

B. Rieulius Archiepis. Remensis *Orbesium* monasterium exstruxit in fundo, quem Theodericus Rex ipsi donarat teste Frodoardo.

S. Medardi cœnobium apud Suessiones Clotharius; S. Germani cœnobium, quod nunc est S. Albini, apud Andes Theodebertus excitarunt. Cœnobium S. Joannis Angeliaci in Sanctonibus, de S. *Jean d' Angeli, en Xainctonge*, anno 761. Pipinus rex in honorem S. Joannis Bapt. erexit, in opido quod propterea S. *Joannis Angeliaci* vulgo nuncupatur.

Abbatiam S. *Florentii* veteris, apud Andes, & Abbatiam S. *Judoci* ad mare, juxta Monstrolium opidum, Carolus Magnus; Abbatiam de Nobiliaco, *de Nouaille*, in Pictonibus, Ferrariensem, *de Ferrieres*, in Senonibus, Carroffi, *de Ccharroux*, S. Maxentii, S. Savini, in Pictonibus, Ludovicus Pius; S. Martini de campis cœnobium apud Parisios anno 1060. Henricus; Tyri Abbatiam, *de Tyron au perche*, in d. Carnutensi sub annum 1110. Ludovicus Crassus; Fiscanense monasterium, *Fescamp*, Guilielmus Bastardus Normanniæ Dux; Abbatiam S. Gildæ & Burgi Dolensis, *du Bourgdieux* apud Bituriges, Ebbo Dolensis Rhulus; Auriliacense monasterium, *de S. Gerault d' Aurillac*, in Arvernia, D. Geraldus; Latiniacum, *Laignii*, S. Furseus Hibernus fundarunt. Ita Choppinus lib. 1. de sacra Politia tit. 4.

Monasteria exempta Regni Galliæ.

SUnt in Gallia ordines S. Benedicti cœnobia quam plurima exempta ab omni jurisdictione Episcopali, atque à Romana sede immediate dependentia: quæ sese in piam societatem seu congregationem redegerunt, juxta decretum Consilii Lateranensis anno 1215. sub Innocentio III. celebrati. Quæ quidem Congregatio condidit Statua regularis disciplinæ in Turonensi, Senonensi ac Bituricensi provinciis: ut tradit Choppinus lib. 2. Ecclesiasticæ Politiæ, & lib. 2. Monasticon tit. 3. §. 13.

Inter monasteria exempta sunt ista:

S. Gildasii, monasterium, in diœcesi Venetica apud Britones,
Rivense monasterium ibidem.
S. Salvatoris de Carnusio, apud Pictones.
S. Joannis Angeliaci in D. Santonensi.
S. Severi in Vastonia, & D. Adurensi Monasterium *de Sorde*, in D. Aquensi.
Blaudmontis, in D. Vasatensi.
B. Mariæ de Carignotes, in D. Adurensi.
S. Martini Athanatensis, apud Lugdunum Gallice *d' Aisnay à Lyon.*
S. *Andreæ* monasterium Viennense, Monasterium *S. Mariæ & S. Marcellini de la Chaume*, à Rothono Britanniæ Abbatia dependens.

S. Trinitatis Vindocinenſis Abbatia exempta per Honorium III.

Majus Monaſterium, haud procul ab urbe Turonenſi, *Maire mouſtierlez Tours*, per Eugenium III.

Rotbonenſis Abbatia, *de Rhedon*, in Britannia minore per Nicolaum V.

S. Benedicti Floriacenſis, Gallice S. *Benoit le Fleury ſur Soire*, per Alexand. III. & Clementem IV.

Burgidolenſis Abbatia, de *Bourgdieu in Berrii* per Innocentium IV.

S. Crucis Abbatia Burdigalenſis.

Caſa Dei, in Arvernia, ſuæ Congregationis caput.

S. Germanis de Pratis, in ſuburbio Pariſienſi.

Sunt & nonnullæ abbatiæ Virginum Benedictinarum Exemptæ in regno Galliæ, ut Abbatia *Noſtræ Dominæ Sueſſionenſis*, fundata per Droſium Epiſcopum Sueſſionenſem & munifice dotata per Carolum Magnum: & aliæ.

CAPUT XXVI.

Cellenſis Abbatia, in d. Trecenſi, in Campania regni Franciæ provincia.

COenobium *Cellæ* ſeu *Cellenſe* ordinis S. Benedicti, quod etiam cœnobium S. *Petri Inſulæ Germanicæ*, ſive *S. Petri de Cella*, vel *Cella* S. *Bobini* nominatur (non Bononi, ut mendoſe alicubi ſcriptum legitur,) non longe ab urbe Tricaſſina ſitum eſt, & celebritate nominis ſemper conſpicuum exſtitit; tum quod ante complura ſæcula prima ejus fundamenta jacta ſunt, tum quod maximo cœnobitarum numero, divinis officiis & ſacrarum litterarum ſtudiis toto pectore incumbentium olim floruerit. Quorum quidem nonnulli ob inſignem eruditionem cum pari pietate & ſanctimonia copulatam, ad eccleſiaſtica munera & ſacrarum dignitatum apices provecti ſunt, ut manifeſtum eſt ex hiſtoria S. *Frodoberti*, qui cœnobii illius incunabula, Gallici imperii clavum tenente Clodoneo II. circiter annum 650. excitavit. Idem autem Princeps S. Frodoberto ſolum conceſſit, in quo memoratum cœnobium conditum fuit, quod noto vocabulo *Inſula Germanica* nuncupabatur: cujus fundi circuitus ad decem terræ jugera porrigebatur, ſicut diſertis verbis conceptum eſt, & expreſſum in adprobationis confirmationibusque diplomate, dicto S. Frodoberto à Clotario III. Laudati Clodonæi filio, circiter annum 663. conceſſo, verum non otioſum Fore arbitror eas litteras, quo poſteris integræ & illibatæ relinquantur, hic adſcribere. Hæc eſt igitur earum ſeries ex Chartario dicti monaſterii bona fide excepta.

Clotarius Rex Francorum vir illuſter, regia conſuetudine, ſiniſtris petitionibus ſacerdotum, in quo noſtris auribus fuerint prolatæ perducimus ad effectum. Igitur Frodobertus monachus ad noſtram acceſſit præſentiam, clementiæ regni noſtri ſuggeſſit, eo quod bonæ memoriæ Domnus & genitor noſter Clodoneus quondam Rex per ſuam auctoritatem ſua manu ſubſcriptam, locello nuncupato inſulæ Germanica, qui paludiis eſſe videtur in ſuburbano Trecaſſium civitatis ipſius, Frodoberto monacho, ubi monachuli ſub S. regula ad cellulam, quam ſuo opere inibi conſtruxit, bono crea decem de ipſa Inſula (quod pars ſiſci eſſe videtur) eidem conceſſiſſet: unde & ceſſionem ipſius Principis ſua manu ſubſcriptam, ſe præ manibus habere affirmat, & rem iſto tempore præſente, quieto ordine adſerit poſſidere vel dominari. Sed pro totius rei firmitate petiit conſuetudinem noſtram, ut hoc noſtrum præceptum in idipſum plenius confirmare deberemus: cujus petitionem pro reverentia ſanctorum Domnorum prompto animo præſtitiſſe vel confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes enim ut ſicut ab ipſo Domno & genitore noſtro jam dicto Frodoberto, ipſa Bono crea de terra in ſubſcripto loco legaliter ad ipſam cellam ubi conſtructa eſſe videtur, fuerunt conceſſa, & hoc præſente tempore ſubſcripti monachi inibi poſſidere vel dominari videntur, inſpecta ipſa ceſſione ſuperius ſcripti Principis, per noſtrum præceptum plenius confirmatum, ad ipſum Sanctum locum, vel ad monachulos ſuos, qui ibidem deſervire videntur, perenniter proficiat ad augmentum. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, nos & præcelſa Domna & genitrix noſtra Batildis Regina manus noſtræ ſignaculis ſubter eam decrevimus adfirmare. Signum præcelſæ Domnæ Batildis Reginæ. Rado. Obto.

Monaſterium S. Arnulphi, in Ducatu Valeſiæ, apud Criſpeium opidum.

EſSt Prioratus Congregationis Cluniacenſis, ſic dictus à S. *Arnulpho* Turonenſi Archiepiſcopo & Martyre. Cujus quidem ſacrum corpus ut & Sponſæ ipſius S. Scaribergæ, adſervatur in dicto monaſterio S. Arnulphi apud Criſpeium: quod licet exiguum ſit opidum, in ditione Sueſſionenſi ſitum, eſt tamen caput Regii Ducatus Valeſiani in Francia. Vixit autem S. Arnulphus ſub Clodoveo primo Rege Franciæ circa annum 513. ut in quibuſdam exemplaribus Sigeberti chronographi legitur. Vita ejuſdem exſtat manuſcripta in dicto monaſterio, & typis edita in Bibliotheca Floriacenſi, Pariſiis an. 1605. publicata.

Mona-

Monasterium S. Dionysii de Nogento Rotrodi.

EST id à *Gaufrido* Vicecomite Castrodunensi fundatum anno 1. regni Henrici I. Galliæ Regis, bonisque auctum à *Rotroco* nepote, Pertici Comite anno 1190. teste Choppino lib. 2. monasticorum tit. 7. art. 6.

CAPUT XXVII.

S. Gisleni Cœnobium, in Hannonia, quod olim Cella *est nuncupatum, in quo S. Gislenus quiescit, qui floruit An.* 651.

GIslenopolis Hannoniæ opidum est, palustri loco, inter Valentianas, & Montes Hannoniæ situm: cujus muris illustre vetusque cœnobium includitur, quod à S. Gisleno conditore nomen induit. De quo Fulbertum, Doctorem clarissimum, S. Autberti Cameracensis. Episcopi res gestas narrantem audi: Athenis urbe Græcorum nobilissima adolescens quidam inclytis ortus natalibus, studiisque literalibus propemodum exercitatus, sed & fidei moribus adornatus, ex inspiratione superni amoris patriam, parentesque deserere, cursumque longæ peregrinationis meditabatur adsumere, quatenus impensione temporalis exilii mercaretur æternæ portionem hereditatis. Igitur Romam adveniens, oratoria Apostolorum, orationis gratia lustrando, aliquantulum temporis explevit. Qui nocte quadam lassescentibus ex itinere artubus, in somnum resolutus divinæ jussionis voce monetur occiduos Galliarum fines expetere, pagumque Hagnov penetrans, congruum suæ habitationis locum quærere, ubi constructo oratorio vocationis suæ tempus exspectaret, sciensque divinam providentiam sibi semper adfuturam, laboriosi cursus non paveret injuriam, donec ad locum perveniret, ibique inveniret, qui sibi peregrinationis portum indulgeret, & rerum adjumenta præstaret. Qua voce divina beatum portendi Autbertum sequentia indicant. Sed jussionem Domini explere desiderans vir Dei Gislenus, sic enim erat nomen illi, regionibus diversis, insulis & urbibus peragratis, prospero cursu tandem pervenit ad locum, qui tunc temporis Ursidungus ab incolis dicebatur, ex consuetudine videlicet ursæ parturientis, nunc vero Cella vocatur. Qui locus distat trigenis fere miliibus ab urbe Cameracensi, in qua ipse ex divino oraculo sanctum Pontificem supra gregem Christi cura pervigili audierat insudare. At ille, noxiis avulsis arboribus, basilicam in honore beatorum Apostolorum cœpit ædificare, studiisque bonorum excitare. Disseminante ergo diabolo zelum invidiæ per corda malorum, auditum est aliquos, ut est mos adulantium, sancto Episcopo suasisse, non debuisse pati pseudodoctorem in finibus suis ad invidiam sui honoris, manere; sane qui ad seducendas mentes simplicium, urbana sapientium conventicula vitans, in has solitudines devenisset. Sed vir Domini advertens suggestionem invidia potius, quam ratione compositam: Non est, inquit, nostrum hominem indiscussum judicare, neque omni spiritui credere, donec probetur, si ex Deo sit. Mittitur itaque nuntius, qui hominem ad conspectum Pontificis accersire debeat: hoc interim proposito, ne vir Dei ex conventu quovis injuriæ motu contristaretur. Evocatus autem beatus Gislenus, cœpit Deo gratias agere, quod se per summum Pontificem superna gratia visitasset. Perveniens itaque ad urbem sancto præsentatur Episcopo, quem ille, ut flagrabat caritatis dulcedine, sic affatus: Dic nobis, inquit, frater carissime, cujus civitatis es, cujusve dignitatis. Cui ille respondens: Græcus, inquit, sum natione, Christianus vero dignitate, Athenis ortus, baptismate renatus, ita Romam adiens per Dei præceptum hanc perveni in patriam, super flumen Hagnam in loco, qui dicitur Ursidungus, operor manibus, ædificare gestiens Deo oratorium. Desiderabam equidem tuam expetere sanctitatem, petiturus licentiam agendi, quæ sunt cœpta; sed prævenit gratia tua, quæ me accersivit. Intuitus autem almus Episcopus viri sermones, nihilque in eis reprehensionis deprehendens, dilexit eum, sicque per aliquot dies gratia hospitalitatis retentum, & corporalis alimoniæ subsidio, & sacro spiritualis vitæ colloquio satiavit. Dehinc benedictionis suæ munere donatum, acceptaque regrediendi licentia, eum venerabilis pater hortatur perficere studio, quæ cœperat: sicque peractis, quæ congruerent, oratorium suæ auctoritatis benedictione consecraturum promisit. Qua Episcopi promissione lætus, operi ardentius instabat, animadvertens jam sibi ex rerum eventu illum invenisse, quem ad ministerium socialis laboris, divinitus audierat sibi promissum. Expletis vero pro modulo suo, quæ monasticis usibus congruebant, vir Dei venerandum talibus verbis interpellat Episcopum: Tempus adest pater, quo servo tuo Dominus Pontifex promissæ benedictionis munus exsolvere debeat. Gaudens igitur venerabilis pater bonis viri studiis, accersito secum beato ac venerabili Dei cultore Amando, cum magna circumfusæ plebis exultatione, monasterium prædictum ad laudem Domini, & honorem Apostolorum Petri & Pauli consecravit. *Hactenus Fulbertus.*

Eadem fere sed brevius Chronographus Cameracensis commemorat: Beatus Gislenus ab Athenis digressus, dum ortis simultatibus apud B. Autbertum accusaretur, ille advertens simulta-

tionis caussas, non solum non condemnandum æstimavit, sed cum magna veneratione suscepit, Ecclesiamque, quam idem S. Gislenus construxerat, adsumpto secum B. Amando, in honore Apostolorum consecravit.

Et infra: Nec procul à monte Castri loco, in loco quem dicunt Cellam, monasterium est monachorum S. Gisleni. Iste nimirum visione angelica admonitus, ab Athenis digressus, cursum suæ peregrinationis in istam partem direxit, illudque monasterium auctoritate sancti quoque Autberti, sed & sancta Waldetrude, cui tunc temporis familiari dilectione inhæserat, opitulante, fundavit. Qui quantus vel qualis vixerit, liber qui de vita ejus inscribitur, plenius exprimit. *Hactenus ille.*

Quomodo autem circa An. 930. *S. Gerardus Abbas Broniensis, à Gisleberto Lotharingiæ Duce evocatus, Canonicis hic monachos substituerit, fuse narratur in historia vitæ ejusdem S. Gerardi, à quodam monacho Broniensi ad Gonterum Abbatem scripta;* Gisleberto Lotharingiæ Duci Christi confessor Gislenus, nocte intempesta per visum apparuit, & querelis miscens preces, sic ei *apud Surium Tom.* 5. *Oct.* 3. locutus est: Noveris me diutius ferre non posse quotidianas contumelias, quibus afficiunt me Ursidungi Cellenses clerici, in meo enim cœnobio, quod mihi Christus donavit, nulla omnino religio servatur. Omnes, quæ sua sunt quærunt, quæ autem Dei sunt, ea nihili pendunt. Sed quia Lotharingia tibi paret, obsecro te, per Christi nomen, ne differas idoneum mihi pastorem inquirere. Quod quidem ut obtinere queas, à me paucis accipe. Est in pago Lomacensi locus, quem Bronium vocant, in quo quidam Gerardus degit, verus Christi servus, eum mihi assume, & cœnobii mei curam illi demanda: siquidem ad id muneris nemo in hac regione mihi illo magis idoneus videtur. His dictis visio disparuit.

Porro Gislebertus non immemor visionis, eam ad effectum perducere volens, accersit Cameracensem Episcopum Tietdonem, & Raginerum Hainoensem Comitem, iisque quidquid ea visione acceperat, exacte commemorat. Et cum ab eis peteret consilium, illi ajunt se nihil audere consulere aliud, quam quod divinitus facere jussus esset. Tum Gislebertus ad eos: Ocyus ergo, inquit, ad virum Dei abite cum virga postorali, eumque curam hujus Ecclesiæ suscipere compellite. Illi mox accinguntur ad iter, & perveniunt ad locum optatum. Quem secum abducentes non absque incredibili Broniensis Ecclesiæ luctu, celeriter Ursidungum repetunt, & Abbatem eum constituunt. At ille clericorum illic degentium non bona vita accuratius investigata, consultum existimavit, ut ab illa Ecclesia excluderentur. In eorum autem locum substituit dignam Deo monachorum sodalitatem. *Hactenus ex vita S. Gerardi Broniensis.*

Beatum porro Gislenum in Græcia monachum ordinis S. Basilii fuisse, testatur Philippus ab Eleemosyna, in vitæ ejus historia. Nam ut in Occidente S. Benedictus; sic in Oriente S. Basilius Magnus monachorum pater ac princeps exstitit, ut qui primus duriorem illum veterum monachorum ritum ad meliorem normam, magisque religioni congruentem, redegit.

Altimontense & Sonegiense Monasteria in Hannonia.

ILlustria hæc cœnobia S. Vincentius, qui floruit An. 651. *cognomento Madelgarius, Dux nobilissimus, & S. Waldetrudis Electæ maritus exstruxit. De iis fuse Chronographus Cameracensis:* Nec præteream, *inquit*, vicum, quem Altum Montem dicunt, nec immerito sic nominatum, cum beatus Vincentius, cum multis viris religiosis, qui cum eo fuerant, sua conversatione red-diderit sublimatum. Porro iste Vincentius Comes egregius, sanctæ Waldetrudis maritus, juxta quidem secularem eminentiam, & rebus & genere potentissimus, eruditione tamen & crebris monitionibus beati Autberti Pontificis Cameracensis informatus, secularis militiæ pompam procul abhorruit, Deique obsequiis mancipare se potius æstimavit. Igitur cum de loco suæ conversationis expetendo solicitus curam gereret, non defuit divina pietas, sancti viri desiderium completura. Nam quadam nocte pluit Dominus nivem, & omnem regionem, circum & circa niveo rore respersit, excepto paullulo loci, quod in supradicto vico, in modum videlicet crucis, respergendum reservavit. Quod vir Dei suo desiderio cælitus contigisse altiore consilio intellexit, divinoque indicio certior factus, mox eodem loco monasterium ex proprio sumptu fundavit. Quod etiam suus magister Autbertus viris secum religiosis adhibitis, in honore Apostolorum Petri & Pauli dedicavit, ibique vir sanctus feliciter conversatus, laudabilis vitæ sanctitatem ducere adstuduit. Ad cujus piam conversationem multi viri religiosi confluxerant, traditisque prædiis & propriis rebus cum sacro viro degentes, ad vitæ regularis normam sese construxerant. Cum autem locus à Regibus & Principibus augmentari, & frequentia fratrum populosus cœpisset haberi, ut liberius Deo vacaret, ad secretiorem locum secessit, quem etiam locum paullo posterius dicam. Hujus vero forma, & exemplo religio monachorum postea multo tempore adolevit, sed per incursus gentilium, imo per crebras seditiones domesticorum, subripiente inopia, ordo monachalis ad canonicalem redactus, sic ad tempus Domini Gerardi Episcopi usque me mansit: Quod vero cernens Episcopus, præcepto Henrici Imperatoris, consilioque Herimanni Comitis, ac vo-
lun-

luntate sui fratris Godefridi, fratris videlicet Episcopi, qui ex parte Herimanni Comitis ipsum locum in fisco tenebat, emelioravit, & facto Abbate Fulcuino in pristinum ordinis statum reformavit. Hic autem vir bonæ memoriæ Abbas, cum summo studio & labore nominis sui officium librans, & usum regulæ interius docuit, & locum omnem pro modico temporis, utpote adhuc novitium, pulchris ædificiis, & usui monachorum necessariis, exterius insignivit.

Et infra lib. 2. Repetamus locum, quem relictis quidem in Alto monte fratribus, expetiisse B. Vincentium prædiximus. Hic ab incolis Sungejas nuncupatur, ubi ipse vir Dei à frequentia populari remotus, fratribus sociatus monasterium struxit, ibique exactis hujus vitæ curriculis, feliciter sepultus, cum filio suo Landrico, Meldensi Episcopo, in pace quiescit. *Demochares meminit illius lib. de Sacrificio Missæ in tabulis Episcoporum Meldensium. Errant itaque qui eum Metensem Episcopum nuncupant.*

Et iterum lib. 3. Est monasterium in pago Hainov, in villa quæ dicitur Altus Mons, quod S. Vincentius B. Autberti prædicatione de laico monachus factus, & rebus sui juris, sub monachorum religione construxit, ac sub regia manu per multos annos non mediocriter floruit. Supervenientibus autem caussis diversarum tempestatum, Comitibus in beneficium traditum est, & ad tantum casum paullatim devolutum, ut monachis quidem egestate coactis, paucorum clericorum custodiæ mandaretur. Procedente vero tempore contigit Arnulfo patri Domini Gerardi I. Episcopi Cameracensis à Comite Herimanno in beneficio compensari. Hic audito de antiquitate & summa veneratione loci, sicuti vir sanctus, ad pristinum gradum voluit reformare, sed subripientibus caussis bellorum non potuit. Post cujus excessum is Arnulfo filio hereditarie cessit. Hujus nimirum meliorare volentis desiderium divina clementia secundavit. Ipso enim tempore frater suus Gerardus ad Pontificium sublevatur, cujus tam consilio quam auxilio pulsis quidem Canonicis, Domno Abbate Richardo monachorum religio revocatur. Qui Richardus postea Fulcuinum Abbatem sibi substituere æstimavit. Hunc ergo Dominus Gerardus Episcopus, unaque Abbas Richardus Imperatori præsentarunt Abbatia donandum. Subrogatus itaque Fulcuinus, multo labore monasterium, quod desertum invenerat, Domino Episcopo adjuvante, tam claustro & ceteris ædificiis, quam regulari fratrum servitute munivit. Quod ita innovatum Kalendis Maji in honore SS. Apostolorum Petri & Pauli, ut ante fuerat, Dominus Episcopus consecravit. *Hactenus ex Chronographo Cameracensi.*

Porro Altimontense cœnobium, vulgo, Haulmont, *milliari uno à Melbodio Hannoniæ opido distans, hodieque monachi Benedictini possident, Sonegiæ autem, vulgo* Soigny, *paullatim in opidum muris cinctum (ut & alia Belgii cœnobia plurima) excreverunt; eoque in loco B. Bruno Archiepiscopus Coloniensis & Dux Lotharingiæ,* insigne Canonicorum secularium collegium ordinavit, & basilica claustroque reparatis, constitutiones juxta regulam S. Augustini eis præscripsit; *ut in manuscriptis Hannoniæ Chronicis Jacobus Guisianus commemorat.*

Laubiense Monasterium, ad Sabim fl. secundo milliari à Binchio Hannoniæ opido, in ditione quidem Leodicensi, sed in diœcesi Cameracensi situm.

Est locus intra terminos pagi, quem veteres à loco, ubi superstitiosa gentilitas Marti sacraverat, fanum Martinense dixerunt, juniores à nomine profluentis fluvii Hainou vocaverunt, in pago Sambrino, ubi Sambra fluens blanda & amœna ripa decurrit; quem hinc inde prominentibus collibus planities quædam, & nemorum opacitas, & oportunitas loci gratissimum reddit. In quo loco rivulus delabitur in Sambram, quem Laubacum vocant, eundemque putant nomen loco dedisse. Licet sint aliqui, qui dictum putent, quod pro oportunitate capiendarum ferarum (undique enim saltu cingitur, vicinæque erant Liptinæ, (a) regium olim palatium) Rex pergens venatum ibi sibi fieri jusserat obumbraculum, ad temperandum solis æstum, quod Lobiam vocant. Inde putant locum dictum nomine permanente, rivulumque à loco, non locum à rivolo nomen traxisse, quod videtur magis verisimile esse. Teutones hoc astipulare videntur: nam locus ille eorum lingua *Lobach* dicitur. Et *Lo* quidem vocant obumbrationem nemorum, *Bach* autem, rivum; quæ duo si componantur, faciunt obumbraculi rivum. Erat autem locus parandis insidiis, & latrocinantibus aptus. Nam sicut dictum est, cinctus est silvis, & exasperatus scopulis; unde & perpetrato scelere non inveniebatur hostis. Tali ergo oportunitate captata Morosus quidam, vir hujus artis & operis, tali in loco latrociniis insistebat, tempore quo à Clodoveo septimus Lotharius agebat in sceptris. Qui cum minimis sceleribus non usquequaque contentus, grandiora quæque moliretur & ageret, tandem miserante Domino, per sanctum Autbertum Cameracensem Episcopum (nam parœcia est ipsius Ecclesiæ terminus, licet huc usque & Leodiensis protenditur) de Moroso in Landelinum conversus, secundus de Saulo factus est Paulus, & finem vitiis dedit, & locum sacris studiis immutavit, ut quem comma-

 cula-

(a) *Ad Liptinas seu Listinas Synodum celebravit. S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, præsente Carlomanno. Hodie Pagus est, Lestines, milliari uno à Binchio Hannonia opido situs.*

laverat vitiis, virtutibus dedicaret, ut ubi ſuperabundaret peccatum, ſuperabundaret gratia, ut ait Apoſtolus. In quo loco Eccleſiam ſibi pro tempore conſtituens, defluebat quibus antea delectabatur, manu & labore victum quærens, laſciviamque carnis jejuniis, & vigiliis domans, & exercebatur ſummo mentis conamine in his, quæ ſunt Dei, ut omnes mirarentur videntes commutationem dextræ excelſi. Talibus igitur exercitiis, pluribus ad id ſtudii confluentibus ſpeculum factus eſt. Sicque Lobienſis cœnobii fundator exſtitit primus. Sed præordinatio, de qua propoſuimus, Dei, qui non omnia judicia ſua manifeſtat (*judicia enim tua*, ait Pſalmus, *abyſſus multa*) voluit beatum Landelinum Lobiis demigrare, ut alteri quandoque ſubſecuturo locus vacaret, ne utique ſuper alterius fundamentum ædificia ſtrueret, & detrimentum pateretur, & ne merita tanta duorum unius loci anguſtia arctarentur. Horum forte præſcius beatus Landelinus, Lobiis demigrans, Criſpinium petiit. Nec defuerunt adjutores & cooperatores, in ſupradicti loci augmentatione, quamplures, licet nomina eorum exciderunt, temporibus Lotharii filii Clodovei, qui regnavit annis VIII. ſed & fratrum ejus Hilderici Secundi Regis Auſtraſiorum, & Theoderici, quem Pipinus debellavit, ſub ſeque regnum finire permiſit, poſt annum regni ipſius Theoderici decimum octavum, Clodovei quoque filii Theoderici, qui regnavit annis duobus, ſed & fratris ejus Hildeberti, cognomento Juſti, qui omnes regnaverunt ſub præfato Principe, regni tum eis nomine permanente. Quo in tempore, ſecundum quod in Actis Apoſtolorum legitur, in Aſiam volentes ire diſcipuli prohibiti ſunt à Spiritu Domini, quoniam ſervabatur Joanni; B. Urſmarus virtutum exercitiis clarus, cui Lobias Apoſtolatus locum delegaverat Dominus, à Pipino jam dicto Principe evocatus, idem monaſterium regendum ſuſcepit per Hidulphi interventum, qui erat unus de proceribus regni majoribus. Cujus indicia meritorum fuerunt, puer ille & panis matri in uremate præmonſtratus, & ſcanſio illa beata ſcalæ à terra cælotenus; quæ omnia quantum beato viro congruunt, ex actibus ejus cognoſcimus.

Et paullo infra : Quare autem Urſmarum Epiſcopum fuiſſe dicimus ſæpe à nobis quæſitum eſt. Nam textus deſcriptionis vitæ ejus Epiſcopum eum fuiſſe docet, locum autem vel tempus ordinationis ipſius, vel à quibus ordinatus ſit, omnino ſilet. Sed in chartis ſub ejus tempore factis, ac perantiquis membranarum peciolis, (*id eſt* particulis *phraſi Gallica*) quæ continentur in Eccleſia noſtra, inſcriptum eum invenimus ſub nomine Epiſcopi & Pontificis. Varia de hoc eſt ſeniorum noſtrorum relatio, dicentibus quibusdam, quod prædicandi gratia, ut competebat tunc rudimentis novellæ fidei, ad compeſcendos ſuperfluos ritus gentis barbaræ, Epiſcopus fuerit ordinatus; quod factum quoque de ſancto Amando legimus. Quibusdam hanc dignitatem tribuentibus, rationemque tuentibus, quod videlicet locus regius, regia munificentia conſtructus, regio palatio contiguus, ſcilicet Liptinis, nulli committeretur, niſi prius ordinatus eſſet Epiſcopus. (a) Quam dignitatem in plerisque ſucceſſorum ejus duraſſe in ſubſequentiqus dicemus. Quid horum verius ſit, lectorum arbitrio committimus. Igitur in exordio regiminis ſui, Eccleſiam, quæ ante id temporis erat inconſecrata, conſecravit, dedicans illam Domino in honore Principis Apoſtolorum Petri, ſummique Doctoris gentium Pauli, & omnium Apoſtolorum Chriſti, cumulans templum donis, & altare multiplicibus Sanctorum patrociniis. Facta eſt hæc dedicatio anno qui eſt ſexcenteſimus nonageſimus ſeptimus Dominicæ incarnationis, VII. Kalendas Septembris, Domino in perpetuum regnante, Pipino Francis principante. Quam Eccleſiam nequaquam paſſus pollui cadaveribus mortuorum, fecit aliam in honore ſanctæ Mariæ, in montis vertice cui ſubjacet prædictum monaſterium, ubi cœmiterium conſtituit eſſe fidelium, & ad quam conflueret populus. Nam illicitus, ut nunc quoque, niſi certo tempore, apud aliam erat feminarum acceſſus. Monaſterium quoque in Alna (b) ipſe conſtruxit, & Lobiis ſubjecit. Monaſterium quoque Waslare dictum, verſus Theoraciæ ſaltum, in finibus Faniæ ædificavit, cui & Dodonem præfecit, virum admodum ſanctum, utpote à ſe inſtructum, qui paulliſper inibi moratus eremum concupivit exſtructaque in eodem Faniæ ſaltu cellula, cum permiſſu pii Patria & licentia, vita vixit theorica, ubi poſtes multis virtutibus clarus migravit ad Dominum. Corpus autem ejus translatum eſt ad monaſterium Waslare, ubi nunc requieſcit debita veneratione. Sanctus autem Urſmarus, ut erat ſemper lucrandis animabus intentus, prædicandi gratia ſe Flandriæ intulit, verſus Menapum fines, qui ritu gentis adhuc detinebantur vanis ſuperſtitionibus. Cujus doctrina ad fidem Chriſti converſi, non minimæ partis prædiorum ſuorum illum faciebant heredem, & eam quæ eſt in Lobiis, Eccleſiam Chriſti. Beatus igitur Urſmarus, virtutum omnium commerciis plenus officio ſibi credito fideliter adminiſtrato, ſolvitur carnis ergaſtulo, & cæleſti introfertur paradiſo, ubi nunc & ſemper noſtri petimus memor feliciter fruatur Deo. Obiit autem anno ſeptingenteſimo decimo tertio Dominicæ incarnationis, & nobis in perpetuum Domino Deo regnante, & Pipino agente in ſceptris. Qui antequam decederet, fractus longa moleſtia, ſe vivo ſanctum Erminum ſuc-

(a) *Præter S. Urſinarum Epiſcopi & Abbates Laubienſes fuere SS. Erminus, Vulgiſus, & Theodulphus quorum corpora Binchii quieſcunt. An.* 1697. *Hujus loci Collegium Canonicorum, nunc reſidet Binchii in Hannonia, an.* 1408. *Laubiis eo translatum.*

(b) Alna *eſt hodie cœnobium Ord. Ciſtercienſis, ad Sabim fl. milliari uno à Laubiis ſitum.*

succeſſorem ſibi ſubſtituerat. *Ita Fulcuinus Abbas Laubienſis in manuſcripto Chronico Laubienſi qui obiit anno 990. Similia, itemque alia quædam de monaſterio SS. Urſmari & Ermini ſcitu digniſſima, Chronographus Cameracenſis fideliter narrat:* Tranſeundum eſt (*inquit lib.* 2.) ad Laubienſe cœnobium, quod ſacris initiis ſancti Landelini, ad tanti honoris, qui nunc eſt, paullatim pervenit titulum. Hunc nimirum Landelinum, in primæva quidem ætate à beato Autberto Pontifice litteris & moribus ſacris imbutum, poſtea vero fallente diabolo, pii magiſtri profugum, ſpreto clericatu, manui prædatoriæ in libro vitæ ipſius legimus ſociatum. Hunc, inquam, poſtquam magiſter benigniſſimus diuturna lamentatione & jugi prece ab errore revocatum, quaſi pater filium ſuſcepiſſet, ac ſaucium dulci correctione, & benevola conſolatione recreaſſet, in prælibato loco tunc temporis ſolitario ſecedere monuit, ut diſciplinatius videlicet errata corrigeret, & emendatius viveret. Peracto itaque habitationis ædificio, & in veneratione Apoſtolorum Petri & Pauli conſecrato, paucis ſiquidem viris nitidæ vitæ ſecum receptis, monitiones & mandata magiſtri, æqua lance moris & operis adimplevit, & de die in diem proficens, ad vitæ ſanctiſſimæ culmen tranſcendit. Ubi vero locus viri ſancti pia converſatione florere cœpiſſet, & ex munificentiis Regum, ſive potentium quorumlibet, quanto rebus exterius, tanto etiam numero monachorum interius abundaret: mox inde remotus, ſiquidem ut Deo ſtrictius manciparetur, ſecretiorem locum, quem paullo poſt dicemus, expetere exiſtimavit. Seceſſurus autem eo loci (*Sonegias intelligit. De quibus vide ſupra cap.* 9.) præfecit beatum virum Dei Urſmarum, piis moribus præditum, in functoria tantum prædicatione ſacratum Epiſcopum. Hic etiam vir de villa Fleon, quæ infra ſilvam Teraſciam ſita eſt, oriundus, formam innocentis vitæ fratribus exhibuit, dieſque ſuos in bonis operibus egit. Hoc igitur doctore, & dein beato Ermino ſuccedente, de quorum monaſterio ſubſequenter narrabimus, effloruit locus, & ad Dei gloriam ut uſque in præſens apparet, mos plene adolevit Eccleſiaſticus.

Horum itaque beatorum Dei Confeſſorum dormitionis habitaculum ſubjungamus. Erat namque Eccleſia parochialis, ſubjacens prælibato cœnobio, quæ juxta ſcilicet in vertice montis ſita eſt, ubi ipſi monachi, ſed & omnes collimitanei circum & circa degentes, tumulandi ferebantur. Ad hanc etiam beatiſſimi viri Urſmarus atque Erminus, cum defuncti ſunt, portantur humandi, quorum meritis declarandis, divina pietas multa miracula dignata eſt operari. Sed quia ſupra de ſancto Urſmaro parum tetigimus, non incongruum, ſi de ſancto quoque Ermino aliquid explicemus. Hic nimirum vir vitæ laudabilis, & non parum prædiatus, de pago Laudunenſi oriundus exſtitit, & de die in diem in bonis operibus proficiens, omnium virtutum clarebat commerciis. Quem, quia odor bonæ opinionis illius longe lateque increbuit, beatus Urſmarus ſupradictum monaſterium regens, ſæpius accerſivit, diemque ſuæ vocationis imminere intelligens, ipſum rectorem monaſterii, officiique ſui poſt ſe ſupparem, & miniſtrum Pontificemque delegit. In functione igitur vicaria ſubrogatus, totum ſe in divinis cultibus propenſius mancipavit, ſuique magiſterii forma inſtructus, de creditis omnibus curam ſollicite geſſit. Illud etiam prædium ſuum Ercli in uſibus fratrum expendit. Poſtquam vero ambo ad remunerationem vocati, primo quidem beatus Urſmarus, dein vir Dei Erminus, in jam dicta parochiali Eccleſia tumulati fuiſſent, tot & tantis munificentiis locus ille donatur, ut modernis temporibus monaſterio facto Canonici mitterentur. *Hactenus Chronographus Cameracenſis. Monaſterium S. Urſmari & Ermini eſt hodie Canonicorum Collegium Binchii reſidens.*

Porro monaſterium SS. Urſmari & Ermini eſt hodie collegium Canonicorum, quod olim in baſilica parœciali, Laubienſi monaſterio in montis vertice adſita, nunc Binchienſi in opido ſedem habet. Exſtat autem hodieque vetus iſta parœcialis baſilica, monti impoſita, in qua coram aliquando ſacros horum & aliorum Divorum tumulos venerati ſumus. In eaque etiamnum, aut in cœmiterio adſito Abbates, monachi & incolæ omnes Laubienſes terræ mandantur: adeo ut hactenus mortalium nemo Laubienſi in monaſterio ſit conditus.

Ceterum bellis in agro Leodicenſi ſævientibus, anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo octavo poſtridie Kal. Julii, Canonicorum S. Urſmari collegium Laubiis Binchium, quod vicinum eſt Hannoniæ opidum, ſeſe tranſtulit. Quo factum eſt, ut Guilielmus Bavarus, Hannoniæ Comes, inſtanter peteret, ut ſedem ibi fixam ac perpetuam vellent figere. Quod & fecerunt, Martino V. Papa conſentientente & approbante, eodem ipſo tempore ex Laubienſi Canonicorum baſilica, ſanctorum Urſmari, Ermini, Thodulphi, Vulgiſi, Amoluini, Abelis, Epiſcoporum & Abbatum Laubienſium, Hildulphi Ducis, & Amelbergæ viduæ corpora Binchium ſunt tranſlata, quæ diverſis octo feretris argenteis incluſa decenti cum veneratione non ſemel coram ſpectavimus. De his manuſcriptum Fulcuini Chronicon Laubienſe, & Molani Natales Sanctorum Belgii conſule.

Criſpinium, inter Valentianas & Gislenopolim, Hannoniæ opida.

Beatus Landelinus ex prædone ad Chriſtum à S. Autberto Cameracenſi Epiſcopo converſus cum Laubienſe cœnobium à ſe conſtructum, beato Urſmaro regendum commiſiſſet, ut paullo ante diximus, ad locum ſilvis horridum, quem Criſpinium nuncupant, ſeſe ſubduxit, ibique alterum exſtruxit monaſterium. De

quo sic breviter Chronographus Cameracensis: In vico Crispinio est monasterium Canonicorum, ubi sanctus vir Dei Landelinus, pro frequentia fratrum, relicto Laubiensi cœnobio, commendato viro Dei Ursmaro regimine, suisque rite ordinatis rebus, secessit, vitæque nitidioris perfectione exacta migravit ad Christum, atque in pace sepultus multis virtutibus corruscavit.

Ex quibus verbis patet olim Canonicorum regulariter viventium hoc in loco fuisse conventum.

DE Crispinii origine ac nomine Philippus ab Eleemosyna, Abbas cœnobii Bonæ Spei, in historia vitæ S. Landelini, ista situ in primis digna commerat: Extat in MS. Crispinii, & in nostra bibliotheca. Landelinus comitibus Adeleno & Domitiano supra fluvium Hon veniens, illic voluit residere, ubi silva, quæ Amblisis dicta est, eidem fluvio videtur adjacere. Quem locum ei commendabilem non fertilis camporum planities, non vinearum florida fecit pulchritudo, sed silvarum profunda opacitas, & horrori dedita solitudo.

Et infra: Verum ad usus fratrum etsi gavisus est aquam fluvii non deesse, tamen loco illi novit & doluit fontem vividum non adesse: sciens quia etsi aqua fluminis necessitati succurrere non negatur, tamen.

Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

sicut ab Ethnicis prædicatur. Currens igitur ad solitum orationis præsidium, & humili fiducia præmunitus, intellecto quod à Deo esset adfectus ejus devotionis exauditus, solo ictu baculi terræ superficiem interrupit, & redigna miraculo, vivus subito fons erupit. Cujus aquas perspicuas vir sanctus considerans ab imo abundantius ebullire, crispantem superficiem undis tremulis scaturire, ipsum lapsum rivuli grato susurro murmurare, tanta sui gratia ad mirandum quoslibet invitare, alludens speciei, quam crispam & tremulam hilaris adnotavit, ipsum in quo resederat locum, statim Crispinium nominavit.

De sanctis Adeleno & Domitiano, qui cum B. Landelino magistro suo Crispinii quiescunt, Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, Crispinium à fonte Crispantis aqua dictum.

Stabuletum *vulgo* Stavelo, & Malmundarium, *vulgo* Mamedy, *in Arduenna.*

ANno sexcentesimo quinquagesimo primo Rex Sigebertus de posteritate prolis desperans, duodecim monasteria hinc inde construxit Deo. In quibus Stabulaus & Malmundarium eminebant, cooperante sibi in his Majore domus Grimoaldo, & Trajectensium Episcopo Remaclo. Qui Remaclus non multo post pertæsus secularium tumultuum, in ipso Stabulaus monachicæ vitæ adsumsit habitum. *Ita Sigebertus monachus Gemblacensis in Chronico.*

Fuit autem Sigebertus iste Rex Galliæ & Austrasiæ, cujus vitæ historia exstat apud Surium Tom. 7.

Porro tam Grimoaldo Majori domus regiæ (quem nostrates Historiographi secundum Brabantiæ Ducem nominant) quam Sigeberto Regi attribuendam hujus cœnobii fundationem, testis est ipse Rex Sigebertus, in diplomate, anno regni decimo quarto à se dato, quod recitat Notgerus Leodicensis Episcopus, S. Remacli res gestas apud Surium tom. 5. describens: Sancta ac venerabilia monasteria, Stabulaus, sive Malmundarium cognominata, ubi vir venerabilis Remaclus Episcopus & Abbas, Christo auspice præesse videtur, quæ vir illustris Grimoaldus Major domus, in honore sancti Petri ac sancti Pauli vel sancti Martini, seu ceterorum Sanctorum suo opere in vasta eremo Ardennensi construxit, quemadmodum nos loca ipsa, ad ipsa monasteria ædificanda pro nostra præceptione, ex foreste nostra concessimus; quæ licet gratia Christi sint ditata, mundanam tamen substantiam cernuntur parum per habere. Ideo divina inspiratione commoniti, decrevimus aliquantulum de fisco nostro ad ipsa monasteria respicere & consolari: *& cetera, quæ in eodem scripto (auctor vocat præceptum) sequuntur.*

Porro Stabulense hoc cœnobium ad Amblevam fluviolum in profunda valle situm, distat tertio fere milliari à Spadanis fontibus acidis, tota pæne Europa nominatissimis. Abbas vero Stabulensis inter Romani Imperii proceres recensetur. Fuit hæc dignitas multo tempore in familia Comitum à Manderscheit: ex qua prognatus Guilielmus Abbas Stabulensis & Prumiensis (quod vetus atque opulentum itidem Benedictinorum in eadem Arduvenna versus Treveros est cœnobium, Reginoniis ejus loci Abbatis & Chronographi nomine illustre) arcem insignem ad ipsum montem è regione cœnobii hujus construvit, ut habet ejus epitaphium, quod in templi medio legitur. Obiit is anno millesimo quingentesimo qnadragesimo sexto. In hac arce Acta publica, codices manuscripti, & sacra supellex pretiosior adservatur. In eadem monetæ officina visitur (ejus enim cudendæ jus habent) & ipsi ibidem Abbates olim, ut plurimum, commorari solent. Hodie Serenissimus Ernestus *Bavarus, Elector & Archiepiscopus Coloniensis, itemque Leodicensis Episcopus, cœnobii hujus præfecturam, titulo Administratoris, obtinet.*

Porro etsi in quibusdam manuscriptis Chronici Sigebertini exemplaribus, & in Actis S. Landelini à Surio *Tom.* 3. *Junii* 15. editis, (ab incerto tamen auctore conscriptis) quatuor monasteriorum, Laubiensis videlicet, Alvensis, Waslariensis & Crispiniensis fundatio B. Landelino attribuatur; Fulcuinus tamen Abbas Laubien. cui hac in parte credendum existimamus,

mus, in MS. Chronico suo Laubiensi, diserte adfirmat non nisi Lobiense & Crispiniense monasteria ab ipso esse fundata; Alvense autem & Waslariense à S. Ursmaro esse instituta.

CAPUT XXVIII.

Complutum monasterium, vulgo de Compludo, in Hispania.

SItum est hoc monasterium in montibus de Rabonal circa Molina Secam in loco quem *Complutum* vocant: estque fundatum à S. *Fructuoso* Abbate S. Petri de monte, postea Archiepiscopo Bracarensi, in honorem SS. Justi & Pastoris: approbantibus *Cuidasvindo* Rege & *Reciberga* Regina. Quorum quidem diplomata exstant in Ecclesia Asturicensi in libro privilegiorum. Interfuit autem S. Fructuosus tamquam Archiepiscopus Bracarensis Concilio X. Toletano quod celebratum est Era 694. id est an. Christi 656. Idem S. Fructuosus ex hoc monasterio assumptus est, primo ad Episcopatum Dumiensem & postea ad Archiepiscopatum, ut dixi, Bracarensem: cujus sacrum corpus quiescit in Ecclesia metropolitana Compostellana S. Jacobi in Galizia, magna cum veneratione.

Est in Hispania quoque illustre monasterium Benedictinorum in *Monte Serrato*, Deiparæ cultu, ac miraculis celeberrimo. Distat septimo lapide à Barcinone, metropoli Catalauniæ, estque fundatum per *Godefridum Pilosum*, primum Comitem Barcinonensem (qui floruit anno 890.) pro monialibus primum Benedictinis. Quæ cum in urbem Barcinonensem migrare essent jussæ, monasterio S. Petri ipsis tradito, monachi mox sunt substituti.

CAPUT XXIX.

S. Trudonis Cœnobium Sarchiniense, *in opido Trudonopolitano, diœcesis & ditionis Leodicensis.*

B. Trudo nobilissimis parentibus Wilboldo & Adela, in Sarchinio apud Hasbanienses natus, post à Clodulfo Metensi Episcopo institutus, Metisque in Hasbaniam reversus, voto, quod puer voverat, satisfacturus, in Sarchinio, ad fluvium Cisindriam in sua hæreditate, cœnobium an. 606. propriis expensis fundavit: quod cum ad inhabitandum decenter aptatum, in altum perduxisset, dedicari fecit à sancto Theodardo Trajectensi Episcopo in honore SS. Quintini & Remigii, anno Domini sexcentesimo quinquagesimo septimo. III. Idus Octobris. *Hæc ex MS. Chronico Trudonensi desumsimus.*

Quiescunt autem hoc in cœnobio S. Trudo, qui obiit an. 693. *fundator, S. Eucherius Episcopus Aurelianensis, à Carolo Martello sede sua pulsus, & S. Libertus martyr; de quibus consule Molanum in Natalibus Sanctorum Belgii, & Surium.*

S. Huberti Cœnobium Andaginense, *in Arduenna.*

COenobii istius condendi auctor fuit S. Beregisus, qui in Sarchiniensi cœnobio à S. Trudone recens exstructo, regularibus disciplinis informatus, locum hunc à Pipino Majore domus regiæ impetravit. De quo Chronographus Trudonensis: Beregisus, *inquit* ex pago Condrosio ortus, & à parentibus intra monasterium S. Trudonis, sub habitu religionis, litterarum studiis & lege divina imbuendus traditus, largiente Pipino Principe eidem lata prædia, monasterium Andainense in honore S. Petri construxit, in quo clericis ordine Canonico militantibus, ipse pater in eodem habitu est sociatus, quod modo S. Huberti in Arduenna nuncupatur, ubi Waso Leodiensis Episcopus, delato eodem (*alii à Leodico*) à Trajecto corpore dicti S. Huberti, pro Canonicis regularibus monachos instituit.

Ex quibus Trudonensis Chronographi verbis illud effici videtur, cum apud Sarchinienses, seu Trudonenses, tum apud Andaginenses ex primæva institutione fuisse non monachos, sed clericos, seu Canonicos, ut vocant, regulares. Quod ante nos & Joannes Molanus, vir anitquitatum Ecclesiasticarum, præsertim nostratium, peritissimus, observavit. In Natal. SS. Belgii 2. *Octob.*

Hoc porro cœnobium S. Huberti nomine vulgò innotescit, cujus sacrum corpus ibidem pie adservatur; quod Waso seu Walcandus Leodicensis Episcopus, eodem Leodico, anno Christi octingentesimo vicesimo quarto, transtulit. Sigeb. in Chron. an. 824.

Hasnoninm, vulgo Hasnon, *ad Scarpum fl. tertio lapide à Valentianis Hannoniæ urbe.*

COenobium Hasnoniense Joannes vir nobilissimus, illius tractus toparcha seu Dominus, & soror ejus Eulalia, anno Christi sexcentesimo septuagesimo, construxerunt, & sanctus Vinditianus Cameracensis & Atrebatensis Episcopus II. Kal. Maji, Deo & sancto Petro Apo-

ſtolo dedicavit. Fuit autem à prima inſtitutione cœnobium ſexus utriusque: *Ita Jacobus Guiſianus in manuſcriptis Hannoniæ Chronicis. De fundatoribus hujus cœnobii exſtant verſus iſti per antiqui.*

Si cupis Haſnonii ſtructores noſcere templi,
Hæc metra pertracta, ſic ſuccedent tua vota.
Inclyta progenies Eulalia, ſicque Joannes,
Frater hic, illa ſoror, germani mente fideli,
Hujus præſentis ſtatuunt fundamina templi,
Tunc humanati Verbi dum volvitur annus,
Qui ſexcentenus quoque ſeptuagenus habetur.
Cunctis expletis advenit Vinditianus,
Antiſtes Cameracenſis, templumque dicavit,
Altithrono Domino, cujus nos luſtrat imago,
Cœli clavigero, Doctori gentis amœno.
Deſine mirari hic ſexum duplicem famulari.
Namque Joannis & Eulaliæ præclara propago,
Cœnobium rexit, cetum ſuper æthera vexit.
Hic locus enituit rigidi ſervator honeſti,
Usque dies Carli durans cognomine Calvi
Induperatoris, Regis quoque Francigenarum.
Ipſius & conjux Ermentrudis vocitata,
Mundum deſpexit, regni faſtumque reliquit,
Huic domui ſeſe tradens, fit Martha Maria,
Otia ſectando pia, divinisque vacando.
Semine Cæſareo produxerat æquivocatam
Formoſam natam, meritis tamen univocatam,
Quam ſecum nutriit conſortem religionis.
Sic ſpreto mundo tegitur velamine nigro.
Moribus ornata fuit Abbatiſſa creata,
Aſt ejus genitor poſt Carolus Induperator,
Cœnobii, matris prece, dotes amplificavit.

De monaſterio iſto ſic breviter Chronographus Cameracenſis, qui anno ſalutis 1030. *floruit:* In vico, quem dicunt Hasnum, Abbatia fuerat regalis olim atque ditiſſima, ubi ex maxima parte requieſcunt corpora SS. Marcellini & Petri. Nunc autem degeneris ſeculi moribus vitiatis, uti nunc clerici pauci deſerviunt, deſolatam & inopem condolemus. *Fuit autem cœnobium iſtud, ut & cetera Belgica, à Normannis vaſtatum; quod quidem monachis Benedictinis quando ſit traditum, Meyerus in Annalibus Flandriæ commemorat:*

Anno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo collegium Canonicorum, apud Hasnonium in Oſtrovandia, convertit Balduinus Flandriæ Comes in Benedictinum monaſterium. Vetus reparavit templum, idque ab Epiſcopis Lietberto Cameracenſi, Ratbodone Noviomenſi, Rainero Aurelianenſi curavit dedicatum III. Nonas Junias. Ea in dedicatione interfuiſſe reperio corpora Sanctorum Marcelli, Piatonis, Salvii, Amati, Donatiani, Vedaſti, Amandi, Audomari, Gisleni, Vincentii, Bertini, Winoci, Wandregiſili, Bavonis, Everardi, Euberti, Landelini, Hugonis, Aichadri, Euſebiæ, Rictrudis, Aldegundis, Ragenfredis, Reginæ, & Waldetrudis.

Hæc ipſa paullo aliter & fuſius in Chronico ſuo Bertinenſi narrat Iperius: Balduino Inſulano Flandriæ Comiti ſucceſſit filius ejus Balduinus, à puero nutritus in aula Imperatoris Henrici. Hic in adoleſcentiæ ſuæ tempore decidit in tantam infirmitatem, ut ei pater in manu candelam teneret, extremum ſpiritum exſpectans. Et ecce ſubito reſumptis viribus, patri ſuo dixit: Pater ab hac infirmitate evadam, ſi mihi dare volueris locum de Hanon, ut ibi monaſterium ædificare poſſim. Hæc vera erunt, quia ſtatim hoc mihi ſancti Marcellinus & Petrus promiſerunt. Pater annuit, & filius ſanus effectus eſt. Subverſo igitur Hanon caſtro, raptorum latibulo, ædificavit ibidem monaſterium Hanonenſe in honore SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & SS. Martyrum Marcellini & Petri & propter hoc vocatus eſt Balduinus Hanonenſis. Dictus eſt etiam Balduinus Pius, quia totus erat deditus operibus pietatis, viduarum, orphanorum, Eccleſiarum, pauperum, & oppreſſorum amator & defenſor præcipuus. Hic adhuc vivente patre duxit uxorem Richildem viduam Hermanni Comitis Montenſis, ex qua duos habuit filios, Arnoldum & Balduinum. Regnavit autem ſolus tribus annis, & obiit anno Domini milleſimo ſeptuageſimo, & ſepultus fuit in Hanon, quod ipſe fundaverat, monaſterio. *Hactenus Iperius.*

CA-

CAPUT XXX.

Monasterium S. Romani de Hornisga, hodie S. Romani de Ornixa *in diœcesi Toletana.*

FUndavit hoc monasterium ac dotavit *Cindasvindus* Rex & uxor ejus *Reciberga*, Era 684. in honorem S. Romani monachi circa opidum de Toro. Agit de hoc monasterio S. Ildefonsus, & S. Isidorus in chronico his verbis. *Cindasvinthus regnavit annos mitis, gloriosus vel insignis, orthodoxus, & vere pius, hic à Deo habuit regnum anno V. Imperii sui Toleto Era de LXXXIII. Memoratus itaque Rex Gothorum regnavit annos VI. menses IX. dies XI. Extra Toletum pace obiit, in monasterioque S. Romani de Hornisga secus fluvium Dorii quod ipse à fundamento ædificavit, intus Ecclesiam ipsam in cornuto per quatuor partes, monumento magno sepultus fuit.* Est hodie Prioratus annexus monasterio Regio Vallisoletano S. Benedicti. In sacello quodam veteris hujus templi exstat marmor cum hac inscriptione. *Hic sunt reliquiæ S. Romani monachi, S. Martini Episcopi, S. Martinæ Virginis, S. Petri Apostoli, S. Joannis Baptistæ, S. Aciscli, & aliorum numero Sanctorum.*

Ceterum Patronus hujus monasterii non est S. Romanus martyr Antiochenus an. Christi 313. passus, sed S. Romanus monacus ut ex dicta inscriptione liquet. Quis autem fuerit iste Sanctus Monachus in cujus honorem Rex Ciudasvinthus, dictum monasterium fundaverit certo non constat. Ecclesia certe celebrat ac colit S. Romanum monachum, quo ad vitæ necessitatem ministro usus est S. Benedictus ut Romanum Breviarium loquitur 21. Martii. Cujus quidem corpus quiescit Altisiodori in Gallia. Fuit & alius S. Romanus Abbas apud Lugdunum Galliæ, qui cum S. Lupicino vixit in deserto & floruit anno Christi 564 ejusque festum celebratur 28. Februarii.

Monasterium S. Petri de Monte in Hispania.

SItum est hoc monasterium in Vergisco Hispaniæ provincia vulgo *El Vierzo* nuncupata, estque excitatum à S. *Fructuoso*, principis illius provinciæ filio, & Archiepiscopo Bracarensi Era 684. Post S. Fructuosum successit S. Valerius qui illud circa Eram 700. mirifice auxit: quod & postea fecit S. Gennadius, Episcopus Asturicensis collapsum instauravit ac consecravit juxta veterem hanc inscriptionem.

Insigne meritis B. Fructuosus postquam Complutense condidit cœnobium, nomine S. Petri, brevi opere, in hoc loco fecit oratorium, postquam non impar meritis Valerius sanctus opere Ecclesiæ dilatavit. Novissime Gennadius presbyter cum duodecim fratribus restauravit. Era D. CCCCXXXIII. Pontifex effectus, à fundamentis mirifice, ut cernitur, denuo erexit: non oppressione vulgi, sed largitate pretii, & sudore fratrum hujus monasterii. Consecratum est hoc templum ab Episcopis quatuor, Gennadio, Astoricense, Sabarico Dumiense, Ferunivio Leyconense, H. Dulcidio Salmanticense, sub Era novies centena decies quina terna, & quaterna VIIII. Kalend. Novemb.

Ceterum vita S. *Fructuosi*, itemque S. *Valerii* Abbatis monasterii S. Petri de Monte, ut & testamentum *S. Gennadii* exstant apud Prudentium Sandovallum prima parte de Fundationibus monasteriorum Benedictinorum in Hispania. Ipsum originale testamentum exstat in Archivo monasterii S. Petri de monte, quod anno 1575. à se visum cum aliis plurimis libris manuscriptis, testatur Ambrosius Morales, Philippi II. Hispaniarum Regis Chronographus. Quiescit autem S. Gennadius in monasterio S. Jacobi de Pennalba à se fundato, quod vulgo *S. Genacio* nuncupant: estque hodie Ecclesia parochialis, cujus possessor Abbas vocatur & dignitatem in Ecclesia cathedrali Asturicensi obtinet. Ad tumulum S. Gennadii hodieque frequentissimus est piorum hominum concursus. Quiescit ibidem *S. Fortis*, S. Gennadii discipulus & Episcopus Asturicensis, itemque *S. Urbanus* illius monasterii Abbas.

Testamentum S. Gennadii Episcopi Asturicensis.

SAnctissimis, gloriosissimis Dominis triumphatoribus, post Deum mihi fortissimis patronis, cœlorum claviculario in arce Apostolatus constituto electissimo Petro, æquali vocatione Andreæ almifico, Iberiæ terminos Jacobo clarissimo, atque hero Thomæ asseclis Christi & ejus Martyribus à constitutione mundi Deo notis Apostolis.

Cliens servus vester Gennadius, pauper meritis, abundans sceleribus, indignus Episcopi, certissime credo, firmissime teneo, & indubitanter scio, quod vos, ô piissimi & strenui patroni ad unam Domini vocantis vocem, statim omnia quæ mundi sunt, mundo reliquistis, indefesse adhærentes vestigiis Salvatoris, ut neque puncto quidem secederetis ab illo, etiam neque ad funus patris, septima divinæ sapientiæ haurientes prædicatores egregii effecti, universum mundum lumine veritatis illustratis: & quod ore docuistis, & per effusionem sacratissimi cruoris vestri roborastis. Quid igitur ego miserrimus agam? quod immeritus in hac vocatione adcitus, neque opere, neque prædicatione sum idoneus? illam comminantis Prophe-

Prophetæ, imo Domini vocem expavefco, dicentis: Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras juftitias meas, & affumis teftamentum meum per os tuum? tu vero odifti difciplinam: nam Vas electionis, præceptor Gentium mirificus, qui fupra cælorum vifibilia raptus fidera, verbo Domini paftus ac refectus, metuens noftri detrimentum, de feipfo dicebat: Ne furte aliis prædicans ipfe reprobus efficiar, confcientiæ meæ teftimonio perterritus, & piaculorum pondere gravatus, patrocinium veftrum exopto humillimus, umbraculum culminis veftri expecto obnixus, defendi ac tueri interventu veftro fide intrepidus, nihil hæfitans, nihil dubitans, ut quidquid petieritis à patre cælefti, fiet vobis, & ideo dum paftor paftorum apparuerit, dum in gloria majeftatis advenerit, dum in confpectu ejus ignis præcefferit, cum in throno claritatis fimul & formidinis ad judicium federit, & vos & omnes Sancti cum eo feffuri fupra thronos judicantes, quæfo, ut ad optimum regem pro me interpelletis, ut fupereminеat mifericordia judicium & transferar à finiftrorum, & horum gregibus fum dexter agnus vellere indutus, & qui feffionis non mereor cathedram, aftare confpectibus divinitatis absque pavore meritis veftris valeam. Cumque adhuc fub patre Apoftoli, & abbatemeo Arandifelo, in Ageo monafterio degerem, vitam eremitarum delectatus cum duodenis fratribus & benedictione, fcilicet ad fanctum Petrum, ad fanctam eremum perrexi, qui locus pofitus à beato Fructuofo, & inftitutus poftquam fanctus Valerius eum obtinuit; quantæ autem vitæ fanctitatis fuerint, & quanta virtutum gratia, & miraculorum emolumenta enituerint, Hiftoriæ & vitarium eorum fcripta declarant: nam fupra factum loculum in vetuftatem reductum, pene oblivioni deditum, vepribus feu denfiffimis filvis opertum, & qui magnis arboribus ex immenfitate annorum adumbratum auxiliante Domino, cum fratribus reftauravi, ædificia inftruxi, viridas & pomares plantavi terras de Ocalido ejeci, horta & omnia quæ ad ufum monafterii pertinent impofui. Sed æmulus virtutum, vitam noftram invidens, quafi pro ædificatione multorum mentes plurimorum excitans, ad pontificatum Aftoricæ, ad fuburbia attractus fum, in qua multis annis involvens & magis in principium perdurans quam fpontanea mente, fed neque plene corporis ibidem commoravi. Omnem folicitudinem, omnemque induftriam erga fupradictam eremum exercens, Ecclefiam S. Petri, quam dudum reftauraveram, miris ædificaminibus revolens ampliavi, & in melius, ut potui, erexi, deinde autem in montibus illis aulam nomine S. Andreæ conftruxi; aliudque monafterium ad ordinem monafticum, inter vallum diftendens in memoriam fancti Jacobi; tertium conftruxi, quod vocatur Pennalba; inter utrumque vero locum eft qui dicitur ad Silentium: in honorem S. Thomæ quartum oratorium fabricavi, & unaquæque Ecclefiam, donaria, munufcula, vel libros unicuique nunc offero fegregatim, & in nunc habeant per hoc teftamentum difponere opto, & Præfulum, feu Principum præceptione adfirmare decerno, atque fæculis infinitis diu valitura perfiftere & permanere jubeo. In primis monafterium S. Petri, omnia quæ in circuitu ejus funt, pomares, & terras, cunctaque per terminos fuos.

Item in Oza, villa quæ dicitur S. Maria de Valle, de Scalius cum tota fua hereditate, feu etiam alia Ecclefia Sanctorum Jufti & Paftoris, terras, vineas, pomares, horta, molina, ex integro validitatibus præftitis, & adjacentes per terminos fuos ab integritate fint propria monafterii fancti Petri, & nihil communionis ibidem habeant. Sed perceteræ Ecclefiæ, quæ in fupradicta eremo conftructæ funt, nifi forte unanimitatis gratia aliquid pro mifericordia conceffum fuerit. In thefauro denique memoratæ Ecclefiæ fancti Petri offero calicem cum patena, infuper Evangeliorum, & coronas argenteas, fignum crucero, & lucernam ex ære, libros Ecclefiafticos, id eft, pfalterium Comicum, Antiphonarium, manuale orationum, ordinum, paffionum & horarum; Ecclefiæ vero S. Andreæ omnes terras quascumque habet per terminos fuos, & pomares, vel quidquid ab hodierna die ibidem fratres augmentare valuerint; fimiliter libros Ecclefiafticos, id eft, Pfalterium, Antiphonarium orationum, comicum, manuale, ordinum, paffionum, vafa autem altaris, calicem argenteum cum patena & coronam, fignum, crucem, & lucernam æream: eidem monafterio Ecclefiæ S. Jacobi terras, pomares, quas per circuitum ejus & terminos habet; libros, pfalterium comicum, antiphonarium, orationum manuale, ordinum, paffionum, in thefauro Ecclefiæ, calicem, coronam, & fuper eglangeliare argenteum, lucernam, & fignum æreum. Item Ecclefiæ S Thomæ terras, & pomares, per terminos fuos libros, pfalterium, in thefauro Ecclefiæ calicem, coronam, lucernam & fignum æreum; hæc omnia fupra comprehenfa unaquæque locum figillatim & feparatim proprium vindicent fuum, neque unum cum altero communionem habeat, fed unaquæque Ecclefia fibi vindicet quod fegregatim offero. Reftat autem, quia non in folo pane vivit homo, fed omni verbo quod procedit de ore Dei, ut ceteros libros tam divinos, id eft, bibliothecam totam, moralia Job, Pentateuchum cum hiftoria Ruth liber unus, five etiam & fpecialiter Docorum, id eft, vitas patrum, item moralium, Ezechielum, item Ezechielum, Profperum, genera officiorum; etymologiarum catha Ivanis, libros Trinitatis, liber Apringi, epiftolæ Hieronymi. Item etymologiarum, gloffomatum, liber comitis, liber regularum virorum illuftrium; hos omnes libros jubeo ut omnibus fratribus in iftis locis communes fint, nec quisquam eorum pro dominatione fibi vindicet, fed, ficut dixi, per partes & in commune poffidentes videant legem Dei, & ad

fupra-

ſupraſcriptas Eccleſias percurrant, verbi gratia, ut quantoscumque fuerint & eis in S. Petro, alios tantos in S. Andrea, & alios tantos ſimiliter in S Jacobo, & multo eo diſponentes iſtos quos quo legerint, in uno monaſterio commutent eos cum alio ita per ſingula loca diſcurrentes, ut tutos eos communiter habeant, & totos per ordinem legant, ea dumtaxat ratione ſervata, ut nulli liceat ex his in eo loco transferre, donare, vendere, aut commutare, ſed tantum in his locis permaneant, & in hac eremo fundata ſint, ſeu etiam ſi adhuc alia oratoria infra iſtis montibus conſtructa fuerint, habeant participationem in his ſpecialibus libris: ſi quis autem frater aut Abbas de his locis egreſſus aliud monaſterium in alio loco ædificare voluerint, non habeat licentiam aſportare, neque ejicere ex omnibus quæ in hoc teſtamento reſonant, neque transferre de proprio loco ubi nunc illud confero, ſed tantum in his locis quæ fuerint de termino S. Petri, uſque ad Pennalbam ſemper ea ibi conſiſtere decerno, inſtituo, & jubeo. Si quis præruptor Princeps vel Judex, Pontifex, Abbas, Presbyter, Monachus, Clericus ſeu Laicus, hoc votum meum infringere, aut immutare voluerit, aut ſecus quam hæc ſcriptura continet agere diſpoſuerit, in primis orbatus hac careat luce, ulcere peſſimo divinitus ultus à planta pedis uſque ad verticem capitis rivos vulnerum percurrentes madefactus, ſcaturiens vermibus, terror & horror fiat omnibus viſibus, & in futuro cum impiis & ſceleratis obrutus, tradatur flammis ultricibus; inſuper ſecularia damna mulctatus, coactus à judice conferat ipſi Eccleſiæ quantum auferre conaverat per undecuplum; & hoc teſtamentum firmiſſimum vigorem retineat in perpetuum. Factum & confirmatum teſtamentum Era 953. Sub Chriſti gratia Gennadius Epiſcopus hoc teſtamentum quod fieri volui, manu mea roboravi, Ordonius Sereniſſimus princeps confir. Celoira Regina confir. Ermigius Dei gratia Epiſcopus Didacus Dei Gratia Epiſcopus confir. Segeredus confir. Dulcidius confir. Sarracinus, qui notarius.

CAPUT XXXI.

Blangiacum, tertio lapide ab Hesdino Arteſiæ opido.

S. Berta nobiliſſimo genere nata cum Sigifrido illuſtri viro nupſiſſet, ex eo genuit filias quinque, Gertrudem, Deothilam, Emmam, Geſam, & Geltam. Defuncto poſtmodum marito, & Blangiaci in villa ſua honorifice ſepulto, B. Berta totam ſpem ſuam DEO committens, ad omnipotentis Dei ſervitium ſe contulit, pretioſiſſimos apparatus depoſuit, ac ſacro ſe ſanctimonialis habitus velamine velare non deſtitit. Igitur divinitus admonita, ſagaci animo cogitare cœpit, qualiter in ſua poſſeſſione potuiſſet conſtruere Eccleſiam in honore Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejusque genitricis beatiſſimæ ſemperque virginis Mariæ.

Anno itaque incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo ſecundo, in Blangiaco piiſſima Berta monaſterium ædificare cœpit, in pago Tarvanorum, in propria poſſeſſione, quod Domino tribuente cum ſummo honore finetenus deductum eſt. *Et infra.*

Beatiſſima Berta augebatur in operibus bonis. Nam cœpit ædificare clauſtra monaſterii decentiſſima. Conſtruxit nempe unam, extra portam, Eccleſiam ſancti Audomari confeſſoris, ubi ſacerdotes vel clerici ipſius cœnobii divinum perſolverent officium, aliam etiam ædificavit in honore S. Vedaſti, tertiam vero in honore beati Martini confeſſoris atque Pontificis conſtruxit. Alias itidem ſeptem ædificavit in prædiis ſuis, quas omnes dedicare petiit in honore ſancti Martini. *Hæc ex hiſtoria vitæ ſanctæ Bertæ, quæ Blangiaci & apud nos exſtat manuſcripta, hauſimus.*

Porro Sigefridus, beatæ Bertæ maritus, Comes fuit Pontivenſis (quem Picardie tractum vulgo Ponthieu nuncupant,) & frater Adalbaldi Ducis, mariti ſanctæ Rictrudis Marchianenſis, Iperio teſte in Chronico ſuo Bertinenſi: Adalbaldi, *inquit*, Ducis fratres fuerunt Sigefridus Comes Pontivenſis, maritus ſanctæ Bertæ Blangiacenſis, & Erchenaldus Major domus Clodonei, filii Dagoberti. Erchenaldus Adalbaldo defuncto, in ejus terra reædificavit Duacum caſtrum, & in eo conſtruxit Eccleſiam beatæ Dei genetricis, quæ Eccleſia nunc dicitur beati Amati confeſſoris. Idem quoque Erchenaldus, conſilio beati Furſei, cui valde familiaris fuit, ſuis propriis ſumptibus conſtruxit monaſterium ſancti Petri in Latiniaco; itemque in Perona, allodio ſuo proprio, monaſterium ſancti Furſei, in quo ipſe ſanctum Furſeum ſepelivit, & ipſemet Erchenaldus nunc ſepultus requieſcit. *Hactenus Iperius.*

Fuit itaque Blangiacenſe cœnobium principio ſacrarum Virginum domicilium: quod quidem à Normannis vaſtatum monachi Benedicti Balduino Barbato comite Flandris imperante, ſumtibus Herſendis piæ ac divitis matronæ inſtaurarunt.

Monaſterium S. Joannis in Monte, apud Tarvanam Morinorum urbem, olim ſitum, nunc in urbe Iprenſi, in Comitatu Flandriæ.

THeodericus Galliæ Rex in expiationem cœdis S. Leodegarii Epiſcopi Auguſtodunenſis, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo ſexto, in monte, haud longe à muris urbis Morinenſis

nensis seu Tarvanensis sito, cœnobium istud in honorem S. Joannis Baptistæ construxit. Destructum vero est à milite Caroli V. Imperatoris obsidionem parante, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, uti & urbs ipsa post deditionem funditus est excisa. Monachi autem postea in Flandriam venere, ejusque Balliolanam Sancti Antonii, ut vocant, præceptoriam, seu monasterium, Philippus II. Hispaniarum Rex, & Belgarum Princeps, Pontifice Romano consentiente, adsignavit. At vero ob hostiles Ostendanorum militum excursus, inde Ipras, anno millesimo quingentesimo nonagesimo, sese receperunt, ibique fixum ac perpetuum illis domicilium Albertus & Isabella Austriaci Belgarum Principes, annuerunt. Sicque B. Joannis Tarvanensis Abbatia, quæ olim Artesiæ fuit, in posterum inter Flandriæ Abbatias numerari poterit. *Hæc ab Huberto Dubrajo, cive & amico nostro, ejusdem cœnobii olim alumno, post Affligemensi Præposito, nuper defuncto, accepimus.*

S. Winoci cœnobium, intra muros Winocibergensis opidi, in Flandria.

REgnavis Clodoveus Rex annis duobus, cui successit Hildebertus frater ejus. Hoc tempore Heremarus vir nobilis, villam suam Wormhoult dictam in Flandria, supra fluvium Pena, beato tradidit Bertino. Sanctus vero Bertinus considerans viros Dei Winocum & tres fratres ejus in Dei servitio plus ceteris profecisse, eos illo misit monasteriolum construere, conventum congregare, Christique pauperibus hospitia præparare. Quibus Heremarus jam dictus villam suam Wormhoult, cum appenditiis ejus, privilegii sui assertione firmavit: quod sic incipit: Omnibus præsentibus & futuris, qui Christiana censentur &c. Actum in Sithiu monasterio, Kalendis Novembris, anno primo Hildeberti Regis. Illi conventiculo beatus pater Bertinus sanctum concessit præesse Winocum, ubi multis miraculis concomitantibus, Domino finetenus inservivit. *Sic Iperius in Chronico MS. Bertinensi, qui de S. Vuicono, ejusque tribus fratribus, hæc itidem commemorat: Circa annum Christi sexcentesimum sexagesimum primum,* beatus Christi confessor Winocus, Judicail Britonum Regis filius, & S. Judoci frater spreto mundo, sceptrumque regale virga regularis disciplinæ commutans, sub beato patre Bertino in Sithiu monasterio, monachus efficitur, cum tribus fratribus suis Kadanoco scilicet, Ingenoco, & Modoco. Præerat tunc beatus pater Bertinus turbæ monachorum CL. inter quos Winocus, quasi stella matutina præ cæteris clarescebat.

Obiit autem S. Winocus anno Christi septingentesimo decimo septimo, hoc ipso in cœnobio Wormholtensi conditus.

Hujus sancti viri meritis, & cœnobii dignitate illectus, Gerardus Comes Sperliacensis anno 852. *Sperliacum prædium suum Wormholtanis cœnobitis assignavit, monasterio ibidem ædificando. Utrumque porro cœnobium paullo post à Danis est eversum, corpusque S. Winoci Audomaropolim Artesiæ translatum.*

Ceterum Balduinus, cognomento Calvus, Flandriæ Comes, cum adversus barbarorum incursus præsidiis & vallo Bergas communivisset, an. nongentesimo vicesimo, obnitentibus Audomaropolitanis, S. Winoci corpus Bergense *ad opidum transtulit, & in Canonicorum secularium Basilica, à se in honorem SS. Martini & Winoci constructa, collocavit. Post autem Canonicis divina officia negligenter peragentibus, Balduinus Barbatus, itidem Flandriæ Comes, anno millesimo vicesimo octavo, Bergis S. Winoco cœnobium construxit, eoque corpus sacrum ex Canonicorum Basilica transtulit. Monachis autem ex Bertinensi monasterio evocatis pulsorum. Canonicorum possessiones, censusque Wormhoutanos attribuit. Hæc fere Meyerus in Annalibus Flandriæ.*

De his ipsis rebus sic Iperius Chronographus Bertinensis. Sanctorum corpora, Bertini, Audomari, atque Winoci à B. Folquino Episcopo Morinensi, sub terra recondita fuerant propter metum Danorum. Post hoc Comes Flandriæ Balduinus Calvus à nobis corpus B. Winoci vi ablatum Bergis in Ecclesiam Canonicorum, quam ipse in honore SS. Martini & Winoci fundaverat, collocavit. Nunc vero Domini Roderici Abbatis anno secundo, Flandrensis Comes Balduinus Barbatus, apud Bergas in arce castellum ædificare cœperat; sed mutato consilio monasterium ibi prope ædificavit, in honore S. Winoci. Cujus caussa fuit hæc: Canonici S. Martini Bergensis jam dicti, de sua religione minus solliciti, divina officia parvipendebant. Quod Comes experiri volens, quadam nocte dum custos ad pulsandum Matutinum Ecclesiam aperiret, habitu mutato qnasi oraturus intravit. Custos pulsatis Matutinis, nulloque veniente claudere voluit Ecclesiam & Comitem, quem plebejum existimabat, compulit exire. Quo dicente se velle audire matutinum, respondit totum esse completum, nec Canonicos ad matutinum surgere solitos. Sicque Comes certificatus de illorum irreligiositate, Canonicos omnes expulit, prætermisso castro, quod incœperat, monasterium S. Winoci ædificavit. Corpus B. Winoci ab inferiori Ecclesia, id est, Canonicorum ad hoc novum suum monasterium transtulit, & monachos sumptos de monasterio S. Bertini in illo loco collocavit, dans eis bona Canonicorum prædictorum, cum bonis de Wormhoult, addens & de suo. Istudque monasterium Domino Roderico Abbati modo & Ecclesiæ S. Bertini dedit perpetuo possidendum. Hoc est, quod nunc dicitur monasterium S. Winoci Bergensis. Quod ipse Rodericus septem annis per se rexit, & tandem eis Abbatem præfecit Ger-

Germanum Sithiensem monachum, qui vix quadriennio vixit. Post quem Abbatem ibidem ordinavit Rumoldum monachum suum.

Quomodo autem Bergense hoc monasterium à Bertinensi fuerit separatum, propriumque acceperit Abbatem, ita narrat idem Chronographus Bertinensis: Durantibus bellis Roberti Frisii, Flandriæ Comitis, contra Richildem, & filium ejus Arnulfum, itemque Philippum Franciæ Regem, & Domino Heriberto Abbate nostro absente & apud Antissiodorense monasterium suum moram trahente, regiminis sui anno quinto, Rumoldus Abbas S. Winoci Bergensis, nosterque monachus obiit. Quo defuncto, sicut assolent ablato capite membra dissolvi, monachi Bergenses, spreta obedientia Abbatis nostri S. Bertini, elegerunt Abbatem non de collegio S. Bertini, ut tenebantur, sed de suo Bergensi collegio sumptum. Quod tamen eidem in partem cessit contrariam. Nam propter hoc vitium, quod forte Dominus in eo punivit, dum monachos suos ad religionem compelleret, invide murmurabant, & dedignabantur eidem obedire, quem dudum habuerant socium. Unde seditionibus & conspirationibus eum turbare non cessaverunt. Flandria etiam tota bellis & inquietudinibus agebatur. Quare monachos suos cohibere non poterat. Igitur Bergenses monachi, dequodam juvene nobili Ingelberto, filio filiæ Comitis Flandriæ Balduini Barbati, spem concipiunt, ut illum sibi præficerent, si Ermengerum deponere possent. Putabant enim juvenem eorum voluntatibus faciliter indulturum. Multis igitur & falsis Ermengerum culpantes, eum per Hugonem Diensem Papæ Legatum deponi fecerunt. Cum ergo innotuit Roberto Frisoni, qui tunc Flandris præerat, Ermengerum sic depositum, Ingelberto non consensit, sed quemdam cognatum suum, nomine Manassem, de monasterio Virdunensi, eis nolentibus & reclamantibus, quibusdam & de monasterio recedentibus, præfecit, anno millesimo septuagesimo octavo; qui prudenter res Ecclesiæ suæ disponens, à Papa Gregorio anulum, mitram & sandalia impetravit. Sed ab invidis accusatus, & à Comite de dilapidatione in caussam tractus, respondit non Comitem, sed se esse Abbatem, & de suo non Comitem, sed se disponere posse & debere. Quo responso Comes indignans, ei Ecclesiam Bergensem prohibuit. Manasses igitur assumptis sibi quæ poterat, cum privilegiis & insignibus suæ dignitatis abscessit: & sic usque hodie Bergensis Ecclesia Pontificalibus caret. Ab hac die Ingelbertus præfatus, communi consilio Abbas in Bergis efficitur. Et sic tumultuantibus Flandris, & duobns tantæ nobilitatis viris successive ibidem Abbatibus institutis, Bergenses ab obedientia Abbatis S. Bertini sunt abalienati; Abbate nostro Heriberto absente, impellenteque potenti manu Principis, nemineque contradicere præsumente seu audente. *Hactenus Iperius.*

Qua porro ratione apud Bergenses Cluniacensis reformatio sit instituta, ex eodem Iperio audiamus: Anno CIↃ.CI. Ingelbertus Abbas S. Winoci Bergensis, postquam XXXI. annis, illam Ecclesiam rexisset, positus in mortis articulo, palam confessus est Dominum Ermengerum Abbatem suum, à se regnandi cupiditate minus juste depulsum. Igitur eo defuncto anno CIↃ.CI. Bergenses Ermengerum resumserunt Abbatem, qui per Papam & Episcopum Morinensem approbatus vix triennio supervixit. Tunc Bergenses de suis electionem fecerunt. Episcopus autem videns illam Ecclesiam indigere correctione, Roberto Comiti Flandriæ indicavit illam Ecclesiam per virum religiosum corrigi fore necesse. Comes hortatu suæ conjugis Clementiæ, per Lambertum Abbatem nostrum inductæ consensit. Igitur instinctu Abbatis nostri, Hermetem Priorem nostrum hic à puero nutritum, tunc Cluniaci commorantem, Abbatem in Bergis ordinavit. Die præfixo Comes Bruno Apostolicæ Sedis Legatus, Joannes Episcopus Morinensis cum clero, Abbas quoque noster cum Abbate novo & monachis nostris, quos illuc ad ordinem introducendum adduxerat, in Bergis adsunt. Bergensibus quaquaversum dispersis, Abbas Hermes inthronizatur, an. Domini millesimo centesimo quarto, qui diruta pœne reperit omnia, sed spem suam in DEO ponens opus aggreditur, sic ut in brevi, quoad spiritualia, multi confluerent ad conversionem, & quoad temporalia in ædificiis & possessionibus per eum retractis & acquisitis, Ecclesiæ suæ magnam sentiret emeliorationem.

Sic Lambertus Abbas in hac mutatione Bergensi duo magnifica fecit. Primo nos ad nostram Ecclesiam, & quæ nostra fuerant, restituit. Secundo quia locum quasi ex toto lapsum in toto reparavit. *Hactenus Iperius.*

Hunocurtense Monasterium in diœcesi quidem Cameracensi, sed in ditione regni Galliæ, ad Scaldim fl. tertio lapide à Cameraco situm.

QUidam vir nobilis Amalfridus nomine, monasterium in sua proprietate construxerat, in pago Cameracensi, supra fluvium Scaldim, in loco vocato Hinilsicurte (aut Hunulficurte) in quo monasterio filiam suam Aurianam fecerat Abbatissam. Hoc monasterium cum suis pertinentiis, ipse Amalfridus beato Bertino donaverat, eo tamen tenore, ut ipse & filia ejus Auriana, eumdem locum, quamdiu viverent, tenerent, sed post utriusque obitum sanctus Bertinus, ejusque successores hoc haberent, tenerent, & quemcunque vellent, eidem proponerent. Quam donationem Amalfridus privilegii sui traditione firmavit: quod sic incipit:

cipit: Quantum intellectus sensus humani &c. Actum Veromanduis, Februarii die octavo, anno XI. Regni Theoderici gloriosissimi Regis. Quod Amalfridus regali privilegio confirmari fecit, quod sic incipit. Quoties recta postulatio, &c. Datum Kalendis Aprilis, XIII. regni nostri in Parisiaco palatio. Deinde Amalfrido Aurianaque defunctis, moniales ibi succedere S. Bertini successores inhibuerunt, & monachos ibi statuerunt, Ecclesia itaque illa subjecta fuit Abbati S. Bertini. Quomodo vero sit abalienata, & ab hac obedientia nostra recesserit, scripta nostra non continent. *Sic Iperius in Chronico suo MS. Bertinensi.*

Fuit autem cœnobium Hunocurtense, à prima institutione, sexus utriusque, & à sancto Vinditiano Cameracensi Episcopo consecratum, adstante Sancto Lamberto Trajectensi Episcopo. Testatum id reliquit Lib. 1. his verbis Chronographus Cameracensis: Vinditianus Pontifex in vico, qui à sede Cameracensi fere VII. milliaribus distans, vocabulum Hunolcurth ab antiquis accepit, monasterium, accersitis secum non paucis Coepiscopis, unaque etiam beato Lamberto Leodicensi, martyre pretiosissimo, ad laudem Dei & venerationem S. Petri consecravit, ibique clericos & sanctimoniales constituit.

Idem Chronographus, libro secundo, de cœnobii hujus auctore ista refert: Transeamus ad monasterium sancti Petri in villa Hunulcurt, ubi sanctam Pollinam quiescere certo reperi. Hoc nimirum illustris vir Amalfridus, cum uxore Childebertana fundavit, deputatisque sanctimonialibus filiam suam Aureanam præfecit; fuitque olim religione florens & opibus. Nunc autem, postquam viris militaribus beneficiatum est, ad paucos Canonicos dirivatur.

Ex quibus verbis patet in Hunonis curia Canonicos aliquamdiu resedisse: quibus amotis Benedictini demum successerunt, qui hodieque locum istum possident.

De SS. Pollina & Valeria virginibus, itemque S. Liefardo, quorum reliquiæ hic olim quieverunt, vide Molanum in Natalibus Sanctorum Belgii.

CAPUT XXXII.

S. Mariæ ad Martyres monasterium, apud urbem Treverensem.

HAbet id nomen à SS. Martyribus Thebæis, eo loci anno 291. trucidatis, fuitque olim Regum Galliæ palatium, quod in basilicam Deiparæ conversum est anno circiter 380. à *Felice* Treverensi Episcopo. Idem postea conversum est in monasterium anno circiter 694. à S. *Wilibrordo* Ultrajectensi Archiepiscopo Galliæ Belgicæ Apostolo. In hoc monasterio adservatur altare portatile S. Wilibrordi quod vir Dei circumferre solitum est, cum Bataviam ac Frisiam, Evangelium prædicans peragraret. Monasterium istud à Normannis anno circiter 696. vastatum, Theodericus & Egbertus Archiepiscopi Treverensis instaurarunt. Ita fere Bruschius.

Cella monachorum, hodie Ethonis monasterium.

ID situm est ad Nigram silvam prope Kentzhingum, non procul à Rheno, fundatumque anno circiter Christi 7[illegible]0. à *Vigero* vel *Wingerno* monacho, postea Argentinensi Episcopo Anno 734. renovatum est auctumque ab *Ethone* Comite Haspurgico, qui ejusdem loci primus Abbas fuit, ac demum Argentinensis Episcopus: à quo Ethonis monasterium hodieque dicitur: unde & versus isti nati.

Anno ter deno septingentesimo quarto,
Antistes claustrum renovando condidit Etho.

CAPUT XXXIII.

Epternacense S. Willibrordi monasterium, in Ducatu Luceburgensi, tertio à Treveris milliari.

EPternacum apud Leucos (à quibus Luceburgenses, seu Leuceburgenses nomen traxisse videntur) vetustum est opidum, quod originem ac florem suum debet illustri huic cœnobio per B. Willibrordum *Batavorum ac Frisiorum Apostolum, à fundamentis excitato. Porro Epternacensis agri medietatem unam* Pipinus Herstallius, *Dux Francorum & Major domus regiæ, ejusque conjux* Blittrudis, *Hugoberti filia, B. Willibrordo dono dederunt. Alteram vero medietatem, ab* Irmina *Abbaissa, Dagoberti Galliæ Regis filia (quæ adjutante patre, virginum apud Treveros monasterium, quod* Horreum *nuncupant, fundavit) idem vir sanctus impetravit, eoque loci insigne monasterium in honorem SS. Trinitatis, S. Joannis Baptistæ, & SS. Apostolorum Petri & Pauli exædificavit. Harum rerum testem idoneum habeo Theofridum Abbatem Epternacensem in historia vitæ S. Willibrordi, quæ Epternaci & apud nos exstat manuscripta:* Dux, *inquit,* excellentissimæ generositatis Pipinus, cum Blittrude conthorali sua, æque generosis orta natalibus, tertio Idus Maji anno duodecimo Childeberti gloriosissimi Re-

mi Regis, dedit B. Willibrordo Epternacensis fisci medietatem integram, à Theodardo egregii Ducis Theotharii filio sibi traditam. Irmina vero, Dagoberti Regis filia, hereditario jure, possessam, cum omnibus appenditiis, & adjacentiis suis, cum villa montis sita in pago Tulbiacensi, in Kalendis Decembris addidit partem alteram. Idem munificus Princeps, sub chirographi conscriptione, anno quarto Regis Dagoberti, sexto Nonas Martii, tradidit illi villam in pago Mosariorum sitam, & à præterfluentis fluvii nomine Sueftram nuncupatam, & egregiæ Blittrudis sagaci industria ab ingenuis viris pecuniæ impendiis comparatam. Et quia utriusque loci situs tam sapienti architecto visus est amœnus, & cœnobialis vitæ studiis apprime aptus & dignus, in utroque jactis fundamentis exædificavit cœnobium, & in montibus Israel, in pascuis uberrimis pascendum aggregavit gregem dominicum. *Hactenus Theofridus, qui anno millesimo centesimo decimo obiit.*

Beatus autem Willibrordus anno Christi septingentesimo tricesimo nono in Domino obdormivit, cujus sacrum corpus Epternacensi in monasterio conditum, hodieque miraculis plurimis claret.

Quo quidem defuncto, Albertus, *ejus discipulus monasterii regimen suscepit, præfuitque annis* 37. *& obiit an. septingentesimo septuagesimo quinto, temporibus Caroli Magni Imperatoris.*

Huic a Carolo Magno in Abbatiali dignitate suffectus est Beonradus, *Senonensis quondam Episcopus, cui historiam vitæ S. Willibrordi, versibus comprehensam, Alcuinus inscripsit.*

De ceteris hujus monasterii Abbatibus, aliisque eodem spectantibus plura qui volet, R. V. Joannis Bertelii, Abbatis Epternacensis, amici nostri, Historiam Luceburgensem legat; quem virum alioqui eruditum, miror non Pipino Herstallio, sed ejus demum filio Carolo Martello, monasterii hujus exordia adscribere.

Fuit hoc monasterium olim à Canonicis insessum, quibus ob liberiorem vitam amotis Ravengerus *Abbas, cum quadraginta monachis Benedictinis successit. Is annis triginta tribus in præfectura exactis, obiit anno millesimo septimo.*

CAPUT XXXIV.

Campidona seu Campidonense monasterium.

SItum est hoc monasterium in Rhetia, extra urbem Imperialem ejusdem nominis, fundatumque anno Christi 777. ab *Hildegarde*, Caroli Magni Imperatoris conjuge. Donatum est libertatibus maximis ab Adriano Pontifice Maximo, à quo & consecratum est ac dedicatum, cum is Imperatricem ex Italia in Germaniam secutus esset.

Ceterum Abbas Campidonensis, præter jurisdictionem sacram, habet & jus gladii: unde versus natus, quem Abbas ac Princeps loci hujus, cum Herbipolensi Episcopo, fere communem habet;

Campidona sola, judicat ense, Stola.

In hoc monasterio à se fundato, quiescit S. *Hildegardis* Caroli Magni conjux, Ducissa Sveviæ & Bavariæ multisque claret miraculis ut tradit Joannes Pistorius Præpositus Vratislaniensis, in chronico suo Constantiensi edito cum Magno chronico Belgico, anno 1607. Francofurti.

CAPUT XXXV.

Monasterium S. Isidori de Duenas, *in regno Legionensi, apud Hispanos.*

SUnt qui putant hoc monasterium fundatum à *Garzia* Rege Legionensi. Ex vetustis monumentis constat illud antiquius esse temporibus dicti Regis & Alfonsi parentis ipsius, adeoque fundatum fuisse ante Maurorum in Hispaniam adventum, qui contigit anno 714. Alfonsus VI. Rex Legionensis, hoc monasterium cum reliquis sui regni, submisit Congregationi Cluniacensi: ut tradit Prudentius Sandovallius, in fundationibus monasteriorum Benedictinorum in Hispania. Floruit autem Alfonsus VI. Era 1118. id est an. Christi 1900.

CAPUT XXXVI.

S. Magni Fussense monasterium, in Svevia.

S. Magni Faucense cœnobium, in Alpestri Svevia ad Lycum amnem, in ejusdem nominis oppido situm, diœcesis Augustanæ, dictum olim *Faucensa*, nunc mutata parum voce *Fussense*, quod intra Sveviæ alpium fauces quasi lateat; id, inquam, fundatum est anno Domini 720. ad preces S. *Magni*, unius ex primis Germaniæ Apostolis à potentissimo Francorum Rege *Pipino*; postea auctum & locupletatum à *Carolo Magno* Rege, & à *Wicterpo* Episco-

 po Au-

po Auguſtano; dotatum vero à *Leopoldo* Auſtriæ Marchione, & *Guelphone* Svevorum Duce. Ita fere Bruſchius.

Murbachium in Superiore Alſatia.

EST hoc monaſterium unum ex quatuor Germaniæ potentiſſimis, quorum Abbates ſingulari dignitate ceteris Abbatibus præeminent, & ut Romani Imperii Principes, omnibus Imperii cauſis intereſſe ſolent. Fundatum legitur anno circiter 724. ab *Eberhardo* Sveviæ & Alemanniæ Duce, petente S. *Pirminio* Meldenſi Epiſcopo, & approbante *Theoderico* Francorum Rege. Cujus diploma haud abs re fuerit hic adſcribere.

Theodericus Rex Francorum, viris apoſtolicis, Patribus, Epiſcopis, nec non & illuſtribus viris, Ducibus, Patriciis, Comitibus, vel omnibus agentibus tam præſentibus quam futuris, &c. Igitur dum venerabilis vir Pirminius gratia Dei Epiſcopus, noſtris temporibus cum monachis ſuis Deo inſpirante pro Evangelio Chriſti peregrinatione ſuſcepta, monaſterium virorum in eremo vaſta quæ Voſagus appellatur, in pago Alſacenſi, in loco qui vocatur Vivarius peregrinorum, qui ante appellatus eſt Mourbach, allodio fidelis noſtri Ebrobardi Comitis, cum ipſius adjutorio, Deo cooperante, conatus eſt conſtruere monaſterium, vel cœnobium ſanctum ibidem inſtituere in honorem Dei & genitricis, D. noſtri Jeſu Chriſti, &c. Gundolfi villa in Dei nomine feliciter, Amen.

Fabarium, in D. Churienſi Germanice Pfeffers.

FUndatum id legitur ſuaſu S. *Pirminii* Epiſcopi Meldenſis, & Abbatis primi in Augia divite, ſumptibus *Caroli Martelli*, ſub Theoderico II. Galliarum Rege, eodemque Alemanniæ, Rhetiæ, & Helvetiæ Domino anno Chriſti 734. Primus Abbas Fabarienſis fuit dictus S. *Pirminius*, multorum cœnobiorum pater atque inſtaurator. Sunt autem thermæ Fabarienſes apud Germanos nobiliſſimæ utpote ſaluberrimæ. Ita fere Bruchius libro citato.

Manſeenſe monaſterium, vulgo Manſee, *in Auſtria.*

MOnaſterium hoc *Utilo* Dux, inſtinctu S. Pirminii, Epiſcopi Metenſis, prope *Menen* lacum Noricorum conſtruxit, circa annum 739. Aventinus in Annalibus: *Manſee Noricorum adem, ab Epiſcopis Ratisbonenſibus in paupertatem redactam, D. Benedicti impoſito magiſtro reddit Imperator Henricus ſanctus.* Idem Aventinus; *Baturicus Epiſcopus Ratisbonenſis hoc monaſterium ab Hemma Regina Bojorum impetrarat an.* 831. *Ipſa ab eodem ſuperius monaſterium Ratisbonenſe receperat.*

Infertum eſt autem hoc monaſterium ceteris Bavaricis, quod à Principibus Bavariæ ſit inſtitutum: Et quia olim una cum ejusdem monaſterii advocatia, caſtro ac dominio *Wildenek*, ſub quo ſitum eſt, ſpectabat ad principes inferioris Bavariæ; quæ poſt bellum Bavaricum Cæſari Maximiliano I. cum multis aliis Dominiis nomine expenſarum factarum, ab Alberto Duce Bavariæ data ſunt, incorporata Auſtriæ ſuper Anaſſum, Archiepiſcopis Salisburgenſibus pluribus annis oppignorata, demum à Statibus provincialibus ſuper Anaſſum redempta, hodie Auſtriacos agnoſcunt ſuos dominos. Sic Hundius in Metropoli ſua Salisburgenſi.

Burenſe monaſterium, vulgo Beurn, *prope Alpes, in diœceſi Friſingenſi.*

NObiles ac pii viri, *Landfridus*, *Waldramus*, *Elilandus*, fratres, Comites ab Antorf & Loyſa dicti, filii Theodeberti ducis tertii, ex familia primorum Ducum & Regum Bavariæ, anno 740. (quo tempore S. *Bonifacius*, Moguntinenſis Archiepiſcopus, in Francia Orientali, Friſia, Auſtraſia & Bavaria fidem Chriſti ſeminabat, & plura Monaſteria ubique conſtruebantur) octo Monaſteria prope Alpes & Lycum ædificarunt & fundarunt, quinque pro maribus, nempe *Beurn*, *Schlechdorf*, *Sinerſtat*, *Sandau*, *Weſienprum*, tria pro virginibus, *Polling*, *Staffelſee*, *Cocklſee*, quibus præfecta eſt *Gelovinda*, ſoror fundatorum. Hæc omnia monaſteria S. *Bonifacius* Archiepiſcopus Moguntinenſis dicitur conſecraſſe iisque regulam S. Benedicti præſcripſiſſe. Quæ quidem monaſteria per Ungaros devaſtantur; anno 973. *Cochelſee*, & *Staffelſee*, ad lacus ejusdem nominis; *Sinerſtat* vero & *Sandau*, haud longe à Lyco ſita, ab Ugris excisa delataque, penitus interjerunt: cetera vero reſtituta ſunt. Hoc noſtrum *Burenſe* monaſterium reficitur per *Richoltbum* Præſulem, ſub Ottone, ſecundo Imperatore, & S. Ulrico, Epiſcopo Auguſtano.

Rejectis Auguſtinianis monachis, opera *Adalberonis*, Comitis de Sempta, Advocati hujus monaſterii, reſtituitur Benedictinis, per Heinricum tertium Imperatorem, qui eo Helengeriorem, Abbatem Tigurinum, cum duodecim monachis tranſtulit.

Henricus quartus Abbatiam Burenſem, dictam in pago Sondergev, in comitatu Sigmari Comitis ſitam, *Elenhardo*, Epiſcopo Friſengenſi, & illius Eccleſiæ, tradidit; ita ut liberam pote-

poteſtatem habeat tenendi, conſtruendi, & quidquid ad communem illius Eccleſiæ utilitatem voluerit faciendi, anno 1065. ſic fere Hundius.

CAPUT XXXVII.

Altha inferior, *ſive* Altaich *inferius*, *in Bavaria inferiori*, *ad Danubium.*

AMpliſſimum ac ditiſſimum monaſterium iſtud Benedictini Ordinis, in Bavaria inferiori ad Danubium eſt ſitum. Unde vero *Altaich inferius* & *ſuperius* nomen atque originem habeant, nempe à duabus vetuſtiſſimis & prodigioſæ magnitudinis quercubus in ripa Danubii, quo frequens populus gentilis coibat, & victimas immolabat (quæ loca Boji poſt receptam Chriſtianam religionem in templa, ac deinde in cœnobia commutaverunt) tradit Joannes Aventinus in Annalibus ſuis, libro tertio.

Fundatum eſt hoc monaſterium, ſicut & Altaich ſuperius, ac pleraque alia, conſilio S. *Pirminii*, Epiſcopi Metenſis, ab *Utilone* Duce Bavariæ, in honorem S. Mauritii anno 741. ſub Zacharia Pontifice Maximo, Bellis tamen poſtea atque incendiis vaſtatum fuit: inſtauratum vero per Imperatores & Reges Romanos qui illud maximis muneribus & privilegiis auxerunt, ſicuti hoc ipſum teſtantur Annales ejusdem monaſterii. *Taſſilo*, filius Utilonis, plurima prædia huic monaſterio dedit, quorum magnam partem per diſcordiam Principum amiſit. *Carolus Magnus* tradidit huic monaſterio privilegia immunitatis, & prædium in *Spitz* & in *Bachovia*, in Auſtria anno 812, Chronicon monaſterii Altaichenſis per Georgium Abbatem conſcriptum, tradit Carolum Magnum, cum terram Avarorum ſive Pannoniam, quæ nunc Auſtria eſt, octo annis perdomuiſſet, expulſis Avaris, totam inter Eccleſias Bavariæ, Pontifices, Abbates, Comites & Barones diviſiſſe, & monaſterio Altaich magnam partem tradidiſſe *Ludovicus* item, Caroli Magni nepos, Orientalis Franciæ Rex, tradidit Eccleſiæ Altaichenſi quædam privilegia an. 843.

Huic monaſterio Altaichenſi incorporatum eſt monaſterium de *Rinichnach* an. 1040. ut tradit Hundius in Metropoli Salisburgenſi.

Altha, *ſive* Altaich Superius, *ad Danubium*, *in Bavaria.*

UTilo Dux Bavariæ, inſtinctu S. *Pirminii*, Epiſcopi Metenſis, qui tunc apud ipſum erat, ſex monaſteria conſtruxit, unum prope *Menem* lacum Noricorum (de quo ſupra diximus) quinque in inferiori Bavaria juxta Danubium, Pataviæ *Nidernburg*, pro ſacris virginibus, *Oſterhoven*, *Pfaffenmunſter*, *Altaich ſuperius* & *inferius*, quæ S. Pirminius dedicavit. Althæ ſuperiori *Etæo* Argentoratenſis Epiſcopus dedit monachos S. Benedicti, circa annum Domini 739. Advocati Althæ ſuperioris fuerunt Comites de Pogen, qui multa beneficia ei contulerunt. Nam *Aſwinus & Fridericus*, Comites à Pogen, monaſterium hoc ab Ungaris exuſtum anno 1102. inſtaurarunt; unde non ſolum pro Advocatis, verum etiam pro ſecundis fundatoribus illius monaſterii habiti ſunt. Sic idem Hundius in Metropoli Salisburgenſi.

CAPUT XXXVIII.

Fuldenſe monaſterium in Silva Buchonia in Germania.

ANnalium litteræ annum ſignant conditi Euldenſis monaſterii ſeptingenteſimum quadrageſimum quartum ab ortu Chriſti. Teſtis Rodulfus hiſtoricus Fuldenſis, his verbis: *Monaſterium conſtituit S. Bonifacius monachorum anno ante paſſionem ſuam decimo, qui fuit ab Incarnatione dominica quartus & quadrageſimus & ſeptuageſimus annus:* quo nihil dici potuit rotundius. Paſſus eſt enim S. Bonifacius anno 755. in Junio; Rudolfo aſſentitur Marianus Scotus, & alii: Neque intereſt biennio citius à Sigeberto vel ſerius ab aliis originem hanc litteris comendare.

Conſummando monaſterio auctores exſtitere Carolomannus princeps, idem Pipini frater, Caroli Martelli filius & Caroli magni patruus, nec non Zacharias Pontifex Romanus. Carolomannum Bonifacius Chriſtianis non modo vitæ præceptis imbuerat, ſed philoſophari jam tum quoque docuerat. Unde ipſum ad omnia inchoatæ Religionis opera promptum, & monaſticæ in primis rei patronum excellentem habuit. Jam vero Carolomanno per Turingos & Orientales Francos, ob motus Saxonicos frequens iter erat, ut ex facili, locum & ſedem roganti Bonifacio apud Fuldam concederet. Qua de re vide lib 2. Othlonum Fuldenſem monachum, qui primus poſt S. Wilibaldum vitam S. Bonifacii accuratius expoſuit.

Ceterum Abbas Fuldenſis eſt Primas per Germaniam & Galliam, Princeps Imperii & Imperatricis Archicancellarius; Ex monaſterio ac ſchola Fuldenſi quam plurimi Epiſcopi, Archiepiſcopi & viri ſcriptis celebres prodierunt: de quibus vide Chriſtophorum Brotlerum Soc. JEſu presbyterum, qui libros 4. Antiquitatum Fuldenſium conſcripſit.

m 2 Thier-

Thierhaubtense monasterium, tertio lapide ab Augusta Vindelicorum.

ESt id non procul à Lico ad rivum *Ach* ſitum, fundatum in honorem SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, à potentiſſimo Duce Bavariæ Theſſalone, anno Domini 750. quo fere tempore idem Dux *Weſſeſpromen* ejusdem ordinis Abbatiam, inter Amperam & Lycum fluvios erexit; auctum vero & locupletatum à *Lothario* Imperatore, Ludovici Pii filio, anno Domini 846. teſte Joanne Aventino lib. 4. Annal.

Tertio demum eſt auctum à *Gebhardo* Ratisbonenſi Epiſcopo, Comite Dieſſenſi, & Hochenwartenſi, ſecundum Joannem Aventinum in Annalibus, non Witlſpacenſi, ut Bruſchius in ſua Centuria opinatur, nec non à fratre dicti Gebhardi Epiſcopi Comite *Rapothone*, fundatore Hochenwartenſis monaſterii, & *Hemma* ejus conjuge, quam Bruſchius alibi Duciſſam Auſtriæ, alibi vero, Comitiſſam Werdeæ vocat, quod veriſimilius eſt, anno 1022. Contulerunt autem huic monaſterio & Witlſpacenſes Comites multa bona Matthæus Marſcalæus Canonicus Auguſtenſis, in libro ſuo de Palatinis, cap. 50. & 79. refert aliquas inſcriptiones in hoc monaſterio extantes, de Palatinis Witlſpacenſibus, & eorum donationibus.

Sub Joanne Abbate XIX. viro magni ingenii & conſilii, Ludovici Bavariæ Ducis Conſiliario incendio periit monaſterium, eſtque per eundem magnifice reſtauratum, anno Domini 1403.

In bello Bavarico hoc monaſterium una cum pagis ſuis miſere vaſtatum eſt. Albertus Dux Bavariæ pro reſtauratione ipſius dedit Teloneum & Ungeltum, ut vocant, anno Domini 1506. Petrus Abbas ita reſtituit atque inſtauravit, ut ejus ſecundus fundator dici meruerit, qui anno 1511. obiit; Ita Hundius.

CAPUT XXXIX.

Lætienſe Monaſterium, milliari uno ab Avenna Hannoniæ opido, ad Helpram fl. ſitum.

ANno ab incarnatione Domini ſeptingenteſimo quinquageſimo primo, glorioſiſſimus Princeps Pipinus, Caroli Martelli filius, ſingularem Francorum ac Germaniæ monarchiam obtinuit. Inter cujus aulicos Francigenas enituit nobiliſſimus Wibertus Comes, pago Pictavenſi ex illuſtri ortus familia, ejusque conjux Ada nomine, claris natalibus non minus conſpicua ex Francorum nobilioribus. Is igitur honorem cumulatiſſimum in aula Regis Pipini adeptus omnibus amabilis exſtitit. Erat quippe vir ſupra modum & corporis viribus & animi magnitudine præſtans. Hic poſt varias hoſtium ſtrages, & crebras victorias, ſoli Deo ſervire quiete deſiderans, cogitavit relicto natali ſolo, curisque bellicis valere juſſis, ſecedere, ſi modo cum venia Regis & munificentia ſibi permiſſum foret. Regem ergo adiens, quid animo gereret, aperuit. Rex ejus petitioni hilari vultu annuens, ei contulit, inter Theoracenſe & Hannonienſe territorium, jure perpetuo poſſidendam totam terram à Molhaimo uſque Senveſcum, quæ nunc Vallis dicitur. Comes de dono gratias egit, ac valedicens, paullo poſt uxorem ac liberos, totamque familiam ad locum ſibi conceſſum advexit. Ubi commorans cum die quadam in venatibus aprum agitaret, contigit, ut eum comprehenderet ſuper fluvium Helpram, in loco qui lætitia dicebatur. Cumque luminibus late circumductis loci ſitum & commoditatem pervidiſſet, credo non fortuito, ſed divino inſtinctu animo incidit, ut illum locum, qui prius fuerat ferarum, habitationem faceret hominum, ac monaſterium in honorem Dei ac ſancti Lamberti martyris conſtrueret. Quod Deo opitulante ad effectum uſque perduxit. Erant Wiberto filii ac filiæ complures, inter quos erat Guntardus filius, vitæ ſanctitate conſpicuus, qui ſoli Deo vacare cupiens ſanctæ religionis habitum adſumſit, ac primum hujus loci Abbas effectus eſt, nec non Hiltrudis & Berta filiæ. Interea Hugo Dux Burgundiarum adamavit virginem Hiltrudem, quam ardenti amore quæſivit ſibi matrimonio copulari. Ea quippe virgine nihil erat formoſius, nihil amabilius, nihil modeſtius. Idcirco virginis tum pulchritudine, tum modeſtia Dux pellectus, nullum non movit lapidem, quo frueretur cupitis amplexibus. At virgo ſacra Chriſtum ſolum amans, Chriſtum ſitiens, cui ſoli deſponderi optabat, aſſiduis precibus & lacrymis ſuam Domino virginitatem commendabat. Quid multa? Die conſtituto dum cum parentibus ſacræ virginis collocuturi de matrimonii negotiis conveniunt, pertentatur à parentibus virginis animus. Quibus illa reſpondit: Si meam in hac re quæritis ſententiam, paucis audietis: Chriſtum jamdiu ſuper omnia diligo, huic fidem feci, huic caſtitatem ſervare cupio illibatam. Si mihi patres eſſe, ſi me filiam habere vultis, ſi me à meo, qui me amavit, ſponſo non ſejungitis, vos mihi patres, me vobis filiam & agnoſco & profiteor. Sin alias, nec veſtram magni pendo paternitatem, nec meam vobis impendam filiationem. Interim conquieſcunt, puellaria verba, & nullius momenti eſſe dicunt, mutandam, utpote mobilis ingenii, puellarem ſententiam putant, verbum in craſtinum reſervandum decernunt. Humilis interim virgo, quid ageret, quo ſe verteret, ignorabat. Parentibus reſiſtere non poterat, nec non eis obedire nefas

nefas ducebat, ſed & immortali ſponſo nubere totis votis ardebat. Hoc tandem arripuit conſilii. Intempeſta nocte paucis admodum & fidis arbitris comitantibus, in proximam ſilvam confugit, ibique ſibi latibulum quæſivit, melius judicans vitam omnem cum feris degere, quam corpus illecebris carnalibus inquinare. In craſtinum piiſſimi genitores de fuga ſuæ ſobolis certiores facti, non modice turbantur, non modo propter filiam, ſed & propter auctoritatem & amicitiam tanti Principis læſam. Suis tum mandant, ut factum ſilentio tegant. In verbo iterum convenitur, excuſationem parentes in medium afferunt, Hiltrudem in interiore conclavi reſidentem in pridiana ſententia perſeverare, ad emolliendum ejus animum ſe non prævalere, in id converſationis eam jamdiu animum induxiſſe, ex quotidiano uſu vitæ ejus, qui nihil omnino levitatis habebat, & multorum atteſtatione id ſe accepiſſe, ſalvam poſſe manere priorem amicitiam, ſi alteram ex filiabus, nomine Bertam, æque nobilem, nec minus formoſam illi in conjugium placeat aſſumere. His auditis Princeps Bertam ſuſcepit conjugem, ac ſecum in Burgundiam abduxit. Poſt cujus abſceſſum revocatur è ſilvarum latebris virgo Hiltrudis, nuptura & ipſa, ſed immortali ſponſo. Accerſitusque Theodericus Cameracenſis Epiſcopus virginem Chriſti Hiltrudem conſecrat, eique velamen ſanctæ converſationis imponit. Moxque ſanctitate fervens cellulam ſibi fabricari fecit in Eccleſia, oratorio fratrum contigua, in qua decem & ſeptem annis, velut altera Anna, mundo mortua, ſoli Deo vivens, recluſa permanſit, non recedens de templo, die & nocte orationibus inſiſtens, corpuſculum aſſiduis vigiliis & jejuniis in ſacco & cinere caſtigans. Poſt decem tandem & ſeptem annos ſoluto corporis ergaſtulo feliciter ad Chriſtum emigravit. Cujus corpus in dextra parte Altaris ſancti Lamberti ſepelitur, ſimulque in ejus tumba teſtamentum reconditur, quod ipſa Letienſi congregationi in donum perpetuum contulerat. Fracta igitur terrea corporis laguncula, lampadum fulgor emicare cœpit, quantique apud ſe ſua virgo eſſet meriti multis miraculis (quibus enarrandis brevitati ſtudens ſuperſedeo) Dominus oſtendit, ita etiam, ut intempeſta nocte circa Divæ virginis ſepulcrum Angelorum voces audirentur dulcem melodiam reſonantium. Quo certius cognito, famaque miraculorum ubique volitante, Erluinus, Deo dignus Cameracenſis Epiſcopus, Deo gratias agens, quod in ſua diœceſi ſignorum virtus non deeſſet, venit ad locum, ac ſacræ virginis oſſa è tumulo reverenter, & ſolemniter, magno omnium tripudio levavit, & in locello novo compoſita, ſuper altare ſancti Lamberti collocavit, anno tertio imperii Henrici ſecundi. Ubi meritis ſanctæ Virginis multa coruſcarunt miracula. *Hæc ex manuſcripta B. Hiltrudis hiſtoria, quæ Lætiis exſtat, depromſimus.*

De qua ſancta virgine, variisque Sanctorum reliquiis, ex Oriente Lætiam allatis, vide Molanum in Natalibus Sanctorum Belgii.

Hujus porro cœnobii Lætienſis Abbas patrum memoria fuit Ludovicus Bloſius, *cujus exſtant ſcripta aſcetica varia, quibus nihil ad homines à cura mortalium rerum abducendos, atque ad cæleſtis patriæ amorem inflammandos, inveniri poteſt ardentius. Obiit vir pientiſſimus anno ſeculi ſuperioris ſexageſimo ſexto.*

CAPUT XL.

Weſſesbrunnenſe monaſterium in Bavaria.

MOnaſterium iſtud fundatur primo, cum ſeptem aliis monaſteriis, per *Landfridum*, *Elilandum* & *Waldramum* fratres, Comites ab Antorf & Loiſa: ampliatur & inſtauratur poſtea, ut habent Chronica hujus monaſterii anno 753. per *Taſſilonem* filium Utilonis, Ducem Bojorum, qui in Marchia Ducatus tunc regni Bojorum in ſaltu foreſti, qui *Nortwald* dicitur, inter duo flumina Ampecam, & Lycum venationi operam dabat aprorum. Cumque noctu juxta fluvium, à ſuo nomine *Teſſelpach* dictum, ſub tentorio dormiret, vidit in ſomnis ſcalam cælum extremitatibus & terram attingentem, Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes, & S. Apoſtolum Petrum ſcalæ innitentem & canentem ea, quæ communiter in dedicationis officio cantari ſolent, venatorum Taſſilonis alter, qui *Weſſo* dicebatur, invenit fontem in modum Crucis ebullientem, qui ab eo nomen obtinuit, & dicitur hodie *Fons Weſſonis*.

Taſſilo autem Dux monaſterium ejusdem nominis, cooperante ſibi S. Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino, in honorem SS. Petri & Pauli ædificavit, & poſſeſſionibus ampliavit, ubi primus Abbas Ilſangus Altaichenſis monachus præfuit annis XLI.

Aventinus in Annalibus de hoc monaſterio ſic ponit: *Hactenus à popularibus*, id eſt, ſecularibus ſacerdotibus, *poſtquam ab Ungaris exuſtum fuit occupatum*, *his pulſis ſacris D. Benedicti Henricus Imperator reſtituit, circa annum* 1050. Fuit olim ibi monialium quoque cœnobium.

Henrico Hochenkurcher de Iſldorf, Abbati Bonifacius Nonus dedit privilegium Pontificalibus utendi, itemque infula & baculo, anno 1402. Rexit XXX. annis laudabiliter. Reſignat anno 1414. Ita Hundius in Metropoli Salisburgenſi.

Elvvangenſe monaſterium, in Franconia.

ELephanciacum alias Elefancenſe, hodie Eltbangenſe monaſterium in Franconia fundatum eſt anno 764. ab Hariolfo Epiſcopo Hingonenſi, quem Pipinus & Carolus Magnus cariſſimum habuerunt.

Anno 1460. mutatum eſt hoc monaſterium ex Abbatia in Præpoſituram, & ex monachis facti ſunt Canonici ſeculares.

Utenburra ſeu Ottenbura.

UTenburra ſeu Ottenbura in Guntianavalle ad Guntium amnem ſita, olim oppidum & caſtrum Comitum Ilergoviæ, nunc vero monaſterium præpotens ac pulcherrimum ordinis D. Benedicti, fundatum eſt ſub Honorio Pont. Max. pro XII. monachis in honorem Dei Opt. Max. Principiſque Apoſtolorum Petri, invictiſſimique Martyris Alexandri, *à Sylacho* Francorum Duce, Alemanniæ Præfecto ac Ilergoviæ Comite ejusque conjuge *Ermiſvvinda*, alibi *Ermentrude*, anno Chriſti 764. Diploma primæ fundationis tale habetur adhuc in eo ipſo monaſterio.

Anno incarnationis Dominicæ 764. regnante Carolo Magno glorioſo Romanorum Imperatore, ego Sylachus ex Alemannia, vir nobilis ac præpotens, & uxor mea Erminſuvinda cum filiis noſtris Gosberto in ſancta Viennenſi Eccleſia Epiſcopo, Tottone clerico ſimul, & Dagoberto laico, in domate proprio, quod diviſum ac ſeparatum liberaliſſime à cunctis heredibus contraximus & poſſidemus in loco qui vocatur in Uttenburtha, ſecundum Eccleſiaſticam inſtitutionem & judicum leges in Dei nomine conſtruimus atque fundamus. Omnia igitur prædia vel mancipia, totamque familiam noſtram omnipotenti Deo & B. Apoſtolorum Principi, nec non invictiſſimo Martyri S. Alexandro ab hinc in legitimam ac perpetuam dotem pro incolumitate utriuſque vitæ & pro remedio animarum, parentum noſtrorum, præfato monaſterio delegamus, eo pacto eaque videlicet conditione, ut nulli homini liceat hanc donationem aliquatenus infringere, aut umquam commutare: ſed ad victum fratribus & veſtitum ſummo & vero Regi DEO inibi militantibus perpetualiter deſerviant. Si quis autem invaſor (quod abſit) aut tyrannus hanc noſtræ donationis confirmationem irruperit, anathema ſit à Deo, & mors ſuper eum æterna veniat, vivensque in infernum per omnia ſecula cruciandus deſcendat. Amen.

CAPUT XLI.

Monaſterium S. Martini de Ferran in regno Caſtellæ & Alterum S. Martini de Ibama.

FUndarunt id monaſterium Paulus Abbas monaſterii S. Aemiliani, Joannes presbyter & Munius clericus an. 772. in honorem S. Martini, S. Juliani & aliorum Sanctorum.

Anno ſequenti fundatum eſt ab iisdem monaſterium S. Martini de Ihama. Ut tradit Sandovallus lib. de Fundationibus monaſteriorum Benedictinorum in Hiſpania.

Iidem fundarunt monaſterium S. Romani de Doniſcle anno 775. teſtibus iisdem.

CAPUT XLII.

Vinearum monaſterium in D. Conſtantienſi.

POtentiſſimum iſtud cœnobium non procul à Ravenſpurgo imperiali in Suevis civitate, in perveteri pago Altorff ad Schuſſium amnem, eo ipſo, ſed paululum editiore loco ſitum, in quo antiquitus patria, natale ſolum, & avita ſedes Principum Altorffenſium fuit, ac ex eorundem ſemine natorum Gwelphonum, potentiſſimorum olim Sueviæ Regulorum; id, inquam, ex arce Ducali in domum Dei converſum, pietatisque ac litterarum gymnaſium eſſe cœpit anno Domini circiter 800. temporibus nimirum Caroli Magni, ex liberalitate ac munificentia dominæ Irmentrudis, illuſtris Comitiſſæ, quæ nobiliſſimam voraginem Croniſſam & primos Gwelphones edidiſſe dicitur; de quorum origine talis narratur ſive hiſtoria ſive fabella, vidiſſe dominam Irmentrudim, quod paupercula quædam civis adjacentis oppiduli Altorffenſis, uno & eodem partu tres filios ederet; quibus viſis, dixiſſe eam, impoſſibile eſſe, ut ſine adulterii macula tot filios ex uno marito femina ſimul excipere potuerit, vere eſſe adulteram, & adulterii pœna dignam. Ibi ſequente anno etiam illam gravidum factam, ſimul edidiſſe abſente marito duodecim infantes admodum parvulos; timore itaque & metu perculſam, ne & ipſa jam adultera eſſe exiſtimaretur, juſſiſſe ut relicto uno tantum filio, reliqui in proximum fluvium deportati abjicerentur. Hos dum ancilla in præterfluentem rivum Scherchium portat, venit caſu, aut Dei potius ordinatione accitus Princeps Altorffenſis infantum

fantum verus pater, quærens quid ferat ancilla; quæ cum reſponderet catulos eſſe; Videamus quæſo, inquit Princeps, videamus amabo, ſi qui nobis ex illis placerent, quos tolleremus. Ancilla oſtenſuram ſeſe negans, ecquid iſtas ſordes intueri velit Principem increpat. Is vero inſtat, puerosque undecim videns, parvulos quidem, ſed egregia forma conſpicuos, mox cujus ſint inquirit. Audiens vero & diſcens ab Ancilla totam rei ſeriem, & (quare expoſitum traditi eſſent) cauſam, puellos ſive catulos iſtos (quos nos Germani materna noſtra lingua Welpen vocamus) molitori cuidam in ea ipſa vicinia habitanti alendos & educandos tradidit: ancillam ad heram cui abjectos infantes diceret, redire juſſit. Poſtea elapſo ſexennio pulchre veſtitos pueros in arcam ſuam afferri Princeps jubens; conjugem ecquid agnoſcat hos quærit. Ibi ipſa deportatorum infantium memor, mox ad genua mariti procedens, veniam commiſſi petit: maritus ignoſcit, & gratitudinis ergo pro divinitus ſervata tam numeroſa prole in ipſo Altorphenſi oppidulo cœnobium monialium initio in tantæ rei perpetuam memoriam conſtruit. Hanc iſtius monaſtici loci originem, hoc verum exordium eſſe non ex ullis quidem veteribus ſcriptis. (Quid enim annotarunt? quid non potius neglexerunt ſomnolenti & ignavi illi ſuperiorum temporum ſcriptores?) ſed ex multorum ſenum (qui eadem ſeſe à ſuis parentibus & majoribus audiviſſe narrabant) non falſa relatione compertum habemus.

CAPUT XLIII.

S. Salvii Cluniacenſis ordinis, monaſterium, Prioratus titulo illuſtre, ad Scaldim fl. apud Valentianas Hannoniæ urbem.

HAbet id nomen à S. Salvio *Epiſcopo & martyre, ibidem cum ſocio* S. Superio *quieſcente; quorum ſacra oſſa, feretro argenteo decenter incluſa, coram aliquando venerati ſumus.* Ceterum nefarie uterque interemptus eſt, anno ſeptingenteſimo nonageſimo octavo in arce vicina, quæ Breviticum, vulgo Bruvaige dicitur, *teſte Sigeberto in Chron.* Quorum corpora Carolus Magnus Imperator, anno poſt tertio, adſtante clero elevavit, atque ex loco martyrii ad vicinam ſancti Martini baſilicam honorifice tranſtulit, quæ hodieque parœcialis ejus loci eſt baſilica. Adjecit eidem mox alteram baſilicam in honorem SS. Apoſtolorum Petri & Pauli & S. Salvii in eaque Canonicos ſeculares ſex, ſub unius Præpoſiti regimine, inſtituit, fiſci Valentiani parte eisdem aſſignata, *teſte Jac. Guiſiano in Chronicis Hannoniæ lib.* 14. Porro beatus Bruno Colonienſis Archiepiſcopus & Hannoniæ reformator, indulſit, ut emorientibus Canonicis, ad collegiatam S. Salvii baſilicam Benedictini (quos in baſilica S. Gaugerici, tunc extra muros urbis Valentianæ ſita, Pipinus Major domus Auſtraſiorum & poſtea Francorum Rex collocarat & dotarat) paullatim commigrarent.

Hæc ex manuſcripta ejus loci hiſtoria, à R. P. Theodorico Gisberto, Lovanienſi, cœnobii hujus Præfecto, conſcripta, & Hannonicis Jacobi Guiſiani Chronicis deſumſimus. Operæ pretium fuerit his adjungere, quæ Chronographus-Cameracenſis commemorat: Non procul à caſtro Valentianenſi olim quidem ſancti Martini Eccleſiola, nunc autem monaſterium Canonicale in veneratione etiam S. Salvii Epiſcopi & martyris conſtat. Ipſo namque tempore, ſanctus Salvius totus ſupernæ patriæ inhians, cauſſa peregrinationis habenas reliquit Epiſcopii, profectusque peregre prædicationi operam dare æſtimavit. Igitur de loco ad locum procedens verbum Dei populo ſuggerebat, & maxime celebrationibus Miſſarum inſtabat. Verum ubi ad ipſam viciniam deveniret ac quadam die de Valentianenſi portu ad vicum Condatum tranſiret, à quodam peſtifero, factis inſidiis, captus, in cuſtodia religatur, raptisque indumentis ſacerdotalibus, & ornamentis Epiſcopalibus, quæ ſecum portaverat, obtruncatur. Sepultusque à viris religioſis in ſupradicta ſancti Martini Eccleſia, tunc ad præſens & poſtea multis præconizantibus miraculis, quanti & qualis meriti exſtitiſſet, apparuit, ut pleniſſime in libro ſuæ paſſionis reperitur. Unde attonitus Princeps regionis Carolo-Martellus, pro ſalute animæ de ipſo fiſco Valentianenſi, & de aliis rebus locum augmentavit, ſumptumque ſtipendiarium deputans, Canonicos conſtituit. *Ita Chronographus Cameracenſis; qui tamen memoria hic lapſus videtur, dum Carolo Martello attribuit quæ Carolo Magno erant adſignanda, ut patet ex Sigeberto in Chronico, & iis quæ paullo ante diximus.*

CAPUT XLIV.

Werdenenſe monaſterium, Germanice Werden, *in d. Colonienſi.*

WErdena opidum eſt d. Colonienſis ad Ruram fluvium, in quo exſtat illuſtris Abbatia monachorum Ordinis S. Benedicti à S. Hudgero primo Epiſcopo Monaſterienſi, & Carolo Magno fundata: in qua, hodieque ejusdem S. Hudgeri ſacrum corpus quieſcit, de quo vide plura apud Joannem Molanum in Natalibus Sanctorum Belgii 26. Martii. Abbas eſt Princeps Imperii liber, atque Imperatori immediate ſubjectus; eſtque unus ex quatuor Imperii Abbatibus, ut nuncupant.

Cæſaris Werda eſt itidem d. Colonienſis opidum ad Rhenum fl. ſitum, in quo nobile eſt Collegium Canonicorum, quod Sancti Suitberti Epiſcopi, qui Sancto Willibrordo in opere Apoſtolico coadjutor fuit ſacrum corpus adſervat. De S. Suitberto vide pariter Molanum libro citato. Hæc fere nobiſcum convivicavit Illuſtris ac Reverendus admodum Dominus Abbas Werdinenſis cum Antverpiæ anno 1613. nobiſcum verſaretur.

Schwarczachium monaſterium in Franconia ſeu Francia Orientali.

INſigne iſtud monaſterium, in ejusdem nominis, apud Oſtrofrancos ad Mœnum amnem ſito oppido, fundatum & liberaliſſime dotatum eſt in honorem Chriſti Salvatoris, B. Virginis Mariæ, S. Sebaſtiani, ac Felicitatis Martyrum, ſub Epiſcopo ſexto Herbipolenſi Wolfigero, anno Chriſti 815. imperante Ludovico Pio, à *Megnigaudo* Duce Oſtrofrancorum & Comite Ratemburgenſi ad Tubarum, & ab uxore ejusdem, *Ima*, alibi *Imina* dicta, Genebaldi Regis Francorum filia: quorum amborum in ejusdem cœnobii templo corpora humata ſunt. Dedit fundator ſtatim Abbati primo villam Schwarczachianam, & præterea multa alia loca expreſſa in litteris fundatoriis, quarum colophon talis eſt: *Tradimus vobis & concedimus tibi Benedicto & monachis tuis præſentibus & futuris, ſolius Dei & peregrinorum hunc locum cum omnibus ibidem contentis, ut orare debeat is pro felici ſtatu S. Matris Eccleſiæ, & pro incolumitate dominorum Regum imperantium, præſentium, & futurorum. Actum in Megnigaudenhauſen ſuper fluvio Leymbach. Data menſe Martio, anno* 816. *regnante Ludovico.*

Hirſaugienſe monaſterium, in Germania.

HUjus monaſterii fundatio facta eſt anno 830. per Erlafridum Comitem & filium ejus Nottingum. Conſecratio autem facta eſt in honorem S. Petri & S. Aurelii Epiſcopi anno 838. per Otgarium Archiepiſcopum Moguntinum præſentibus Hildiboldo Archiepiſcopo Colonienſi, Rabano Mauro Abbate Fuldenſi, Hildevivo Abbate S. Dionyſii, aliisque plurimis cum ſacri tum politici ordinis proceribus. De eo plura qui volet Hirſaugienſis monaſterii Chronica per Joannem Trithenium edita conſulat.

CAPUT XLV.

Arremarenſis Abbatia, vulgo Monſtierameii, *in D. Trecenſi, in Gallia.*

COenobium Arremarenſe ſive Adremarenſe Ordinis S. Benedicti, quatuor dumtaxat leucis à Tricaſſina civitate ſubductum eſt, quod etiam Dervanſe nuncupatur; eo quod in Dervanſi ſilva prima ejus fuerint fundamenta collocata, auctorem fundatoremque habuit quemdam cui nomen erat Arremarus, cujus hodieque tamquam primi parentis nuncupationem retinet, ut ſecernatur à Dervenenſi monaſterio, quod quidem aliquot ante annis exædificatum fuerat in eadem ſilva, quæ per id tempus longe lateque diffuſa, maxima terrarum ſpatia occupabat. Illa autem inſtitutio in vetuſtiſſimo dicti monaſterii codice continetur, his paucis concepta verbis. *An. ab Incarnatione Domini* 837. *indict.* 11. *fundatum eſt cœnobium in ſilva quæ vocatur Dervus, in loco qui dicitur Manſus Corbonis, poſtea nova cella in pago Tricaſſino à presbytero quodam Adremaro, exiſtente tunc Tricaſſino Antiſtite Adalberto, Comite Aledranno.*

Cum vero poſt paucos annos cœnobii ſtructura perfecta & abſoluta eſſet, memoratus Arremarus ad ſummum Pontificem perrexit, ab eo ſuppliciter & obnixe efflagitaturus, ut domicilium illud ad perpetuum Dei honorem cultumque, in religioſam monachorum ſedem dedicandum conſecrandumque mandaret: qui ipſius pietate concitatus, reſcripto ſuo (ut jam alibi dicere memini) Prudentium Tricaſſinum Antiſtitem hortatus eſt, ut cum à dicto Arremaro rogaretur, conſecrationem inaugurationemque dicti cœnobii obiret, quod quidem reſcriptum illuſtriſſimus Cardinalis Baronius in annales ſuos inſuit, nos illud inde erutum ejus fide proponemus his verbis:

Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverendiſſimo & ſanctiſſimo Prudentio Tricaſſinæ Epiſcopo ſalutem.

Cognoſcat prudentia ſanctitatis tuæ qualiter hic religioſus Adremarus monachus cum monachis ſuis cum ſumma devotione ad laudem & gloriam S. Trinitatis & remedium animæ ſuæ, ſuorumque omnium, in honorem B. Petri Apoſtolorum Principis, ſeu & S. Leonis ejusdem vicarii Papæ monaſterium deſiderat conſecrare, & ſitum ac ſtructuram ejus S. cœnobii in rebus juris dicti B. Petri Apoſtoli, quæ ejus vere ſunt, fundare ac conſtruere. Quæ res prædictæ Guidani generoſiſſimo Comiti per præceptum pontificale donatæ ſunt. Quam ob cauſam jubemus ac hortamur ſanctitatem tuam, ut quando ab illius monaſterii prædictis monachis fueris cum humilitate poſtulatus, illuc accedere debeas, & locum quem vobis ſignificaverit, ipſas illic reliquias ſupranominatorum ſanctorum, quas à nobis accepit, eo te-

nore

nore & conditione recondas atque consecres, ut semper ac perpetualiter sub jure ac potestate S. nostræ Romanæ Ecclesiæ jam fatum monasterium consistat atque permaneat. Sanctitatem tuam omnipotens Deus incolumem custodiat. Frater, Bene vale. Ita Nic. Camuzatius libro de Antiquitatibus Trecensibus.

Cœnobia S. Petri de Nigella; S. Sereni de Cantumerula, & B. Mariæ de Bricolio, in diœcesi Trecensi.

SPerabam fore ut quædam documenta nanciscerer, ex quibus originem cœnobii S. Petri de Nigella abscondita, Ordinis S. Benedicti deprehenderem, necnon & S. de Cantumerula Ordinis S. Augustini, quæ virilis sexus monasteria sunt ac B. Mariæ de Bricolio pariter Ordinis S. Benedicti, quod est puellare cœnobium, sed frustra indagatio in hanc rem à me impensa, sola enim nudaque nomina mihi datur edere. Id unum dicam, civilibus motibus & aliis causis ipsa monasteria nunc pene deserta, nec eum numerum religiosorum & monialium in eis esse, qui divino officio persolvendo satis esse possit. Huic vero rei pastorali cura R. Episcop. Trecens. mederi debet, in idque incumbere, ut Ecclesiæ & septa præfatorum cœnobiorum collapsa restaurentur, quandoquidem ejus visitationi subjacent. Observandum insuper festum ejusdem S. Sereni Confessoris in dicto cœnobio de Cantumerula 2. Octob. die celebrari, & ipsius reliquias in Prioratu de Cella Ordinis S. Benedicti semileuca tantum à præfato monasterio distante custodiri. Præterea F. Joannem Olivier dicti cœnobii de Nigella quondam Abbatem, sibi & eis qui in abbatiali cathedra successuri essent à Georgio de Ambasia Cardinali in regno Franciæ S. Sedis Apostolicæ Legato jus facultatemque gerendæ mitræ ceterorumque Pontificialium insignium obtinuisse, in quem finem præscriptæ literæ apud Pontisaram Id. Sept. an. 1509.

CAPUT XLVI.

S. Petri consecrati monasterium, vulgo Weys S. Peter, Scotorum extra muros Ratisbonenses, & S. Jacobi intra muros.

MOnasterium hoc dicitur tempore Caroli magni inceptum, & in colle victoriæ extra muros positum, ubi corpora interfectorum sepulta, consecratum miraculose per sanctum Petrum cœlitus, juxta chronicon illius monasterii apocryphum, &c. Sed cum iste locus arctior & angustior esset, quam ut tot fratres caperet, ædificatum est in agro quodam plano & lato Domini Alberti nobilis viri de Midersil in montanis, qui residebat in propriis possessionibus apud Phrandenhusen, monasterium Scotorum in honorem D. Jacobi; sub Dominico primo ejus loci Abbate, tempore Erckanfridi Episcopi Ratisbonensis, & Lotharii Imperatoris, circa annum 845. Ita habent Chronica Episcoporum Ratisbonensium.

Verum Aventinus libro 5. Annalium, ex diplomatibus quæ exstant longe aliter, nempe D. Marianum cum sociis, seu Henrico quarto Imperatore, ac Ottone Episcopo Ratisbonam venisse, ab Hemma Abbatissa superioris monasterii hospitio exceptum, postea à Willa Abbatissa, quæ Hemmæ successit, templum D. Petri extra urbem, quod Weicht vocant, consentiente Ottone Episcopo, impetrasse, Mathildam inferioris monasterii zitum ac cervisiam tribuisse, ibidem ope piorum domicilia contruxisse, in diem vixisse docendo ac interpretando sacras literas, scribendo victum, & magnam gloriam conquisivisse, ob eamque rem ab Imperatore Henrico quarto in tutelam receptos, & immunitati donatos esse, juxta diploma, cujus datum Kalend. Feb. anno 1088. indictione 12. ordinationis Regis XXXVI. Imperii V. Factum in Rognia civitate. Idem Avent. In Annalib. suis lib. 6. ita scribit: ubi Scoti Ratisbonæ propter multitudinem confluentium Scotorum, angustius habitare cœperunt, Fridericus Comes de Frontenhausen, Otto Comes Rietenburgensis, Burggravius Ratisbonensis frater ejus Henricus, cum uxore Bertha, quæ filia fuit Leopoldi, Austriaci Ducis, Luitgarda, uxor Friderici Comitis de Pogen, Advocati Ratisbonensis Ecclesiæ, quam alibi Adelhaidam vocat, Gundackerus & Wernherus de Laber grande monasterium D. Jacobo & Gertrudæ, intra mœnia urbis, condunt, Comites de Laber & Rietenburg prædia apud Nariscos tribuunt, illorum ibi monumenta exstant. Berchta ibidem sepulta, vineas in Austria donavit, Hartwicus Episcopus Ratisbonensis templum dedicavit anno 1120. Primus Abbas fuit Mauritius, confirmatur per Calixtum Pontificem Maximum & Imperatorem Henricum quintum; Mauritio successit Christianus. Fabulæ igitur sunt, hoc monasterium à Carolo Magno conditum esse, qui ante trecentos annos objerat, &c. Duravit autem S. Petri Ecclesia extra urbem sub suo Priore. Super cujus electione & institutione aliquando lis fuit inter Abbatissam superioris monasterii, & Abbatem S. Jacobi, sopita & transacta per Conradum tertium, Ratisbonensem Episcopum. Extat diploma de anno 1216. usque ad annum Domini 1552. Quo in bello sociali, quod Principum vocant,

per Philippum Comitem ab Eberstain, qui Cæsaris nomine præsidio militari Ratisbonæ præ-jerat, prædicta Ecclesia S. Petri, quæ hostibus propugnaculi vice extra urbem esse poterat, cum omnibus suis ædificiis penitus dejecta & excisa est, constituto ibi publico cœmiterio, vulgariter ejus Hokæter, &c.

De fundatoribus monasteriorum pro Scotis in Germania, præsertim Ratisbonæ, Vide eundem Aventinum lib. 6. De qua re etiam duo diplomata extant Henrici quarti, & filii ejus Henrici quinti, Imperatorum.

Einsidlense monasterium vulgo zum Eynsidlem *in D. Constantiensi.*

MOnasterium istud non procul à Tiguro originem habuit anno Christi 860. Sacellum ac cellulam sibi, ibidem ædificante S. Megimado Bertholdi Comitis à Sulgow filio.

CAPUT XLVII.

Foswerdense Monasterium, sesquimilliari à Doccomio, Frisiæ Occidentalis opido, olim situm.

ANno octingentesimo sexagesimo sexto, Hajo Dominus Amalandiæ, ob votum Deo factum, in Amalandia monasterium fundavit, eo loco quo Fostæ templum conspiciebatur, ad quod anno insequenti Odilbaldus XII. Episcopus Ultrajectensis, petente Hajone, pios aliquot monachos Benedictinos transmisit. Fostam *nonnulli Festam Deam interpretantur*, stetit autem monasterium dicto in loco ducentis quadraginta tribus annis, indeque post in Frisiam, certas ob caussas, à quadam Comitissa est translatum. *Andreas Cornelius in Frisiæ Chronicis.*

Porro Comitissa ista, nomine Anna, Domini Amalandiæ filia, & Adolfi Frenenburgii uxor exstitit, quæ Foswerdense monasterium, ob injurias piratarum quibus erat obnoxium, ex Amalandia in Frisiam, anno millesimo centesimo nono, Conrado Ultrajectino Episcopo consentiente, transposuit. Estque templum S. Joanni Baptistæ ab Episcopo consecratum, & cœnobium istud à loco B. Joannis baptismate celebri, Bethabora (*alias* Bethania) nominatum. *Ista nobis vir eruditus, ac religiosus, ex vetusto quodam Frisiæ Chronico, transcripsit.*

Est autem Amalandia insula Frisiæ Occidentali opposita.

Hæcmundanum, *vulgo* Egmundanum, *monasterium, sesquimilliari ab Alcmaria Hollandiæ opido olim situm.*

THeodericus senior ex magno devotionis adfectu construxit ligneum in Egmonda cœnobium, in quo sanctimoniales locavit, quibus vitæ necessaria copiose tradidit. Ex eo vero collegio quædam puella divinitus inspirata Theodericum Comitem admonuit sarcophagum beati confessoris Adelberti quantocyus aperire, & sanctas reliquias ad monasterium puellarum transferre. Et ecce quamprimum clerus sepulcrum ejusdem almifici Patris aperuit, pallium sanctissimi corporis integrum ab omni labe incorruptum apparuit. Crux etiam aurea supra pectus ejus ibidem inventa est, quæ contra varias ægritudines medicina salutaris est. Fons insuper liquoris limpidi sub ipsius tumba confestim exsiliit, qui usque in præsentem diem copiosius emanavit.

Et infra: Theodericus, post obitum patris sui Theoderici, Frisonibus discordare cœpit, quos cum triumphali gladio ditioni suæ subegit. Quapropter idem Comes ædificavit lapideum in Egmonda monasterium, & amotis monialibus, plantavit ibidem de religione S. Benedicti monachorum collegium, qui continue Deo devotum obsequium impenderent, & cum opus esset diris Frisonum insultibus obsisterent. His ergo Comes, Egmondensem Ecclesiam largis dotando possessionibus, obtulit Historiam tripartitam, & textum quatuor Evangelistarum auro fulvo, pretiosisque lapidibus circumtectum. Nihilominus Hildegundis Comitissa consimiliter obtulit eidem Ecclesiæ de liberali munificentia super altare (*In MS. habetur* tum *forte* tomum) torquem aureum, cum multimodis gemmis incomparabilis pretii valde fulgidum, de cujus cacumine lapis, ut fertur, hostularius (ostulanus, *vel* ostratus.) furtive sublatus fuit, qui nocturnis temporibus totum sacrarium radiis emicantibus illustravit. *Ita Joannes Becanus in manuscripto Ultrajectinæ Ecclesiæ Chronico.*

Eadem tradit Joannes Leidensis, in manuscripto suo Hollandiæ Chronico, additque Theodericum Juniorem Comitem collocasse sanctimoniales Egmondanas non longe ab opido Harlemensi, prope villam Hirmste, in loco qui dicitur Bonnenbroec, & prohibuisse, ne de cetero sanctimonalies adsumerentur aut investirentur, ut sic tandem, deficientibus personis, vita illarum ad finem deduceretur, & reditus ad monasterium Egmondense redirent.

CA-

CAPUT XLVIII.

Metense monasterium, *vulgo* Meten, *in Bavaria.*

SItum id est non procul à *Deckendorf* & Danubio, fundatum à Carolo Magno an. 882. ut vult Aventinus. Fuit primo Canonicorum, quos Henricus Pius, Dux Austriæ & Bavariæ Amonst & *Phaffenmunster* apud Straubingum collocavit, Benedictinis monachis substitutis, anno 1155. vel 1156. Ita Hundius.

CAPUT XLIX.

Monasterium Regium S. Benedicti, prope opidum de Sahagun, vulgo de S. Benito & Real de Sagagun.

DOtatum atque instauratum est hoc monasterium Sagaguntinum veteribus Cenonense per Regem Alfonsum cognomento Magnum ejusque uxorem Ximenam. Era 943. hoc est anno Christo 905. Postea vero instauratum per Alfonsum VI. & Constantiam ejus conjugem, in honorem SS. Martyrum Facundi & Primitivi, quorum corpora ibidem quiescunt. Hoc monasterium Alfonsus VI. Legionensis Rex submisit Abbatiæ Cluniacensi an. Domini 1090. Hugone Abbate Cluniacensi, cum ipso Rege in civitate *Durris* agente. Ut constat ex diplomate, quod Sandovallius recitat parte prima fundationum monasteriorum Benedictinorum in Hispania. Hujus Alfonsi Regis meminit Petrus Cluniacensis: *Non parum imo maxime veritati hujus visionis attestatur, quod à mortuo dictum est, Alfonsum Regem à Cluniacensibus monachis sublatum & à tormentis consimilium reorum ereptum. Nam quod omnibus pene Hispanis & Gallis populis notum est, idem Rex Cluniacensis Ecclesiæ magnus amicus & benefactor extitit, ut enim innumera alia pietatis opera eidem monasterio ab eo impensa taceam, magnificentissimus & famosus Rex censualense, regnumque suum Christi pauperibus ejusdem Christi amore fecerat; & tam à se qui à patre suo Ferdinando, constitutum censum ducentas scilicet & quadraginta auri uncias singulis annis, Cluniacensi Ecclesiæ persolvebat. Præter hæc duo monasteria in Hispaniis, ex proprio construxit, alia à quibusdam aliis personis construi permisit, & ubi construerentur adjuvit; in quibus Cluniacenses monachos ponens & unde omnipotenti Deo regulariter servire possent, Regia liberalitate effluenter argiens, & pene emortuum monasticæ religionis fervorem ex parte in Hispaniis reportavit, & sibi, hoc studio, post regnum temporale, regnum etiam sempiternum, uti dignum est crepere, comparavit. Obtemperavit benignus Regis æterni præcepto, faciens sibi amicos de mamona iniquitatis, à quibus amicis, finita regni villicatione secundum jam dictum visionis tenorem, & à pœnis ereptus, & in æterna tabernacula susceptus est.*

In hoc suo monasterio conditus est Alfonsus VI. Rex.

Ceterum illustre hoc Abbatiale monasterium fuit occasio, cur opidum de Sahagun fuerit mirifice auctum atque amplificatum.

S. Attilanus Numantiæ seu Zamoræ Episcopus, hujus loci olim Monachus, fuit ab Urbano II. anno 1080. in numerum Sanctorum relatus. Vitam ejus scripsit Lobera. Sunt qui dicant S. Froylanum Episcopum Legionensem ejusdem cœnobii olim monachum fuisse.

S. Alvitus sive Aloitus Episcopus Legionensis & S. Ordonius Episcopus Asturicensis, monachi hoc in loco hauddubie fuerunt.

Huic illustri Abbatiæ annexi sunt Prioratus non pauci: Monasterium S. *Mariæ* de *Piasca*, fundatum à Comite Roderico Gongales; à quo Comite illustrissima familia Gironum genus suum ducit.

Monasterium S. *Bartholomei de Medina del Campo:* Cujus loci Prior gaudet titulo Abbatis. In eo loco visitur imago Christi crucifixi, & frequentatur magna cum devotione populi. Monasterium S. *Mancii* qui fuit discipulus Christi ut traditur, & ibidem quiescit.

Monasterium S. *Salvatoris de Nogal* olim Abbatia nunc Prioratus. Fundatrix fuit illustris matrona Elvira Sanchez Era 1001. Ex hoc monasterio Nogalensi assumpti sunt primi monachi ad fundandum monasterium Ordinis S. Benedicti in urbe Vallisoletana petente Joanne illius nominis primo Rege, & mittente Joanne Abbate de Sagagun. Vallisoletanum istud monasterium nunc est caput totius congregationis reformatæ in regno Castellæ. Ita Prudentius Sandovallius prima parte fundationum monasteriorum Benedictinorum in Hispania.

CAPUT L.

Cluniacensis ordo & monasterium, in d. Matisconensi.

DE Abbatiæ Cluniacensis origine sic legitur in Chronico Cluniacensi: *Monasterii Cluniacensis primus fundator fuit* Guarinus *alias* Gerinus, *Comes Cabilonensis & Matisconensis, regnante Ludovico Pio Caroli Magni filio circiter annum* 820. *quod postea ab Hungaris devastatum, à Guilielmo*

Aquitoniæ Duce reſtauratum fuit. Ajunt autem iſtam Guilielmi fundationem ſive inſtaurationem toto orbe celeberrimam, factam fuiſſe anno 610. ipſumque in illo ſuo monaſterio Bernonem primum Cœnobiarcham locaſſe; poſtea Guilielmum obiiſſe anno 918. ſepultumque in Baſilica S. Juliani Biturigibus. Faciilime vero quisque ſibi perſuaſum habebit Guarinum illic commemoratum eumdem eſſe qui Warinus à Genebrardo in Chronico dicitur: & is certe annis centum Ducem Aquitanicum præceſſit. Addunt autem Petrum Venerabilem creatum Abbatem nonum an. 1122. ætatis ſuæ anno 28. & defunctum eſſe anno 1157. Ceterum veteres ordine Abbates; ſi numerantur. Primus legitur *Berno*, ſecundus *S. Odo*; ille ſub annum 895. hic ab anno 913. tertius *Adamarus* ab anno 938. quartus *S. Majolus*, & quintus *S. Odilo* ad annum 993. per annos 56. ſextus *S. Hugo* ex familia Principum Bellioccenſium anno 1109. ſeptimus *Pontius*; octavus Hugo II. nonus Petrus Venerabilis: decimus Hugo III. &c.

Teſtamentum Guilielmi cognomento Pii, Arvernorum Comitis & Ducis Aquitanorum, quem monaſterii Cluniacenſis fundatorem, alii inſtauratorem fuiſſe volunt, anno 910.

CUnctis ſane conſiderantibus liquet, quod ita Dei diſpenſatio quibusque divitibus conſulit, ut ex rebus quæ tranſitorie poſſidentur; ſi eis bene utantur, ſemper manſura valeant præmia promereri. Quod videlicet divinus ſermo poſſibile oſtendens, atque ad hoc omnino ſuadens dicit: *Divitiæ viri, redemptio animæ ejus. Prov.* 13.

Quod ego *Willelmus* dono Dei Comes & Dux ſollicite perpendens, ac propriæ ſaluti, dum licitum eſt providere cupiens, ratum, immo perneceſſarium duxi, ut ex rebus quæ mihi temporaliter collatæ ſunt, ad emolumentum animæ meæ aliquantulum impartiar: quippe qui adeo in his videor excreviſſe, ne fortaſſis totum ad curam corporis in ſupremo redarguar expendiſſe, quin potius cum ſuprema ſors cuncta rapuerit, quiddam mihi gaudeam reſervaſſe.

Quæ ſcilicet cauſa nulla ſpecie vel modo congruentius poſſe fieri videtur, niſi ut juxta Domini præceptum, *Amicos mihi faciam pauperes ejus*, *Lucæ* 16. Utque hujusmodi actio non ad tempus, ſed continuo peragatur, monaſtica profeſſione congregatos ex propriis ſumptibus ſuſtentem; ea ſiquidem fide, ea ſpe, ut quamvis ipſe cuncta contemnere nequeam, tamen dum mundi contemptores, quos juſtos credo, ſuſceperim, *Juſtorum mercedem accipiam.*

Igitur omnibus in unitate fidei viventibus Chriſtique miſericordiam poſtulantibus, qui ſibi ſucceſſuri ſunt, & uſque ad ſæculi conſummationem victuri notum ſit. Quod ob amorem Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti; res juris mei, SS. Apoſtolis Petro videlicet & Paulo de propria trado donatione, *Cluniacam*, ſcilicet villam, quæ ſita eſt ſuper fluvium qui *Granna* vocatur, cum cortile & manſo indominicato, & Capella quæ eſt in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ & S. Petri Apoſtolorum Principis, cum omnibus rebus ad ipſam villam pertinentibus, villis ſiquidem capellis, mancipiis utriuſque ſexus, vineis, pratis, campis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, farmariis, exitibus, & regreſſibus, cultum & incultum cum omni integritate: quæ etiam res ſunt ſitæ in Comitatu Matiſconenſi, vel circa, ſuis unaquæque terminis concluſæ.

Dono autem hæc omnia jam dictis Apoſtolis ego *Willelmus* & uxor mea *Ingelberga*, primum pro amore Dei, deinde pro anima ſenioris mei Odonis progenitoris, ac genitricis meæ, pro me & uxore mea, ſalute ſcilicet animarum noſtrarum & corporum: pro Avaceæ nihilominus quæ mihi easdem res teſtamentario jure conceſſit. Pro animabus quoque fratrum ac Sororum noſtrarum, nepotumque, atque omnium utriuſque ſexus propinquorum, pro fidelibus noſtris, qui noſtro ſervitio adhærent; pro ſtatu etiam ac integritate Catholicæ religionis. Poſtremo vero, ſicut omnes Chriſtiani unius compage charitatis ac fidei tenemur: ita pro cunctis, præteritorum ſcilicet, præſentium ſive futurorum temporum Orthodoxis, hæc donatio fiat.

Eo ſiquidem dono, tenore, ut in *Cluniaco*, in honore SS. Apoſtolorum Petri & Pauli monaſterium Regulare conſtruatur, ibique monachi juxta regulam beati *Benedicti* viventes congregentur, qui ipſas res perenni tempore poſſideant, teneant, habeant atque ordinent: ita duntaxat ubi venerabile orationis domicilium votis ac ſupplicationibus frequententur, converſatioque cæleſtis omni deſiderio & ardore intimo perquiratur & expetatur, ſedulæ quoque orationes, poſtulationes, atque obſecrationes Domino dirigantur tam pro me, quàm pro omnibus, ſicut eorum memoria ſuperius digeſta eſt. Præcipimus ſiquidem ut maxime illis ſit hæc noſtra donatio ad perpetuum refugium: qui pauperes de ſæculo egreſſi, nihil ſecum præter bonam voluntatem attulerint, ut noſtrum ſupplementum fiat abundantia illorum, ſintque ipſi monachi cum omnibus præſcriptis rebus ſub poteſtate & dominatione Bernonis Abbatis, qui quamdiu vixerit, ſecundum ſuum ſcire & poſſe eis regulariter præſideat: Poſt diſceſſum vero ejus, habeant iidem monachi poteſtatem & licentiam quamcumque ſui ordinis, ſecundum placitum Dei atque regulam S. Benedicti promulgatam, eligere ma-

maluerint Abbatem atque Rectorem, ita ut nec nostra, nec alicujus potestatis contradictione contra religiosam duntaxat electionem impediantur.

Per quinquennium autem Romæ ad limina Apostolorum, ad luminaria ipsorum continuanda, decem solidos præfati monachi persolvant habeantque tuitionem ipsorum Apostolorum, atque Romani Pontificis defensionem, & ipsi monachi corde & animo pleno prælibatum locum pro posse & nosse suo ædificent.

Volumus etiam ut nostris successorumque nostrorum temporibus, pro ut opportunitas atque possibilitas ejusdem loci sese dederit: quotidie misericordiæ opera pauperibus, indigentibus, advenis, peregrinantibus, summa intentione exhibeantur.

Placuit etiam huic testamento inseri, ut ab hac die, nec nostro, nec parentum nostrorum, nec fastibus regiæ magnitudinis, nec cujuslibet terrenæ potestatis jugo subjiciantur iidem monachi ibi congregati: neque aliquis Principum sæcularium, non Comes quisquam, nec Episcopus quilibet, non Pontifex supradictæ sedis Romanæ, per Deum, & in Deum, omnesque sanctos ejus, & tremendi judicii diem contestor, deprecor, ne invadat res ipsorum Dei servorum, non distrahat, non minuat, non procannet, non beneficiet alicui, non aliquem Prælatum super eos, contra eorum voluntatem constituat.

Et ut hoc nefas omnibus temerariis ac improbis arctius inhibeatur, adhuc idem inculcans subjungo, & obsecro vos o sancti Apostoli, & gloriosi Principes terræ, Petre & Paule, & te Pontifex Pontificum Apostolicæ Sedis, ut per auctoritatem canonicam & Apostolicam quam à Deo accepisti, alienes à consortio sanctæ Dei Ecclesiæ & sempiternæ vitæ prædones & invasores, atque distractores harum rerum, quas vobis hilari mente promptaque voluntate dono, Sitisque tutores ac defensores jam dicti loci Cluniacensis, & servorum Dei ibi commorantium ac commanentium.

Harum quoque omnium facultatum propter eleemosynam & clementiam, ac misericordiam piissimi Redemptoris nostri, si quis forte, quod absit, & quod per Dei misericordiam & patrocinia Apostolorum evenire non æstimo, vel ex propinquis aut extraneis, vel ex qualibet conditione sive potestate, qualicumque calliditate contra hoc testamentum, quod pro Dei amore omnipotentis, ac veneratione Principum Petri & Pauli fieri, sancivi, aliquam concussionem inferre tentaverit, primum quidem iram Dei ompipotentis incurrat, auferatque Deus *partem illius de terra viventium*, & deleat nomen *ejus de libro vitæ*, fiatque pars illius qui dixerunt Domino Deo, *Recede à nobis*, *& cum Dathan & Abiron*, quos terra aperto ore deglutivit & vivos infernus absorbuit, perennem incurrat damnationem. Socius quoque Judæ Domini proditoris effectus, æternis cruciatibus retrusus teneatur. Et ne ei in præsenti sæculo humanis oculis impune transire videatur, in corpore quidem proprio futuræ damnationis tormenta experiatur, sortitus duplicem direptionem cum *Heliodoro* & *Antiocho*, quorum alter acris verberibus coërcitus, vix semivivus evasit: alter vero nutu superno percussus, putrescentibus membris, & scatentibus vermibus, miserrime interiit. Ceterisque sacrilegis qui ærarium domus Domini temerarie præsumserunt, particeps existat, habeatque, nisi resipuerit Archiclavum totius Monarchiæ Ecclesiarum, juncto sibi S. Paulo, obstitorem, & amœni paradisi contradictorem; quos si vellet, habere poterat pro se piissimos intercessores. Secundum mundialem vero legem, his quibus intulerit calumniam, centum auri libras cogente judicaria potestate compulsus exsolvat, & congressio illius frustrata, nullum omnino obtineat effectum, sed hujus firmitas testamenti omni auctoritate suffulta, semper inviolata & inconcussa permaneat, cum stipulatione subnixa. Actum Bituricæ civitatis, Publice. *Guilielmus*. Ego hanc authoritatem fieri, & firmari rogavi, ac manu propria roboravi. Signum *Ingelbertæ* uxoris ejus. Madalbertus peccator, Bituricensis Archiepiscopus.

Anno undecimo regnante *Carolo* Rege, Indictione XIII, ego Oddo Levita, ad vicem Cancellarii scripsi & subscripsi.

Ceterum Guilielmus Paradinus Annal. Burgund. lib. 1. negat hunc Aquitaniæ Ducem Cluniacensis conventus prima jecisse fundamenta, verum Matisconensem quemdam Comitem Weranum seu Warinum, qui an. 884. permutatis cum Hildebaldo Matisconensi Præsule toparchiis suis *de Cotte*, & *de Genoillii*, à dicto Antistite, Cluniacensi villa reciproca compensatione recepta monasticoque cœnobio eo loci, SS. Petri & Pauli Apostolorum memoriæ constructo, dictus Hildebaldus consecrasset, anno imperii Ludovici Pii, 13. & reparatæ salutis 828. Ideoque hallucinari eos maxime qui Bernonem à Burgundia Gigniacensem Abbatem, vel dictum Willelmum ipsius fundatores primos asserunt.

Catalogus Abbatiarum & Prioratuum, congregationis Cluniacensis.

ABBATIÆ.

Abbatia Cluniacensis.
Abbatia Moyssiacensis, apud Arvernos.
Abbatia Figiacensis, in Argonia, regni Galliæ provincia.
Abbatia Lozacensis, ibidem.

Abbatia Balmenſis, ibidem.
Abbatia Monaſterii novi, Auguſtoriti Pictonum.
Abbatia D. Benedicti ad Eritanum Italiæ amnem.
Abbatia Thierni apud Arvernos.
Abbatia Belliloci in Argonia.
Abbatia de Pasleto in Anglia.
Abbatia de Coſtaquel, in Scotia.
Abbatia Paterniaci.
Abbatia Varinenſis in Germania.
Abbatia Amillani, forte S. Æmiliani, in Hiſpania.
Abbatia Campi-Rotundi.
Abbatia S. Rigaldi, in d. Matiſconenſi.

PRIORATUS.

PRioratus de Caritate.
Prioratus S. Pancratii, in Anglia.
Prioratus S. Martini de Campis, Pariſiis.
Prioratus Salviniaci, apud Borbonios
Prioratus Celſiniarum, vel Selceniarum, in Arvernia.
Prioratus Marcigniaci.
Prioratus de Gigniaco.
Prioratus de Cariloco.
Prioratus S. Saturnini de Portu.
Prioratus B. Mariæ de Nazareto, in Hiſpania.
Prioratus Mantuaci.
Prioratus S. Marcelli Cabilonenſis.
Decanatus de Vergeyo.
Prioratus de Coinciaco.
Decanatus de Lehuno vel Letzuno in ſanguine terſo.
Prioratus S. Petri, Abbatis-villæ, in Picardia.
Prioratus S. Lupi de Aſſerento.
Prioratus S. Arnulphi de Creſpeyo, in ducatu Valeſiæ. Vide ſupra cap. 26.
Prioratus Valencenarum, forte deſignatur.
Prioratus S. Salvii apud Valencenas ſeu Valentianas Hannoniæ urbem. De quo vide c. 43.
Prioratus de Volta.
Prioratus Romani monaſterii.
Prioratus S. Orientii.
Prioratus B. Mariæ deauratæ.
Decanatus de Gaya.
Prioratus de longo Ponte.
Prioratus de Vallibus, ſupra Polligniacum.
Prioratus de Rivis.
Prioratus S. Jacobi de Pontida, in Italia.
Prioratus de Lentona, in Scotia, aliis de Lanthona, in Anglia.
Prioratus Montis-acuti, in eadem inſula.
Prioratus de Longa villa.
Prioratus de Rodolio.
Prioratus de Gornayo.
Prioratus S. Milburgis,
Prioratus de Arantona,
Prioratus de Ponte-fracto, } in Anglia.
Prioratus de Catelereo.
Prioratus de Amberta.
Prioratus de Nogento Rotrodi, vide cap. 26. ſupra.
Prioratus S. Margaretæ de Helincuria.
Prioratus S. Stephani Nivernenſis.
Prioratus S. Reneriani.
Prioratus de Prato.
Prioratus de Nantholio Baaduini.
Prioratus Montis-deſiderii.
Prioratus Aregrandis.
Prioratus de Rampone.
Prioratus S. Marcelli Dienſis.

Prioratus Ganagobiæ.
Prioratus de Jallifoco, unitus cum collegio Avenionensi.
Prioratus de Tornaco.
Prioratus de Contaminâ.
Prioratus de Domena.
Prioratus S. Butropii Sanctonensis.
Prioratus Insulæ Aquensis.
Prioratus de Barbisolio, seu Barbisilio.
Prioratus S. Albani Basiliensis.
Prioratus de Alezaco.
Decanatus de Paredo, mensæ Cluniacensis Abbatis connexus.
Prioratus de Medicino.
Prioratus S. Margaretæ de Mergeriis, in Campania.
Prioratus S. Marcelli de Sangeto.
Decanatus de Roncenaco.
Decanatus de Carnaco.
Prioratus de Sezana.
Prioratus S. Mariæ Senonensis. } sub Caritatis monasterio.
Prioratus S. Nicolai Silvanectensis.
Prioratus de Capy. } sub S. Martini monasterio.
Prioratus de Encra sive Ancra.

Prioratus S. Martini de Luperciaco Burgo, apud Niveodunum ad Ligerim.

De his vide plura in Historia Martiniana seu monasterii S. Martini de Campis, Parisiis an. 1600. edita, & apud Choppinum lib. 2. Monasticon, tit. 1. §. 6.

Sunt & Prioratus aliquot monialium congregationis Cluniacensis, ut Marcigniacus diœcesis Matisconensis, Victorianus D. Leodiensis, Sallesius d. Lugd. Croperius & S. Sepulchri d. Avernensis. De Marigniaco expresse agit Petrus Venerabilis lib. 3. Epist. 2.

CAPUT LI.

S. Gerardi Broniense Cœnobium, tertio milliari à Namurco, opido ad Mosam fl. sito, in Belgio.

Pipinum secundum, cognomento Herstallium Bronienſi in tractu oratorium, seu sacellum ædificasse, illudque S. Lambertum Tungrensem Episcopum dedicasse, tradunt. Hoc prædium Broniense, cum adjacentibus, à majoribus acceptum, possidebat vir Dei Gerardus, nobilissima Austrasiorum familia natus, *An.* 913. *ut habet M. S. Chronici Sigebertini exemplar Lipsianum.* Is jussu SS. Apostolorum Petri & Pauli, illo in loco cœnobium ædificavit, in quo clericorum sodalitatem instituit, qui more Canonico illic viverent.

Talis religio præcessit tempore primo,
Donec dante Deo, monachorum inducitur ordo,
Rebus & officio longe præclarior illo.

At postea Gerardus in Galliam profectus, in S. Dionysii cœnobio apud Parisios, monasticum vitæ genus est amplexus. Annis hic novem monasticis disciplinis egregie instructus cum parte reliquiarum S. Eugenii Toletani Episcopi & martyris Bronium rediit, & clericis amotis monachos substituit, eisdemque primus Abbas præfuit. Post ad S. Gisleni Cellense cœnobium reformandum, à Gisleberto Lotharingiæ Duce, evocatus, clericis ob vitam liberiorem amotis, monachos substituit. Inde in Flandriam ab Arnulfo Comite invitatus, Blandiniense, Bertinense, Marchianense, aliaque monasteria reformavit, ut octodecim in Flandria monasteriorum rector, ac reformator esse meruerit. Omnibus denique rite compositis, Bronium rediit, & pie in Christo obdormivit.

Hæc ex vita Sancti Gerardi fundatoris Broniensis, à monacho ejus loci ad Gonterum Abbatem scripta, desumsimus. Meyerus in Annal. Flandriæ ad an 940.

S. Gerardi obitum Sigebertus in Chronico refert ad annum nongentesimum quinquagesimum nonum: marmorei tamen sepulcri ejus inscriptio notat annum nongentesimum quinquagesimum octavum.

Broniense porro monasterium Pius IV. Pont. Max. & Philippus II. Hispaniarum Rex, Belgarumque Princeps, Episcopatui Namurcensi, recens tum instituto, annexuerunt. Exstat apud Surium Tom. 5.

Diploma Stephani Papæ.

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, & S. Mariæ semper virginis. Stephanus Sedis Apostolicæ summus Episcopus, servus servorum Dei, fratribus ac filiis nostris per universum orbem terrarum in fide Catholica degentibus. Notum cupimus esse omnibus tam præsentibus, quam futuris, qualiter filius ac frater noster, divina annuente clementia Gerardus,

dus, Abbas nobis innotuit de monasterio Broniensi, quod in melius reformavit & restauravit in honore sanctæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, & sancti Joannis Baptistæ. Post vero multorum sanctorum pignora, congregavit corpus etiam sancti Eugenii martyris, Archiepiscopi Toletanæ sedis, (a) discipuli & ordinati sancti Dionysii Archiepiscopi, cum magna reverentia & honore inibi attulit, hereditatem quoque propriam tam in agris, quam mancipiis, & in omnibus jure hereditario adjacentibus devote ac voluntarie ad præfatum dedit monasterium. Postquam autem nobis hoc indicavit, provolutus pedibus nostris petiit, quatenus auctoritate Apostolorum Petri & Pauli malediceretur omnis, qui de eodem monasterio aliquid conaretur, tam de reliquiis Sanctorum, quam de vestimentis & libris & de territoriis auferre, atque de mancipiis, vel de aliis quibuslibet rebus, quas nunc habet sibi datas, vel ultra possit Dei misericordia obtinere. Hoc quoque magnopere expetiit, ut eodem constringatur anathemate, quicumque privilegium, quod de eodem loco & monasterio jam regia magnificentia & imperialis sanxerat auctoritas, aliquatenus præsumeret infringere: scilicet ut nullus Episcopus, nullus Comes, nullus Advocatus, nullus Judex publicus, nec quilibet ex judiciaria potestate, in Ecclesias aut loca, vel agros, seu reliquias possessiones memorati monasterii præsumat ingredi, aut ad caussas audiendas, aut precaturas faciendas, aut freda vel tributa aut obsonia qualibet exigenda, vel mansiones, aut silvas, vel paradas faciendas, aut fide jussores tollendos, aut homines ejusdem monasterii, tam ingenuos, quam servos super terram ipsius commanentes injuste distringendos, nec ad ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas nostris & futuris temporibus. Sed liceat memorato Dei servo Gerardo, suisque successoribus res prædicti monasterii, cum monachis suis, sub immunitatis nostræ defensione, quieto ordine possidere & ordinare absque cujuslibet arbitri communione, nisi ipso Abbate, & suis monachis id rationabiliter fieri petentibus. Hoc quoque firmare expetiit nihilominus, ut eadem damnetur maledictione, quicumque locum ipsum, & loci incolas infra suos terminos hostili incendio vel cæde aut aliqua injusta oppressione præsumserit aliquatenus depopulari, vel infringere. Adstantibus igitur Episcopis, & confratribus hujus sanctæ Romanæ Sedis, & consentientibus, petitionem famuli Dei Gerardi Apostolica auctoritate firmari decrevimus. Igitur auctoritate Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & sanctæ Mariæ semper Virginis Dei genetricis, & omnium cœlestium virtutum, & sancti Joannis Baptistæ, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quorum vices licet indigni tenemus, & sancti Eugenii martyris, ejusdem loci patroni & provisoris, & Sanctorum, quorum reliquiæ inibi sunt, simulque omnium Sanctorum, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, excommunicamus, anathematizamus, damnamus omnes, qui horum quidpiam, quæ de immunitate & libertate Broniensis Ecclesiæ & loci prælibata sunt, irritum fecerint vel infregerint, nisi resipuerint & pœnituerint, & ab Abbate & fratribus ejus veniam promeruerunt, & de cetero emendaverint. At vero qui observator exstiterit hujus nostræ præceptionis, & regiæ sanctionis, gratiam & misericordiam, vitamque æternam à misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur. Ego Castorius Notarius regionarius, Scriniarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, corroborante Apostolica auctoritate, & sancto Papa Stephano suggerente; recognovi. Data V. Kal. Maji anno ab incarnatione D. CCCC. XIII. regnante Henrico in regno Lotharii, imperante in Italia Hugone, anno II. Indictione VI. Actum Romæ feliciter, Amen.

Gemblacense Monasterium, in Brabantia, inter Bruxellam & Namurcum.

GEmblacum, veteribus Gemmelacum, pervetustum est Brabantiæ opidum, olim Leodicensis, hodie Namurcensis diœcesis, Lovanio & Bruxella milliaribus sex, Namurco tribus dissitum. Intra opidi mœnia nobilissimum est cœnobium, à sancto Guiberto, (quem quarto Febr. Romani Martyrologii tabulæ Gilbertum nuncupant) exstructum, ac dotatum. Fuit is ex antiqua Regum Austrasiæ prosapia, qui militiæ secularis cingulo deposito, castrum suum Gemmelaus, sive Gemblacum, cum omnibus appendentibus, Erluino viro pio hortante, Deo & Apostolorum Principi B. Petro obtulit, in eoque cœnobium suo ære exædificavit, Erluino eodem primo Abbate constituto, Meminit hujus nobilissimæ fundationis Platina in Stephano VII. Annum vero erectionis indicat hoc distichon, quod hodieque in Gemblacensis cœnobii basilica, parieti inscriptum legitur:

Unum D. scribis, C. quatuor X. bis & I. bis,
Dum claustrum per te fit Gemblacense Guiberte.

Ceterum Guibertus, in Gorziensi juxta Metas Lotharingiæ urbem cœnobio celeberrimo, X. Kal. Junii, anno nongentesimo sexagesimo secundo in Domino obdormivit; inde mox Gemblacum translatus, atque è terra elevatus IX. Kal. Octobris, anno millesimo centesimo decimo, procurante id Sigeberto Gemblacensi Chronographo. Est autem Gemblacense monasterium, hodieque cum ob antiquitatem, tum ob insignem codicum omnis generis manuscriptorum bibliothecam, admodum celebre: gaudetque Abbas ejus loci titulo Comitis

(a) *In Bronio quiescit pars corporis S. Eugenii Episcopi Toletani, Vide Molani Natales SS. Belgii.*

mitis & merito primum inter proceres seculares, in comitiis Ordinum Brabantiæ, locum obtinet. Hoc in cœnobio vixit, obiitque anno millesimo centesimo duodecimo, Sigebertus monachus, inde Gemblacensis dictus, cujus Chronicon exstat nominatissimum: ex quolibet apponere quæ de sui monasterii origine atque Abbatibus is refert: Anno nongentesimo vigesimo primo, clarebat inter nobiles Lotharingiæ, sanctus Pater Guicbertus, qui nostrum Gemmelacense cœnobium fundavit, qui divitiis, nobilitate, & potentia clarus, cingulum mundanæ militiæ deponens, cingulo sanctæ religionis in monachico habitu se accinxit. An. nongentesimo quadragesimo octavo immunitas nostræ Gemmelacensis Ecclesiæ imperiali Othonis confirmatur edicto, & anuli impressione corroboratur. Erluinus primus ejus loci Abbas, à Patre nostro Guicberto electus, in sanctitate & religionis fervore claret. Anno nongentesimo quinquagesimo quarto, immunitas nostræ Gemmelacensis Ecclesiæ etiam Apostolica auctoritate à Benedicto Papa coroboratur, anno septimo Pontificii ejus. Anno nongentesimo quinquagesimo octavo Erluinus primus Abbas Gemmelacensis à quibusdam contrariis sanctæ religioni lumine oculorum privatur. Anno nongentesimo sexagesimo secundo sanctus Pater noster Guicbertus, fundator noster Gemmelacensis cænobii, apud Gorziam, ubi Deo militabat, propter amorem ferventis ibi sanctæ religionis, in Christo dormivit, & qui omnia reliquerat, centuplum & vitam æternam recepit. Corpus vero ejus relatum est ad cœnobium Gemmelacense an. nongentesimo octuagesimo septimo, Erluinus primus longo in longa cæcitate martyrio cruciatus, moritur. Succedit Heriwardus. Anno nongentesimo nonagesimo primo obiit Heriwardus Abbas. Succedit Erluinus Junior. Anno millesimo duodecimo Abbas Erlvinus Junior obiit. Olbertus Gemmelacensis Ecclesiæ ordinatur Abbas, vir moribus, religione, bonis doctisque viris aut conferendus aut præferendus. Anno millesimo quadragesimo octavo, in Christo dormit Olbertus sanctæ memoriæ Abbas Gemmelacensis. Abbati Olberto succedit Miisac. Anno millesimo septuagesimo secundo obiit Abbas Miisac succedit Tietmarus: *& sic ex ordine ceteri. Hactenus ex Sigeberti Gemblacensis Chronico. Ceterum præter Olbertum & Sigebertum, fuere & scriptis illustres Lambertus & Guibertus Abbates Gemblacenses, quorum prior Appendicem ad Sigeberti Chronicon brevi à nobis edendam, alter multa de S. Martino Turonensi Episcopo, itidem inedita, conscripsit, obiitque anno salutis millesimo ducentesimo octavo.*

Porro Gemblacenses olim Abbates cudendæ monetæ jus habuerunt: è quorum numerò Arnulfus Abbas anno millesimo centesimo quinquagesimo tertio, opidum muris & fossa munivit: Arnoldus vero Abbas, anno millesimo quingentesimo tertio, cœnobium suum Capitulo ut vocant, Bursfeldensi submisit.

Gemblacum omnibus suspiciendum reddunt corpora SS. Martyrum Exuperii & Marii, S. Maclovi Episcopi, S. Guiberti fundatoris, unius item virginis & martyris ex parthenio S. Ursulæ sodalitio, & alterius martyris ex illustri S. Gereonis collegio. De quibus Molanum consule in Natalibus Sanctorum Belgii.

CAPUT LII.

Rassonis Comitis Diessensis monasterium, vulgo zu S. Grafrath.

ANno 904. Rasso Comes ex Andecensi familia, Dux Bojarici regni limitis Orientalis, vir nobilis & strenuus, cœnobium in honore Salvatoris omnium Werdee, juxta Amperam construxit, in pede sui castri Razenberge, & illic monachos collocavit: quod etiam S. Udalricus Episcopus consecravit. In hac Ecclesia Comes iste functus vita sepultus requiescit, ad cujus tumulum signa fuerunt edita.

Hæc Ecclesia postea ab hostibus Ecclesiarum penitus devastata est. Defuncto Comite Rassone, successit Fridericus Comes, frater ipsius, armis strenuus, qui ad sanctam terram iter faciens obiit, ibique sepultus est, alius vero ac tertius Fridericus, dictus Roch, apud S. Blasium, sepultus est in nigra silva, secundum Joannem Aventinum.

Eberspergense monasterium, vulgo Ebersperg.

EBersperg castrum olim inter Oenum & Senonas, nunc Sempta amnes situm in silva, quam Joannes Aventinus lib. 4. Cornodunensem olim appellatam dicit, nunc Eberspergensis vocatur à Sighardo, Comite de Sempta, adversus Ungarorum irruptiones, admonentibus sacris vatibus, Conrado de Hewa ex Hegovia, & Gebhardo Argentinensi, sanctissimis ac facundissimis ejus temporis viris, conditur. Ab apro, quem ibi invenit, Ebersperg nomen accepit, circa annum 900. Eberhardus & Adalbero, Comites de Sempta, nepotes Sighardi ex Ratholdo filio, post bellum Ungaricum, cui anno Domini 955. interfuere cum sorore Wilpriga templum D. Sebastiano in arce sua Ebersperg construxerunt, anno Domini 970. Ipsi paucis post diebus mortui sunt, & hæc sunt principia hujus monasterii.

Ulricus, filius Adalberonis, cum conjuge sua Richarda, sorore Marquardi, Carinthiæ Marchionis, Eberspergii collegium pro monachis Augustinianis instituerunt, ipsa obiit 1013. ipse 1019. ambo ibidem sepulti.

Adalbero tertius, filius Ulrici, cum conjuge Richildi, sorore Welphonis tertii, Ducis Carinthiæ, cum liberis carerent, Eberſperg, arcem in ædem D. Benedicti commutaverunt tradideruntque monachis inter alia Peffenhausen. Item in Austria Posenboig, & Ibs, quæ cum monasterio longius sita essent, longo post tempore, nempe anno 1180. Ducibus Austriæ, pro commodioribus ac propinquioribus prædiis data & commutata sunt.

Fundationem seu institutionem hujus monasterii per Adalberonem tertium cum conjuge factam, Henricus tertius Imperator, & idem Dux Bojorum confirmavit anno 1040.

Idem quoque Adalbero comes monasterium Beurn ad radices Alpium, in superiori Bavaria situm, ab Ungaris vastatum, cujus curator seu Advocatus erat refecit, ac ejectis Augustinianis, Benedictinis monachis reddidit, ac duodecim monachos Tegernseenses eo transtulit. Obiere isti conjuges fundatores eodem anno, nempe 1045. atque in his defecit nobilissima hæc familia Comitum à Sempta & Eberſperg.

CAPUT LIII.

Walciodorense Monasterium, vulgo Wasor, *ad Mosam fl. inter Dionantum & Givetum opida.*

Sanctus Eloquius Abbas & Confessor ex Hibernia in Galliam circa annum Christi sexcentesimum quinquagesimum veniens, cum S. Furseo Latiniacum struxit monasterium, ibidemque sanctissime vixit. Itaque B. Furseus ad Christum migraturus, monasterii curam B. Eloquio reliquit. At cum postea discipulorum suorum animos inique in se concitatos Eloquius intelligeret, cum paucis fratribus Grimacum ad Isaram secessit, vitam ducturus eremiticam. Cumque S. Eligio Noviomensi Episcopo sincera ejus religio innotesceret, ipsum presbyterum ordinavit, & per suam diœcesim prædicandi licentiam dedit. Pervenit autem ad multam senectutem, vitæ sanctitate ac miraculis longe lateque clarissimus. Corpus ejus religiose humatum est in monticulo juxta aggerem publicum, ubi Sommeron & Isara confluunt. Estque basilica in ejus memoriam ædificata, quæ magna fidelium devotione frequentata fuit, usque ad tempora Odonis Regis, sub quo Danorum sæviente crudelitate, cum aliis basilicis, cremata est; sic tamen ut divina clementia corpus salvum manserit in secreto sacrophago. Contigit autem postea sæpe eo in loco voces audiri psallentium, & luminaria videri. Quo præsignificabatur sanctum virum aliquando exaltandum. Quod circa annum nongentesimum sexagesimum præstitit religiosus Comes Eilbertus. Cum enim hujus sancti viri corpus sub dio in quadam solitudine relictum esset, pius Comes hoc pignus sacrum à Rodehardo Laudonensi Episcopo petiit & obtinuit. Sicque deportatum est, ad basilicam Walciodorensem, à dicto Comite fundatam, & in ipsa translatione plurimi à variis languoribus sunt curati. *Hæc ex S. Eloquii vitæ historia desumsimus, quæ à S. Forannano Archiepiscopo eo tempore quo sacrum corpus ex Francia Walciodorum est translatum, scripta creditur. Cæterum de hac translatione plura habet liber fundationis cœnobii Walciodorensis, ante trecentos annos à Roberto monacho Stabulensi, post Abbate Walciodorensi conscriptus. Ex illo itaque nonnulla libet hic subjungere.*

Regressus à summo Pontifice sanctus Forannanus, honoris incrementa suæ Ecclesiæ cœpit desiderare, sed & Comitem Eilbertum convenit, ut communi deliberatione & consilio, alicujus Sancti nominati reliquias obtinerent: futurum autem esse dicebant, ut ex præsentia alicujus Sancti, & recens basilica honorabilior haberetur, & populi caterva augeretur, & locus abundantiori benedictione sanctificaretur. Cui rei animum apponens Comes, conjugem suam participem fecit consilii, ut & meriti particeps esset. (a) Prius itaque Ecclesiæ S. Michaelis in Tharascia à se fundatæ acquisierat memorabile corpus beati Adalgisi: quod cum idem præstare vellet Walciodorensi, commode obtinuit corpus sancti Eloquii. Idque aliquot diebus deposuit in basilica B. Michaelis in Tharascia, ut in die, qua cælos petiit in Francia, transportaretur Walciodorum. Dum autem per Famennam deferretur, à portatoribus depositum in Morthusin, resumi non potuit, nisi fusis precibus, & Widerico duos mansos terræ sancto Eloquio legante. Et sic Walcidorum est perventum III. Nonas Decembris, quo translationis, & depositionis & basilicæ consecrationis memoria festiva agitur. *Consule Molanum in Natalibus Sanctorum Belgii, III. Decembris.*

Huic cœnobio Walciodorensi annexa est cella vicina, seu Prioratus, ut vocant, Hasteriensis. Hanc Basilicam Hasteriensem ab Alberone Metensi Episcopo constructam, in eaque primum moniales resedisse, ac demum, permutatione quadam inita, ad Walciodorenses devenisse, ex loci ejus monumentis traditur, in manuscripto quodam codice monasterii Trudonensis, quo olim usi sumus.

CAPUT

(a) *An.* 944. *monasterii Walciodorensis jacta esse fundamenta ab Eilberto Comite, legi in MS. quodam codice cœnobii S. Trudonis.*

CAPUT LIV.

Tegernſeenſe monaſterium in Bavaria.

ALbertus & Ottogerion illuſtres Bojariæ Comites, ita in diplomate appellantur iſti duo fratres, in ſuperiori Vindelicia intra Iſaram & Oenum in faucibus Alpium, prope lacum Tigurinum, contubernium monachis fundarunt, quorum Præſul, Bojariæ Antiſtites omnes dignitate antecellit. Nam cœnobium foſſa, mœnibus, tormentis bellicis, & aliis hujuscemodi inſtructum, inſtar Regiæ poſſidet, more Principum equeſtris ordinis officiales perpetuos habet. Inſtauratur hoc monaſterium ab Ungaris exuſtum per Ottonem Imperatorem ſecundum & Ottonem filium Luitolphi, fratris Ottonis ſecundi, Ducem tum Bojariæ & Sueviæ, qui monachis cœnobium cum prædiis reſtituunt, Hartuicum præficiunt, & prophanos qui religioſorum locum occuparant, migrare jubent, anno 979. Fuerunt iſti fundatores Comites de Warngew & Tegernſee; quidam ſuſpicantur fuiſſe filios Grimoldi Ducis Superioris Bavariæ, ex familia primorum Ducum & Regum Bavariæ, occiſi in tumultu. Diploma Henrici ſexti aſtipulatur, in quo hos fundatores regali proſapia ortos dicitur his fratribus has ditiones inter Iſaram & Oenum Alpibus ſubditas, ſcilicet Warngew & Tegernſee, à Carolo Marcello fuiſſe traditas, auctor eſt Avent. lib. 3. Annal. Diploma Ottonis ſecundi, cujus exemplum infra in fine ponitur, habet, hos duos germanos fratres & illuſtres Comites in ſuo & de ſuo patrimonio temporibus Pipini Regis Francorum ipſius permiſſu, condidiſſe hoc monaſterium; unde præſumitur, hos de antiqua nobilitate Bavariæ fuiſſe, qui una cum fratre Uttone etiam alias ditiones in Bavaria & in Auſtria tenuerunt. Utto enim ad Ilmum fluvium monaſterium Illmunſter inſtituit, quo oſſa S. Arſatii tranſtulit Joan. Avent. Superiores duo fratres infra Anaſſum inſtituerunt monaſterium S. Hypoliti, vulgo *Sant Pelten.* De fundatione hujus monaſterii exſtant quædam in libro quodam ſcripto monaſteriorum Bavariæ, & Indice Abbatum hujus monaſterii de filio Ottocari in Gallia, à filio Regis Pipini in ludo Schachorum occiſo, quæ tamquam fabuloſa Avent. in Chronica omiſit. Ego de hac re nihil certius puto inveniri quam quod in privilegiis tum Ottonis ſecundi, tum Henrici ſexti, & Friderici ſecundi Imperatorum continetur.

Petri domus vel Peterſchuſium, in diœceſi Conſtancienſi.

SItum eſt hoc monaſterium ad Rhenum è regione urbis Conſtantienſis in Suevia, fundatumque à S. Gebhardo XXVI. Epiſcopo Conſtantienſi, an. 980. Monachis è Cella Menradi accitis. Obiit S. Gebhardus fundator anno 996. cum præfuiſſet annis ſedecim, de cujus rebus geſtis unde libros duos per Felicem Manilium conſcriptos, editosque à Joanne Piſtorio in chronico Conſtantienſi.

CAPUT LV.

S. Pantaleonis monaſterium in urbe Colonienſi.

S. Bruno Colonienſis Epiſcopus, (cujus diem feſtum peculiari officio celebrat Eccleſia Tornacenſis) etſi graviſſimis Reipublicæ negotiis diſtineretur, utpote vicarius Imperii, à fratre Othone Imp. conſtitutus, vita tamen ſolitaria ac monaſtica quamplurimum delectabatur. Quare per Hadamarium Abbatem Fuldenſem reliquias S. Pantaleonis Coloniam Ubiorum adferri juſſit, & in ejus honorem inſigne monaſterium anno 954. conſtruxit ex caſtro Tuitienſi, quod deſtruxit, & ponte Rhenano, quem demolitus eſt. Pons ille à Conſtantino Magno ſuper Rhenum conſtructus putabatur. Obiit autem S. Bruno anno Chriſti 965. in ſuo D. Pantaleonis monaſterio conditus: de cujus ſanctitate vide Baronium in Annalibus, tomo 10. ad annum citatum, & Erardum Winhemium in Sacrario Coloniæ Agrippinæ.

Gladbacenſe monaſterium vulgo Gladbach, *in d. Colonienſi.*

MOnaſterium iſtud, conſtruxit Gero Archiepiſcopus Colonienſis XXVIII. & multis Sanctorum reliquiis idipſum exornavit. Inter alias adſervant ibi magna cum reverentia S. Laurentii martyris caput, non ſemel à Philippo II. Hiſpaniarum Rege expetitum, ſed fruſtra: quod nollent illius loci monachi tam pretioſo theſauro privari.

S. Martini Majoris cœnobium, in urbe Colonienſi.

S. Martini Colonienſe monaſterium, in inſula Rheni olim, hodie in continente, non procul à Rheno, intra urbis mœnia ſitum, fundatum legitur primum ab *Odgero* Daciæ Du-

ce; tandem vero reparatum & auctum, postque primam ejus eversionem quasi de novo instauratum anno Christi circiter 986. sub Imperatore Othone tertio. Ita Bruschius.

In hoc monasterio reliquiæ S. Eliphii martyris conservantur.

Erardus Winhemius cit. libro dicit hanc basilicam primo constructam à Warino XXVIII. Episcopo Coloniensi, pro natione Scotica: quod nunc in desuetudinem venit.

In urbe Coloniensi sunt insuper quatuor virginum Benedictinarum monasteria, primum *ad S. Machabæos*, secundum S. Mauritii, tertium S. Agathæ, quartum S. Joannis Baptistæ in Clusa: de quibus Winhemius cit. libro, & nos alibi dicemus.

Monasterium in Brauvveiler, *diœcesis Coloniensis.*

TEmporibus Hermanni II. Archiepiscopi Coloniensis, Erenfridus Comes Palatinus & uxor ejus Mathildis monasterium istud in Dei ac S. Nicolai honorem an. 1024. fundarunt. Obiit Hermannus fundator anno 1054.

Tuitiense monasterium, ex opposito Coloniâ Agrippinâ ad Rhenum fl.

FUndatum id est circa annum Christi 1012. à S. Heriberti Archiepiscopi Coloniensis fratre germano, Comite Rotemburgio ad Tubarum, cujus tamen nomen ignoramus. Is in magna annonæ difficultate, ingentem mendicantium pauperum, ut inutilem multitudinem, in horreum ruri situm convocatam, incendio cum delevisset; sceleris tanti pœnitentia tandem ductus, Romam ad Pontificem ivit: à quo absolutus cum juberetur cœnobium construere pro tanti peccati satisfactione, Coloniæ fratrem Archiepiscopum convenit, cujus consilio pariter atque auxilio in perveteri oppidulo Tuitiensi, eoque ipso loco, ubi antiquitus *Tuisconis* primi Germanorum Regis castrum fuisse affirmant, oratorium & domum Dei condidit, in qua pietatis, & litterarum florerent studia, Deoque recte serviret, & probe etiam institueretur scholastica juventus, Ecclesiæ & Reipublicæ aliquando servitura.

Hoc in monasterio spectatur tumulus dicti Episcopi Hereberti, in quo tabula plumbea inventa est, hac inscriptione:

Anno ab Incarnatione Domini nostri millesimo vicesimo primo, XVII. Kalend. Aprilis, Obiit Heribertus sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, qui de suo proprio sumptu hoc monasterium fecit.

Heribertus Coloniensis Episcopus constructor hujus Ecclesiæ, anno incarnati Verbi millesimo vicesimo, ipsam consecravit in honorem Salvatoris mundi, ejusque genitricis.

CAPUT LVI.

Monasterium S. Petri de Eslonza in agro Legionensi.

SItum est hoc monasterium tertio lapide ab urbe Legionensi in valle, quam vocitant Elisonciæ, fuitque primum dedicatum in honorem S. Eulaliæ virginis & S. Vincentii Levitæ. Est autem antiquius temporibus Garsiæ Regis, qui illius monasterii fundator non fuit, sed benefactor & amplificator, ut ex urbis ipsius diplomatis colligitur.

Nos Garcia Princeps & Munia Dona Regina offerimus venerandis martyribus (quorum reliquiæ hic conditæ requiescunt) S. Eulaliæ virgini & S. Vincentio Levitæ, in cujus honorem basilica ab antiquis fundata esse dignoscitur in suburbio Legionensis civitatis, in valle quam vocitant Elisonciæ &c. Datum III. Kal. Septemb. Era D. CCCC. L. Creditur vero hoc monasterium fundatum ante Maurorum incursionem in Hispaniam. Hujus item monasterii Abbas fuisse putatur Florentius, qui Concilio Toletano I. interfuit, sub Rege Wamba, & his verbis subscripsit. *Florentius Ecclesiæ monasterii S. Eulaliæ Abbas hæc gesta synodica, à nobis diffinita consentiens, subscripsi.*

Temporibus prædicti Regis Garziæ monasterium istud dedicatum est in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli, ut constat ex diplomate Uxacæ, Ferdinandi Regis & Lantiæ Reginæ filiæ, Dato II. Idus Martii Era CXXXVII. In quo quidem diplomate fit mentio trium insuper monasteriorum, nempe *S. Joannis*, intra munitionem muri Legionensis siti, *S. Adriani* in Montanis, & *S. Joannis*, quod vocatur Virvio in Asturiis. Ita Sandovallius.

CAPUT LVII.

Prioratus S. Sepulcri, Ord. Cluniacensis, in d. Tricassina, in Gallia.

PRioratus *S. Sepulcri*, octavo ab urbe Tricassina lapide situs est, cujus prima fundamenta jecit *S. Aderaldus* Tricassinæ quondam Ecclesiæ Canonicus & Archidiaconus, qui animam cælo dignam exhalavit an. 1004. ut in veteri chronico cœnobii S. Petri Vivi Senonensis memoratur. Cum quo facit & Chronicon Roberti monachi Autissiodorensis, quod anno 1005. in publicum Trecis emissum est. Cum enim ipse *Aderaldus* sive *Adroldus* aut *Arraldus* Jerosolymi-

lymitanum iter, gloriosi & augusti Christi sepulchri visendi gratia, dare Deo absoluisset, sacram dictam ædem, ut peregrinationis suæ monumentum esset, instituit, in quo hodieque sacræ dignissimi omni veneratione ejus corporis reliquiæ asservantur, festusque ejus dies in diœcesi Tricassina 20. Octobris agitur. Ita Nic. Camuratius in Antiquitatibus Trecensibus.

CAPUT LVIII.

S. Pauli Cœnobium, in urbe Ultrajectina, olim in Monte sancto situm milliari uno ab Amersfurto, ditionis Ultrajectinæ oppido.

ANno Domini nongentesimo nonagesimo quarto, defuncto Balduino Pontifice Trajectensi, Anfridus cum pridem ex seculari Comite clericus esset attonsus, nunc Ecclesiæ Trajectensis decimus octavus est ordinatus Episcopus. Hic de nobili genere Caroli Magni progenitus, fuerat prius Comes Hoyensis, Teysterbandiæ, Bratuspantiæ, & Dominus de Holtena, (vulgo Altenæ.) Is Comes Anfridus solitus erat residere in territorio suo Driel apud Bommel, quia erat Dominus fere illius insulæ. Et habuit nobilem ac devotam uxorem, (*eam alii* Hilsmondam, *alii* Hilsindem *nuncupant*) quæ nocturnis horis sub silentio de castro descendere consueverat, viro suo ignorante quo iret. Quod attendens quidam domino suo familiaris, dixit ei; Ecce domina nostra comitissa omni nocte sola exit è castro sub silentio, & nescio quo; forte ad illos, quos in secreto cordis sui nequiter amat, ut amori suo satisfaciat. Quod audiens Comes observabat callide excubias, ut sciret quo iret, ac tantas faceret moras. Et ecce quadam nocte secundum suam consuetudinem in profunda noctis caligine descendit de castro, & ipse cœpit silenter ire post vestigia ejus. Et ecce vidit eam ante fores capellæ sub sambuco genibus provolutam, atque ipsam diutissime ac devotissime ibidem in oratione persistentem. Et statim vidente Comite totus aër firmamenti circa eam tanto lumine radiabat, ac si luna suo splendore tota splenduisset. Quod videns Comes valde expavit, & de cetero magno honore & amore eam excoluit. Is denique cum uxore sua seculum reliquit, & attonsus est in Ecclesiasticum. Idem inspirante Deo, ad instantiam Notgeri Leodiensis Episcopi, dedit Comitatum Hoyensem Ecclesiæ Leodiensi, & Otho Secundus Imp. confirmavit. Insuper Comitatum Teysterbandiæ, & Bratuspantium donavit ad usum Ecclesiæ Trajectensis. Item dedit adhuc alias terras Ecclesiæ Trajectensi de quibus dedit tales literas.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, operæ pretium duximus, quæ subsequuntur scriptis inserere, ne posteros lateret, quod præsens ætas faceret. Quapropter desideramus notum esse cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam modo præsentibus, quod ego Anfridus, Dei solummodo gratia sanctæ Trajectensis Ecclesiæ Præsul, indignus jure, confisus in Domino cum transitoriis acquirere perennis vitæ gaudia, quandam mei juris hereditatem, quam antea potestative possederam, infra Comitatum Rien nuncupatum, quorum locorum hæc sunt nomina, Westerlo, Odlobolo, Nierbeke, Hoybeke, Burente, pro me, meorumve parentum remedio, cum omnibus ad hæc pertinentibus Ecclesiis, ædificiis, agris, mancipiis, pascuis, pratis cultis & incultis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, trado ad Ecclesiam S. Mariæ semper Virginis, sanctique Martini in Trajecto, ad restaurandum ibidem Dei servitium. Si quis hujus rei traditionem infregerit, laqueum omnipotentis Dei iræ, ejusque genitricis Mariæ, sanctique Martini incidat, & quasi profanus à sanctæ Ecclesiæ liminibus sequestratus exiftat. Et ut verius credatur firmiusque observetur, sigilli nostri impressione propria manu designavimus.

Et infra: Anno millesimo quinto Ansfridus Episcopus Trajectensis, tanquam filius castigatus & dilectus Deo, oculorum suorum lumen amisit, & venerabile collegium ordinis S. Benedicti supra Montem sanctum prope Amersfordiam, in honorem S. Dei genitricis construxit, in quo sacræ religionis habitum suscepit, & ad vitæ suæ terminum devotissime perduravit. Obiit autem anno Domini millesimo octavo, V. Nonas Maji, ac sepelitur in eodem monasterio, postquam Episcopatum Trajectensem sapienter gubernasset annis XIV. Igitur post dormitionem Anfridi, Adelboldus natione Friso XIX. electus, est Episcopus.

Et infra iterum: Anno millesimo vicesimo septimo, V. Kal. Decemb. Adelboldus Episcopus migravit ad Dominum. Post hunc Bernoldus vicesimus ordinatus est Episcopus. Is Abbatiam reverendi patris Anfridi de Monte sancto Trajectum transtulit, ubi conventualem Ecclesiam in honore S. Pauli condidit. Anno Domini millesimo quinquagesimo quarto XIII. Kal. Augusti Bernoldus migravit ad Dominum, *sic Joannes Leidanus Carmelita in manuscriptis Hollandiæ Chronicis. Eadem tradunt Joannes Becanus, & Guilielmus Heda Ultrajectensis Ecclesiæ Historiographi.*

Libet his subjungere, quæ de hujus cœnobii initiis ac progressu, nobis vir pius atque eruditus Ultrajecto transmisit. Dominus Anfridus, ut Sigebertus habet in Chron. An. 997. secundum seculi dignitatem Comes Teysterbandiæ, Bratuspantium, & Hoyensis, & Dominus de Altenæ, uxorem habuit Hilsmondam; qui postea divino nutu in XVIII. Episcopum Ultrajectensem

fem promotus, conftruxit in loco Hohorft, prope Amorsfordiam collegium Ord. S. Benedicti, in honorem Dei genetricis Mariæ, tulitque duodecim monachos ex S. Viti martyris Gladbacenfi monafterio, & inftituit Dominum Weringerum, doctum pariter & pium, primum Abbatem, & liberaliffime dotavit, anno CIↃ. VI. ipfo dedicationis die, fcilicet XIV. Kalend. Decembris. Qui Anfridus & habitum religionis in Monte S. Mariæ fufcepit, & vitam devotiffime finivit an. CIↃ. VIII. vel ut aliqui volunt CIↃ. IX. v. Nonas Maji. Itaque Weringerus Abbas fuit in monte fancto, & claruit an. CIↃ. XXVIII. cui Anfridus Epifcopus multa bona, ut fupra dictum eft, tradidit, & Adelboldus itidem Epifcopus decimas.

Adelbertus II. Abbas in Monte fancto claruit anno CIↃ. L. Huic Bernoldus feu Bernulphus Epifcopus dedit bona, & monafterium in urbem Ultrajectinam tranftulit anno Domini CIↃ. L.

Geruicus tertius Abbas, & primus monafterii S. Pauli, claruit anno CIↃ. CXVI. fub Burchardo & Godebaldo Epifcopis.

Bartoldus fecundus Abbas S. Pauli claruit fub Godebaldo Epifcopo, an. CIↃ. CXVII. Et fic alii ex ordine Abbates, ufque ad Dominum Gerardum à Mierlo, qui XXXVI. Abbas, obiit anno CIↃ. IↃLXXXIV. *Hactenus ille.*

Quod ad Thorenfe *monafterium*, *Ansfridi pariter opibus fundatum*, *attinet*, *eft illud hodie nobiliffimarum virginum Canonicarum illuftre ac potens collegium*, *in vico Thoren*, *qui fefquimilliari diftat à Mafeica ditionis Leodicenfis ad Mofam fl. oppido*, *fixam habens fedem. Quibus quidem virginibus*, *in facris muneribus obeundis fubferviunt fex Canonici feculares*, *ampliffime itidem dotati. De Thorenfis hujus monafterii initiis ita legitur in Chronico Leodicenfi*, *à monachis Aureæ vallis confcripto:* Ab Anfredo Comite, de confilio Notgeri Epifcopi Leodienfis, fundatum eft cœnobium monialium in villa, quæ dicitur Turne, quam tenet Comes Brabantinus à Leodienfi Epifcopo. Hic Anfredus in Epifcopum inferioris Trajecti per Deum electus, fuam conjugem Hilfindem in Turne conftituit, ubi filia eorum Benedicta primo regimen animarum fub regula B. Benedicti fufcepit, & ibi fepultæ funt. Notgerus Comitatum Hoyenfem Leodienfi Ecclefiæ ab Anfredo Comite acquifivit, & ea quæ Otho. Imp. habebat ibi, acquitavit Epifcopo, & anulo privilegium figillavit.

S. Jacobi Cœnobium, in infula Mofæ fluminis, intra muros urbis Leodicenfis.

OLbertus (quem Trithemius lib. de Script. Ecclef. Albertum nuncupat) Abbas IV. Gemblacenfis, Ledernæ in confinio pagi Sambrenfis natus puer in cœnobio Laubienfi liberalibus artibus, ac difciplina monaftica, ab Herigero ejus loci Abbate, eft inftructus. Poft Lutetiæ Parifiorum, in cœnobio fancti Germani, deinde Tricaffinæ ftudiis triennium operam dedit. Sed & Fulberti Carnotenfis Epifcopi auditor fuit. Ex Gallia ad Laubienfe cœnobium fuum reverfus, ibidem magna pietatis ac doctrinæ gloria floruit. Cumque ea tempeftate Burchardus Wormatienfibus datus effet Epifcopus, is à Baldrico, eo nomine fecundo Leodicenfi Epifcopo, petiit, ad fe mitti aliquem, cujus opera ac præfidio ulteriores facris in litteris progreffus facere poffet. Miffus eft itaque Wormatiam Olbertus, qui Burchardum diligentiffime inftituit. Quantum vero is ex Olberti doctrina profecerit, ex actibus ejus æftimandum erit; de quo fatis conftitit, quod illa ætate in Scripturarum eruditione unice claruerit. Quod vel in hoc probari poterit, quod opus fanctæ Ecclefiæ nimis utile elaboravit, dum Olberto dictante & magiftrante, magnum illud Canonum volumen centonizavit, & quafi collectis floribus omniformis generis de prato fcripturarum, coronam pretiofiorem auro & topafio, in edito Ecclefiæ collocavit. Olbertus Wormatia Laubium reverfus, à Baldrio Epifcopo fupra nominato, paullo poft evocatur, & Gemblacenfis Abbas conftituitur, confecraturque XI. Kal. Octob. an. millefimo duodecimo. Utque erat vir facris profanifque apprime eruditus, Bibliothecam infignem, at alter Philadelphus Gemblaci inftruxit, plurimis cum divinarum, tum humanarum difciplinarum libris comparatis. Scripfitque inter cetera hiftoriam vitæ & translationis fancti Veroni confefforis, rogante Raginero Hanoniæ Comite. Ceterum cum ea tempeftate, S. Jacobi cœnobium in infula Mofæ fl. apud Leodicenfes, patrimonii fui ære fundaffet idem Baldricus II. Epifcopus, ipfoque vivis erepto cœnobium iftud nemini adhuc commiffum effet, Guolbodo ejus in Epifcopatu fucceffor, illud Olberto regendum tradidit, qui primus ibi monachos congregavit, & Leodicenfi, fimul & Gemblacenfi cœnobiis, ad ufque vitæ exitum, laudatiffime præfuit, mutatis fæpe vicibus, nunc Gemblaci, nunc Leodici refidens. Cumque Gemblacenfi annos triginta feptem, Leodicefi vero cœnobio annos circiter triginta præfuiffet, Leodici demum obiit II. Idus Julii, anno millefimo quadragefimo octavo, ibidem ad D. Jacobi conditus, hac infcriptione.

Hic jacet Abbatum fpeculum, *decus & monachorum*,
Abbas Olbertus, *flos*, *paradife*, *tuus.*
Præfuit Ecclefiis normali tramite binis,
Legia corpus habes, *Gembla carendo doles.*

Hæc

Hæc ex manuscripto Abbatum Gemblacensium catalogo, à Sigeberto chronographo & monacho Gemblacensi conscripto, hausimus; quem pro suo in nos adfectu nobis transmisit Illustris & Reverendus D. Ludovicus Sonbecbus, Abbas & Comes Gemblacensis.

Sigebertus porro Gemblacensis in Chronico suo tradit hoc cœnobium à Baldrico an. Christi millesimo decimo quarto fundatum. Quæ autem in stituendi ejus caussa seu ratio fuerit, breviter narrat Rodulphus Abbas Trudonensis, in manuscripto sui cœnobii Chronico: Anno Domini CIↃ. XIII. Baldricus Secundus Leodiensis Episcopus, ad arcendum maleficos, cœpit ædificare castrum apud Hugardis villam, quæ est allodium Ecclesiæ S. Lamberti, intra Brabantiam ad confinia sitam. Cui obsistente Lamberto Barbaro, Lovaniensi Comite, conflictu belli commisso, Episcopus, cæsis suorum trecentis, vincitur; qui Leodium rediens, de suorum strage læsam conscientiam habens, consilio discreti viri N. Episcopi ex Italia venientis, ad placandum omnipotentem, pro redemtione animarum occisorum, cœnobium fundare devoverat. Sequenti igitur anno voti compos, intra muros civitatis, in insula, cœnobium in honorem S. Jacobi Minoris ædificavit, ad quod idem Comes Lambertus de proprio allodio, pro satisfactione, larga dotalitia contulit; ubi & primus Abbas Olbertus nomine præfuit *Et paullo infra.*

Anno Domini CIↃ. XVII. Baldricus secundus obiit, & in crypta monasterii S. Jacobi, quod ipse fundaverat, sepelitur. Cui Wolbodus succedens anno eodem, cœnobium præfatum nuper inceptum, mandato Henrici Imperatoris, perfecit, qui in Episcopatu quinque (*alii* tribus) annis præfuit.. *Hactenus ex Chronico Trudonensi.*

S. Laurentii Cœnobium, apud muros urbis Leodicensis.

DE bujus cœnobii institutione ita Sigebertus Gemblacensis in Chronico: Anno CIↃ. XXV. Ragignardus Leodicensium ordinatur Episcopus, qui Leodii in monte publico cœnobium S. Laurentii instituit, eique Stephanum Abbatem primum præfecit. *Longe tamen vetustius esse hoc cœnobium patet ex historia vitæ Notgeri Leodicensis Episcopi, quam ex tabula membranea, ad D. Joannis Evangelistæ Leodici pendente, descriptam, in suo Itinerario Belgico edidit Abrahamus Ortelius. In ea autem sic legitur:* Eraclius fundamenta monasterii B. Laurentii, juxta muros Leodienses, jecit. Itaque seriatim fiebat opus, jamque ex parte surrexerant à fundamento murorum parietes. Opus itaque inceptum per Eraclium, eo defuncto permansit imperfectum, donec Notgerus, qui successit, Episcopus, æquatis tamen parietibus murorum, tectum superponi fecit. *Est itaque cœnobium hoc primum ab Heraclio (qui anno circiter nongentesimo sexagesimo creatus Episcopus, obiit an. nongentesimo septuagesimo primo) incboatum; post à Notgero, qui Heraclio immediate in Episcopatu succedens anno millesimo septimo obiit, auctum; à Guolbodone item Episcopo ædificiis exornatum (ut alibi me legere memini) ac demum à Raginardo perfectum absolutumque. Obiit autem Notgerus anno Christi millesimo septimo, Raginardus vero anno millesimo tricesimo sexto.*

Manuscriptum porro Chronicon Leodicense notat Stephanum, quem Virdunensem nominat, à Raginardo Episcopo, ad preces Hermanni Comitis, & post monachi S. Vereni, Abbatem primum fuisse creatum, eumque nemora propter latronum insidias succidisse, & annis tribus ac viginti præfuisse.

Florinense Monasterium, in finibus agri Leodicensis, sesquimilliari à Philippopoli, Hannoniæ opido situm.

CAmeracenses inter Episcopos Gerardus, eo nomine primus, enituit, qui apud Florinas patre Arnulfo, viro nobilissimo, ejusque tractus Domino natus, Florinense istud cœnobium, in honorem S. Joannis Bapt. suo ære construxit. De quo Chronographus Cameracensis lib. 3. Gerardi, *inquit*, Episcopi patre defuncto, ipse Dominus Episcopus apud Florinas, pro reverentia siquidem loci, quo natus fuerat, imo & pro salute animæ patris, & monasterium S. Gingulfi (a) quod pater imperfectum reliquerat, ad finem perduxit, & alterum S. Joannis, ex rebus suis & fratrum suorum, non tam pulchra ædificiorum, quam forti operositate fundavit. Sed hoc quidem clericorum, illud vero monachorum, utrumque annuente Baldrico Leodicensium Episcopo, in cujus parochia sunt, consecravit. Denique illa Abbatia Domini Abbatis Richardi (b) regimonio commendata, sed & magni Imperatoris (Henrici) auctoritate firmata, cœpit florere, ac postea magis magisque, Deo gratias, tam affluentia rerum, quam sanctitate monachorum effloruit. *Hactenus ille.*

De bujus item cœnobii origine legitur in manuscriptis Leodicensium Chronicis, à monachis Aureæ vallis olim concinnatis. In diebus Notgeri Episcopi Leodiensis Ecclesia S. Gengulphi martyris in Florinis incœpit per Arnulphum de Ruminaco. Qui Arnulphus duos habuit filios, Godefridum scilicet & Gerardum Cameracensem Episcopum. Hic Gerardus sciens beatum Joannem Baptistam apparuisse devoto viro, conquerentem quod non fiebat sibi Ecclesia, sicut

(a) *De S. Gingulfo, seu Gengulfo vide Molanum in Natal. SS. Belgii Maji XI.*

(b) *Richardus iste fuit primum Abbas S. Vedasti apud Atrebates, post Laubiensis à Gerardo Episcopo constitutus.*

ſicut multis aliis Sanctis, in Epiſcopatu Leodienſi, ex voto fecit eidem de patrimonio ſuo cœnobium de Florenes.

Porro Gerardus iſte I. Cameracenſis Epiſcopus obiit an. Chriſti milleſimo quadrageſimo octavo, teſte Jacobo Guiſiano in MSS. Hannoniæ Cronicis.

Ceterum ex Cameracenſis Chronographi verbis effici videtur, in Florenſi cœnobio primum clericos, non monachos, à Gerardo Epiſcopo collocatos eſſe. Quibus conſonant manuſcripta Sigebertini Chronici exemplaria Gemblacenſe & Lipſianum, in quibus ſic legitur: Anno milleſimo decimo in cœnobio Florienſi, pro clericis, qui ad hoc usque tempus Deo ſerviebant ibi, monachi ſunt conſtituti. Anno milleſimo decimo quinto Baldricus Epiſcopus Florinenſem Abbatiam acquiſivit ei, cui præerat, Leodicenſi Epiſcopatui.

CAPUT LIX.

Mons monachorum, extra muros urbis Bambergenſis.

ABbatiam hanc ampliſſimam an. 1008. aut circiter in honorem S. Michaelis Archangeli, excitavit S. *Henricus* Imp. ejusque conthoralis S. *Cunigundis:* qui & Epiſcopatum Bambergenſem inſtituerunt ac dotarunt, teſte Bruſchio.

S. Udalrici monaſterium in urbe Auguſtana.

S. Udalrici cœnobium, intra Auguſtanæ urbis mœnia, verſus meridiem, ſublimi & auguſto loco ſitum, ex D. Afræ vetuſtiſſimo templo in monaſterium converſum eſt ab ipſo S. *Ulrico* Auguſtano Epiſcopo, poſt cæſos ibi ab imperatore Othone Magno Hunnos anno Domini 965. Inſtituit vero S. Ulricus ibi Canonicos primum Regulares; poſtea vero à *Brunone* Epiſcopo, Imperatoris Henrici ſecundi germano fratre Abbatia Benedictinorum monachorum, ejectis Canonicis, inſtituta, S. Ulrico auguſtum templum dedicatum eſt, quod prius S. Afræ exiguum tantum fuerat ſacellum, idque factum legitur anno Chriſti 1012.

Weichenſtephenſe monaſterium, in d. Friſingenſi.

POſitum eſt hoc monaſterium in excelſo monte prope Friſingam, ubi olim fuiſſe dicitur caſtrum Pipini, Galliarum & Alemanniæ Regis, in quo poſtea etiam Carolomannus habitavit. Mons ille dictus eſt *Fetmons* ſive *Thetonis mons*, cujus ampliſſimæ foſſæ arcis magnificentiam adhuc hodie ſatis oſtendunt: Hoc caſtrum poſtea anno 746. à *Marſilio* Svevorum Rege everſum eſſe, hiſtoria monaſterii tradit; ſed Aventinus lib. 3. meminit *Landfridi* & *Diepoldi* Ducum Sveviæ, qui cum Utilone circa Lycum multa bella geſſerint; ſed de Marſilio Rege & de vaſtatione caſtri Teſtmons, nihil.

In hoc loco *Hitto* Epiſcopus Friſingenſis conſtituit Præpoſitum cum ſex Canonicis circa annum Domini 830. Poſt annos vero 200. imperante S. *Henrico* ſecundo, Egilbertus Epiſcopus Friſingenſis, ex familia Comitum Moſpurgenſium, eundem Præpoſitum cum ſuis Canonicis tranſtulit in umbilicum montis ad monaſterium S. *Viti*, quod ipſo fundavit, & loco ipſorum inſtituit ordinem D. Benedicti, & monaſterium S. Stephani protomartyris conſtruxit, circa annum 1021. conſtituto ibi primo Abbate *Arnolpho*. Epiſcopus *Hitto* ſepultus eſt in Eccleſia cathedrali in crypta, tranſtulitque Friſingam corpora *Alexandri* Papæ & Martyris, *Juſtini* Cardinalis, & *Nonnoſii* monachi, de quo ſcribit B. Gregorius in Dialogis. Imperator Henricus ſanctus donavit monaſterio Weichenſtephenſi, ad preces Egilberti Epiſcopi caſtrum *Saxaganck* in Auſtria, cum ſuis attinentiis: pro quo Engelbertus per commutationem monaſterio didit villam *Hegelhauſen*. In diplomate Henrici Imperatoris ſunt hæc verba; *partem cujusdam inſulæ Sahſonaganc, &c. in provincia Orientali & in Marchia Adelberti Comitis ſitæ, anno Domini* 1021. *ſic fere Hundius.*

CAPUT LX.

Tinecenſe & Lubenſenſe monaſteria in Polonia.

ILluſtria hæc Poloniæ monaſteria, originem ſuam debent *Caſimiro* ejus nominis primo Regi Poloniæ, qui olim in Cluniaco monachus fuerat, non modo religionem profeſſus, ſed etiam ordine diaconus. Atque hunc quidem Poloni, profeſſionis & Sacramenti religione à Pontifice Romano ſolutum, advacans majorum ſuorum regnum revocarunt, qui ducta uxore & liberis procreatis cum annos octodecim regnaſſet, Poſicaniæ an. 1058. vivere deſiit. Ceterum de utriusque monaſterii ſupra nominati fundatione ita Martinus Cromerus lib. 4. de Rebus geſtis Polonorum.

Para-

Parato per circuitum regno Casimirus memor pristinæ conditionis, & vitæ monasticæ, victoriamque contra Maslaum atque barbaros divino beneficio acceptam referens, Cluniacum ubi monachus fuerat legationem cum amplis muneribus mittit, benignitatem erga se Dei prædicat, sodalitati universæ se suosque commendat, aliquot monachos ad se mitti postulat, qui sectæ illius, quasi colonias quasdam in Poloniam deducant, mittuntur duodecim. His partim Tineciam arcem, uno à Cracovia milliario supra Vistulam cum centum amplius pagis: partim Lubensium opidum ad Odram situm, cum compluribus itidem pagis & pro ventibus aliis attribuit, domicilia monachis exstruxit, atque templa eaque perampla, supellectili ad cultum divinum apta, ornavit. Fuit autem primus Abbas Triverensis, Aaron Gallus, cujus integritas, pietas & industria Cluniaci adhuc Cazimiro perspecta erat. Atque is deinde Rachelino sexto Archiepiscopo sive Episcopo Cracoviensi vita defuncto à sacro ejus basilicæ collegio postulatus septimus successit, regis favore & commendatione adjutus, decimas, quæ ex bonis, Tivecensis monasterii Episcopo Cracoviensi præbebantur Abbati & monasterio jure sempiterno addixit & adscripsit: diæcesim psalmodiis & precationibus, iis, quæ Graduum vulgo dicuntur, oneravit. Multa item alia Cazimirus Rex fecit & instituit, quæ ad religionis & reip. instaurationem pertinere existimabat: pace perpetua post Maslaicum bellum fatigatam superioris temporis malis Poloniam mirum in modum recreavit, eoque Instauratoris pacifici cognomentum meruit.

CAPUT LXI.

Sacri Sepulchri Dominici Cœnobium, in urbe Cameracensi.

ANno Christi millesimo quadragesimo septimo, cum pestis acriter Cameraci sæviret, Gerardus eo nomine primus, ejus urbis Episcopus, novum extra muros urbis cœmiterium constituit, ut peste sublati, quibus vetera cœmiteria vix sufficiebant, in eo sepelirentur. Eodem in loco & sacellum in honorem sancti Nicolai, atque in sacri sepulcri Dominici memoriam exstruere cœpit, morte tamen præventus, perficere non potuit. *Tradit hæc Jacobus Guisianus in manuscriptis Hannoniæ Chronicis.*

Ceterum Lietbertus, Gerardi in Episcopatu successor, incohata perficiens, cœnobium eo ipso in loco fundavit an. millesimo sexagesimo quarto, teste Meyero in Annalibus Flandriæ. De his rebus ita legitur in historia vitæ B. Lietberti, quæ manuscripta isto in cœnobio adservatur: Cum Lietbertus vix impetrata dimissione, Hierosolymam tenderet, comites habuit fere ad tria millia, tanta coeunte copia populi, ut exercitus Domini diceretur. Ductus tamen per varia loca, & reductus, spe videndi sepulcrum Domini frustratus est, fraude nautarum declinantium insidias paganorum. Ceterum reversus, ex consuetudine nudis pedibus noctu Ecclesias & cœmiteria circuibat, pro se, suis & defunctis Dominum exorans. Inter quæ loca erat oratoriolum Dominici sepulcri. Cum enim fames Cameraci multos enecaret, ut urbis cœmiteria non sufficerent, Gerardus Lietberti antecessor, extra muros cœmiterium, & Ecclesiam in honorem Dominici sepulcri pro sepultura pauperum & peregrinorum consecravit. Ubi Lietbertus magistri animatus exemplo, ampliori schemate monasterium construxit, quod ampliatis mœnibus intra urbem est inclusum, ubi etiam ante quinquennium, quam vita discederet, effodi sibi sepulcrum fecit. *Obiit autem B. Lietbertus anno millesimo septuagesimo sexto, conditusque est in hoc cœnobio à se constructo, itemque in tumulo jam pridem sibi parato; post ab Alberico Remorum Archiepiscopo, anno millesimo ducentesimo undecimo in locum honorificentiorem translatus. Vide Molanum in Natalibus Sanctorum Belgii.*

Præpositura Capellensis in urbe Bruxellensi.

AB isto S. Sepulcri cœnobio dependet cella, seu Præpositura, ut vocant, B. Mariæ Capellensis, olim extra, nunc intra muros urbis Bruxellensis sita, quam monachi aliquot, è Cameracensi S. Sepulcri cœnobio evocati, sub unius Præpositi regimine, obtinent, & sacra officia in Capella B. Mariæ (sic istam Bruxellensis urbis parœcialem basilicam vulgo nuncupant) ex instituta peragunt. Hujus Præpositura auctor fuit Godefridus I. cognomento Barbatus, Lothamingiæ ac Brabantiæ Dux, qui obiit anno 1140. *cum annos* 44. *imperasset, cujus diploma hic vides.*

In nomine Domini nostri Jesu Christi, ego Godefridus Lotharingiæ Dux, ab Ecclesiarum Doctoribus intelligens omnium hominum salutem, ab eleemosynarum largitione plurimum constare. Principibus vero hujus seculi, utpote, qui amplius acceperunt à Deo, ut retribuant ei ad ipsum magis congruere: eo quod eleemosyna peccatum exstinguat, & animam vivificet, & quia Prophetæ Danielis testimonio Rex quondam ille eleemosynis à peccatis redimi potuisset, si tam acquievisset. Doctrinis horum & exemplis operam dedi, & quorumdam fidelium meorum salubri usus consilio, quæ aure perceperam, opere adimplere curavi. Denique caussa salutis animæ meæ patrumque meorum, ac filiorum, allodium quoddam meum, Bruxellæ opido adjacens, & capellam in eo, ad honorem Dominici Sepulcri, Dominique genitricis Mariæ constructam, cum omnibus suis appenditiis Parvino Abbati, ac monachis S. Sepulcri Cameracensis Ecclesiæ, in eleemosynam dedi; in tantum videlicet libere,

bere, ut nullus clericorum, ſive laicorum, aut potentum, illud omnino in perpetuum violare præſumat, ut ſui juris aliquid ex eo vendicare queat: ea tamen conſideratione, ut ibidem Deo, & ejus genitrici, die noctuque obſequia divina impendantur, nec non & obitus mei memoria, in prælibata capitali Eccleſia, à fratribus annualiter habeatur. Et, ut hæc donatio mea in æternum inconvulſa permaneat, ſigilli mei impreſſione, ac legitimorum teſtium ſubſcriptione confirmo & corroboro. ☩ Signum Godefridi Ducis. ☩ Signum filiorum ejus Godefridi & Henrici.

S. Andreæ Cœnobium, in Caſtello Cameraceſii, quinto lapide à Cameraco.

COenobium iſtud in Caſtello Cameraceſii (quod opidum eſt ditionis Cameracenſis) ſitum, à fundamentis incohavit, & anno milleſimo viceſimo primo dedicavit Gerardus, eo nomine primus, Cameracenſis Epiſcopus, ejusque ſucceſſor Lietbertus perfecit, ut ejus loci monumenta teſtantur.

Quieſcunt iſto in cœnobio S. Maxellendis Virgo & Martyr, itemque S. Sarius presbyter, quorum reliquias idem Gerardus Epiſcopus Cameraco honorifice iſtuc tranſtulit. Vide Molanum in Natalibus Sanctorum Belgii.

CAPUT LXII.

Cavenſe monaſterium, in regno Neapolitano.

CAvenſe S Trinitatis monaſterium in Metelliana Cava, ſeptimo à Salerno milliari, conſtructum eſt à S. *Alferio*, primo illius loci Abbate, circa annum 1050. ut Joannes Capuanus Abbas in hujus vita tradit. Ab hoc monaſterio nomen habuit Congregatio Cavenſis, illo in tractu olim celebris. Vide Wionum lib 5. Ligni Vitæ cap. 11.

CAPUT LXIII.

S. Martini de Campis monaſterium, in urbe Pariſienſi.

HEnricus eo nomine primus Rex Galliæ anno 1056. cœpit inſtaurare ac reædificare monaſterium S. *Martini de Campis*, tunc extra, nunc intra muros urbis Pariſienſis ſitum: ut Guilielmus Nauſiacus in ſua Chronographia, & Gaguinus lib. 5. teſtantur.

Anno 1060. diploma dedit, in quo hæc inter alia leguntur. *Ante Pariſiacæ urbis portam in honore Confeſſoris Chriſti Martini Abbatia fuiſſe dignoſcebatur, quam tyrannica rabie (quaſi non fuerit) omnino deletam ab integro ampliorem reſtitui, Canonicos regulari converſatione ibidem Deo famulantes attitulavi:* Et paullo poſt: *Canonici etiam hanc poteſtatem habeant, ut Abbate obeunte, aſſenſu fratrum, boni teſtimonii virum, nemine perturbante reſtituant.* Ex his conſtat ante Henrici I. tempora fuiſſe hoc in loco monaſterium Abbatiale, quod cum inſtaurandum curaſſet, Abbatem & Canonicos regulares ordinis S. Auguſtini in eo collocavit.

Hos, anno 1079. amovit *Philippus I.* Rex Henrici filius, & monaſterium ipſum S. *Hugoni* Abbati tunc Cluniacenſi ſubjecit. Atque ex eo tempore Martinianum hoc monaſterium cœpit eſſe Prioratus à Cluniacenſibus dependens. De monaſterio iſto plura qui volet, legat librum cui titulus *Martiniana*, Pariſiis ſine nomine auctoris, anno 1606. excuſum, & Jacobum Breulium libro de Antiquitatibus Pariſienſibus.

CAPUT LXIV.

Grandimontenſis Abbatia, in d. Lemonicenſi.

POſt reformationem Cluniacenſem annis fere centum, ſurrexit, & alia ordinis monaſtici in Gallia, reſtrictio, à monte, in quo inchoata eſt, *Grandimontenſis* vocata. Hæc agente S. *Stephano* Abbate, legitur propagata. Natus Stephanus in Arvernia nobilibus parentibus, patre Stephano, Mureti oppidi domino (quod eſt in ſuburbano Lemonicenſi, à quo & familia Mureta, ut refert, Franciſcus Bencius in laudatione funebri M. Antonii Mureti, nomen accepit) ad Milonem Beneventanum Archiepiſcopum, in lege Domini, & monaſtica diſciplina, erudiendus miſſus eſt. Hic ſpatio duodecim annorum probe edoctus & inſtructus cum fuiſſet, deſiderio eremiticæ vitæ inflammatus, diſceſſit, & multis eremis peragratis, locum tandem aliquem, quo liberius Deo vacare poſſet, ſibi deligere cupiens, patriam repetiit, Muretum montem aſcendit, eumque ſuo deſiderio & voto aptum inveniens, pedem ibi fixit, & parvo tuguriolo conſtructo, ibidem monaſticam eremiticamque ſimul vitam aſperrimam ducere cœpit, anno Chriſti Salvatoris 1006. Panis ei obſonium, potus aqua, requies nudæ tabulæ, veſtes viles & leves, quas nullo calore minuebat, nullo frigore perangebat, indumentum fuiſſe perhibentur. Talibus armis per quinquaginta annos diabolo devicto,

cto, carne domata, & mundo triumphato, plurimis monachis, sanctitatis suæ fama, miraculorumque gloria allectis, & præceptis ad S. Benedicti regulam optime informatis, congregationem suam inchoavit. Hanc cum aliquot annis sancte & sapienter rexisset, tandem pietate mirificus in Domino quievit anno, qui erat ab ejus nativitate 1059. ætatis suæ 80. & in monasterio suo sepultus, apotheosi donatus est, ad Idus Februarias festo dicato. At non multo post tempore, divino monitu *Petro* Abbati, ejus successori, facto, monachi in eum, quem nunc habitant, Grandimontensem locum migrarunt: à quo, & monasterio, quod tunc novum construxerunt, in eoque *S. Stephanum*, quem secum asportaverant, condigno honore sepelierunt, & toti congregationi nomen aptatum.

Prioratus conventuales à Grandimontensi Abbatia, ordinis capite dependentes.

ESpoissæus, in diœcesi Catalavensi. *De Expoisse.*
Fayensis, in tractu Nivenensi, ad Ligeim. *De la faye, en Nivernois.*
S. Mauritii, in d. Senonensi: *de S. Mamire*, alias *Vieux pont, vers Sens.*
Dymonensis, in d. Senonensi. *De Dymon* alias *Lensourche, vers Sens.*
Castronovanus, in d. Bituricensi. *De Chasteanneuf en Berry.*
Hajius, sive Hayensis in d. Andegavensi. *De la Haye, en Anjou.*
Primauderius sive Primauderiensis, ibidem. *De la Primanderie, en Amjou.*
Monguidonus sive Monguidonensis, in d. Cenomanensi. *Monguidon, an Mayne.*
Berseyus, ibidem *Bersay*, an Mayne.
Grandimontensis, ibidem. *Gravimont, au Mayne.*
Villerius, in d. Turonensi. *Villiers pres Monthezor.*
Bosrahierus, ibidem. *Bosrahier, pres le Bourg S. Averin sur Cher.*
Pomeregrensis, ibidem. *Pomieregre pres Chinon.*
Puteocraprarius, in d. Pictonensi. *Puycheurier en Poicton.*
Chesnogalonensis, in d. Sagiensi. Chesnegallou, vers Sees.
Bellomontanus, in d. Ebroicensi. *Beaumont, à Eureux.*
Grandimontensis, apud Potomagum. *Grammont pres Ponen.*
Loyensis seu Louyensis, apud Dordanum Belgiæ opidum. *Louye pres Dourdan.*
Bolonens sive Boloniensis, in tractu Blesensi. *Boulogne, pres, Chamboit vers Blois.*
Razans, in d. Meldensi. *Razarii pres Meaux.*
Chavanonius, in d. Claromontana. *Chavanoy au diœcese de Clermont.*
Bonorum hominum monasterium, in nervore Vicenarum apud Parisios. *Les Bonshommes, du Bois du Vincennes.*
Maynelensis, in saltibus Escovanis: *Du Maynel, dans la foret d'Esconan.*
Montherbedoensis, in d. Magalonensi sive Montis Pressulani. *Montherbeidu diœcese de Magnelone, on Montpellier.*
Francouensis, in d. Cadurcensi. *Francou, au diœcese de Cahois.*
Pinellus seu Pinelensis. *Pinel au d. de Tholose.*
S. Martialis, in d. Tudelensi. *De S. Martial de Tudelle, en Navarre.*
Er Fordiensis, apud Eboracum Angliæ urbem. *d'Erford, du diœcese d'Toick.*
Auberbisterensis, alias Grandimontensis, in Anglia. *Aubercister en Angleterre.*
Ita Choppinus lib. 2. Monasticor. tit. 1.

De Fratribus & monachis Grandis Montis fuse agit Jacobus Vitracius cap. 19. historiæ Occidentalis. Est inquit, *altera fratrum Religio seu regularis institutio, quæ de Grandimonte nominatur, quorum caput & originale monasterium in partibus est Aquitaniæ. Hi siquidem Grandismontis fratres à principio ordinis prudenter instituerunt, quod monachi spiritualibus & divinis officiis tantummodo intenderent, temporalium administratione & providentia laicis fratribus credita & relicta. Regulam autem & instituta Cisterciensis ordinis in aliis omnibus pene observant, excepto quod numquam carnes, postquam professionem fecerunt, de cetero licet eis manducare, quantacumque ægritudine prægraventur.*

Ordo & monasterium Vallis-Caulium, Gallice Le Priore du Grand Val de Choux, *in Ducatu Burgundiæ.*

VAllis Caulium sita est in silvis, inter Divionem & Augustodunum Ducatus Burgundiæ opida, in diœcesi Lingonensi, à qua ordo seu Congregatio quædam Reformata monachorum ordinis S. Benedicti nomen accepit. De cujus quidem origine agit Chassenæus in Catalogo gloriæ Mundi parte 4. consid. 58. Sunt autem in Burgundia Prioratus hujus ordinis circiter triginta: *Ut Vallis Benedicti* juxta Augustodunum, *Vallis-Crescens*, prope Sedelocum & alii. Sic fere Choppinus lib. 2. monasticor. tit. 2. §. 20.

De monachis Vallis-Caulium, (corrupte legitur Callium) sic Vitriacus historiæ Orientalis cap. 17. *Sunt alii fratres in Episcopatu Lingonensi, monachi Deo amabiles, & valde Religiosi, qui*

qui de Valle Callium nominantur. Hi Cistercienſis ordinis inſtituta victu & veſtitu & Divinis officiis & in omnibus aliis diſtincte & diligenter obſervant, excepto, quod cellulas modicas, cauſa majoris tranquillitatis & pacis ſibi conſtruxerunt, ut in eis, tempore meditationis, lectionis, orationis tanto devotius, quanto ſecretius clauſo ſenſualitatis oſtio intra cubiculum ſuum ſoli Deo vacare queant. Adeo autem ab omni exterioris curæ præputio, corda ſua circumcidere ſtuduerunt, quod nec greges, nec armenta, nec terras arabiles nec alias habent poſſeſſiones, nec temporalibus occupati ſollicitudinibus & curis hujus ſeculi, ab intentione ſpiritualium retardentur. Præfixerunt autem extra ſepta monaſterii ſui terminos, quos non licet eis evagando, præterire. Solus autem Prior cum aliquo de fratribus ſuis, ut ſubjecta ſibi viſitet monaſteria, vel alia neceſſaria cauſa poteſt exire, reliquis ſimplicibus fratribus in domo velut Jacob commorantibus.

CAPUT LXV.

Monaſterium S. Crucis, juxta Aretium Italiæ opidum.

MOnaſterium *S. Andreæ de Avellana*, quod nunc *S. Crucis* dicitur, inſtitutum eſt à *Ludolpho*, qui ob morum ſimplicitatem *Columbinus* vocabatur. Atque hinc originem ſumpſit Congregatio Columbæ, circa annum Chriſti 1060. à dicto Columbino ſic dicta. Produxit ea multos inſignes viros, ut *S. Petrum Damiani*, *Guidonem Aretinum*, *Guimundum* & alios.

CAPUT LXVI.

Einhamenſe Monaſterium, ad Scaldim fl. apud Aldenardam Flandriæ opidum.

HUjus originem ita deſcribit Meyerus in Flandriæ Annalibus: Anno CIↃ. LXIII. conſtructum à Balduino Pio, Flandriæ Comite monaſterium Einhamenſe, illique attributum caſtellum Einham, eadem, qua ipſe ab Hermanno Montenſium Comite acceperat, libertate: permanente tamen ejus loci patrocinio apud Comites Flandros. Inſtitutus eſt ibi primus Abbas Walterus, ex cœnobio Divi Vedaſti accitus. *Ita Meyerus.*

At vero monaſterium iſtud longe antiquius, idemque à clericis, ſeu Canonicis regularibus primo inhabitatum teſtatur Chronographus Cameracenſis, his verbis: Eſt locus ſuper Scaldim fluvium, quem dicunt Iham, ubi modernis temporibus honorabilis vir Comes Godefridus & uxor ſua Mathildis, matrona videlicet memorabilis (erat enim ſuum prædium ſuis uſibus oportunum) caſtro quidem munito navigium, mercatum, teloneum, ceteraque negotia ſtatuerunt. Infra caſtrum vero monaſterium in honore ſanctæ Mariæ, deputatis Canonicis, fundaverunt. Extra autem Herimannus filius duo monaſteria ſtruxit, unum ſancto Laurentio, alterum vero ſancto Salvatori. Nunc igitur locus, utpote noviter inſtructus, ex omni ſufficientia floret, & tamen eſſet uberior, niſi crebro hoſtili incurſione quateretur, quod maxime ab inimicis Dei patitur, pro ſtabilitate regni & fidelitate Imperatoris. *Hactenus ex Chronico Cameracenſi, quod deſinit ad annum Chriſti milleſimum triceſimum. Conſule & Sigeberti Chronicon à nobis cum MSS. exemplaribus collatum.*

DE Einhamenſis, ſive, ut veteres appellant, Eihamenſis caſtri antiquitate atque excidio, haud abs re fuerit commemorare, quæ in manuſcripto exemplari Lipſiano leguntur:

Anno CIↃ. V. mortuo Othone Duce, Ducatus Lotharingiæ datur Comiti Godefrido, filio Godefridi Ardennenſis. Iſte Dux Godefridus dictus eſt Eihamenſis. Erat autem Eiham opidum & caſtrum munitiſſimum, & ſedes principalis Ducatus regni Lotharici. Qui Dux Godefridus duxit Mathildem, filiam Herimanni Ducis Saxonum, filiam relictam Baldewini Comitis (Flandriæ) qui erat filius Arnulfi Magni Marchionis (Flandriæ.) De qua idem Godefridus genuit tres filios Godefridum, Gozcelonem, Hezcelonem. Hezcelo Comes, poſt mortem Ducis caſtrum Eiham cum provincia Brabantenſi ſuſcepit, & diu tenuit. Hic enim genuit filium nomine Herimannum, (a) & filiam nomine Berthildem, qui dum adhuc juvenes eſſent, defuncti ſunt, & in Eccleſia apud (b) Felſekam ſepulti: qui poſtea multis miraculorum ſignis claruerunt, ſed à Virdunenſibus monachis furtive ablati ſunt. Alteram quoque filiam tradidit nuptui Reginero Montenſi Comiti, ſimul cum tota provincia Brabantenſi. Deinde cum omnia ſua ad votum ordinaſſet, relicto in manus Regineri caſtro & Comitatu, apud Verdunum effectus eſt monachus.

Anno CIↃ. XXXIII. in diebus Ragineri Longicolli traditum eſt fraudulenter caſtrum, quod dicitur Eiham, & datum eſt Baldewino Barbato, qui caſtrum funditus deſtruxit.

Anno CIↃ. LXIII. cœnobium Einhamenſe à Baldewino Comite, & Athela Comitiſſa conſtructum eſt.

Anno CIↃ. CXXXIX. dejecta eſt vetuſta Eihamenſis Eccleſia, & incœpta eſt nova à Snellardo Abbate.

Ein-

(a) *Herimannum Godefridi & Mathildis filium nominat Chronographus Cameracenſis, cap. 26. à nobis citatus.*

(b) *De Velſica vide Marchant. Flandriam lib. 1.*

Einhamense porro monasterium multa in agro Antwerpiensi, nominatim in vico Turnino, vulgo Duerne, *olim prædia habuit, quæ Antwerpiense S. Michaëlis cœnobium, ordinis Præmonstratensis, titulo permutationis sive emtionis, nunc possidet. Ex quo videri fortasse queat, Turninenses S. Fredegandi monachos, quorum cœnobium, circa annum Christi octingentesimum octogesimum secundum, à Normannis vastatum tradunt, ad munitum Einhamense castrum aliquando aut confugisse, aut domicilium collocasse.*

De S. Fredegando, ejusque apud Turninum monasterio, Molanum lege in Natalibus Sanctorum Belgii 17. Julii.

Alciacense S. Silvini Monasterium, apud Hesdinum Artesiæ opidum.

A Quo cœnobium istud sit incboatum, nondum certo comperi. Loci antiquitatem ex eo colligas, quod S. Silvinus Episcopus (cujus nomen Martyrologii Romani tabulis, ad diem XVII. Febr. est adscriptum) in Alciaco obiisse legatur anno Christi septingentesimo decimo quinto, ibidemque tunc conditus sit à monachis Centulensibus, qui S. Richarii hodie nuncupantur. Ex quo effici videtur, Alciacum olim cellam seu Prioratum fuisse, Centulensi cœnobio annexum. Centula hodie S. Richarii Abbatia, ord. S. Bened. in tractu Caletano.

De Alciacensis autem cœnobii primis Abbatibus hæc recitat Iperius in Chronico suo Bertinensi Anno millesimo septuagesimo secundo Abbas noster Heribertus Suelgerum hujus loci monachum, misit ad Alciacum locum nostrum, & eum ibidem primum Abbatem instituit, sed vix duobus annis abbatizavit. Quo defuncto Heribertus successorem ibi statuit Gervinum, hujus loci monachum. Quo deposito Heribertus instituit ibi Norbertum monachum nostrum, anno millesimo septuagesimo septimo.

Solet enim Alciacensibus Abbas præfici è numero monachorum Bertinensium; qua de re exstat Rescriptum Innocentii Tertii Pontificis Maximi. Lib. V. Decretal.

Meminit & S. Bernardus Clarevallensis Abbatis & Ecclesiæ de Alchi, *incultam ei terram in eleemosynam dari postulans. Epist.* 350.

Quomodo autem Cluniacense institutum apud Alciacenses sit introductum, ita narrat idem Iperius: Lambertus Abbas noster duabus primariis Ecclesiis hujus diœcesis, scilicet Morinensi, & Sithiensi reformatis, totum se Cluniacensibus indulgens, ad vicinas Ecclesias reformandas, mentem intendit, oportunitatem nanciscens, nunc ex Ecclesiarum vacationibus, nunc ex monachorum dissensionibus. Anno itaque millesimo centesimo primo, Ecclesiæ Alciacensis (cui de jure, consuetudine, ac privilegio consuevit, & debet, ex illo monasterio Abbas provideri) Lamberto Abbate defuncto, Odonem Cluniacensem monachum, virum exemplarem, ad ordinem hic reformandum pridem missum, diligentia Hugonis, tunc Cluniacensis Abbatis, Alciacensibus Abbatem præfecit. Qui multa ibidem per religionis adversarios adversa perpessus, illis fugientibus ipse cum viris timoratis, sibi adhærentibus, idem cœnobium fere viginti annis, secundum regulam, & exteriorem abundantiam honorifice rexit. *Hactenus Iperius.*

CAPUT LXVII.

Bantum vulgo Bantz *in d. Herbipolensi.*

FUndatum id legitur in honorem S. Dionysii anno 1071. ab *Abberarde* Comitissa de Bant quæ ibidem sepulta est. Fuit primum sexus utriusque cœnobium; sed virginibus amotis, post vastationem rursus pro monachis ædificatum est anno 1127. ab Othone Episcopo Bambergensi & Pomeranorum Apostolo. Ita Bruschius citato loco.

Rota, seu Rotense monasterium, ad Oenum fl. supra Wasserburgium.

DE fundatione hujus monasterii nihil certius potest tradi, quam ipsum Henrici quarti Imperatoris diploma, quod ibi integrum ac illæsum extat.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia quartus Romanorum Imperator Augustus; ideo fidelis nostri Cononis Palatini memoriam posteris transmittimus, quæ præterea semper in benedictione erit, quod Deum & S. Petrum omnium rerum suarum beredem reliquit. Habuit enim duos liberos, quibus substantiam suam divisit, Cononem scilicet & Irmingardam, quæ cum marito traderetur, portionem sibi debitam accepit, & de parte reliqua omnem calumniam legitime refutavit. Deinde filius quoque duxit uxorem, celebratisque nuptiis, dum multi convenissent, inierunt consilium parentes cum filio & nuru sua, ne in die bonorum immemores essent malorum, & ut illi, qui omnia dedit, aliquid tribuerent. Convenerunt ergo in hoc, ut in loco & fundo, qui dicitur Rota, quem præterfluit Oenus fluvius, qui etiam in Comitatu Arnolphi Comitis monasterium construerent, ibique monachos Deo famulantes congregarent. Placuit sic filio, placuit nurui, simulque cum parentibus ad altare Sanctorum Martini & Aniani, procedentes tradiderunt Deo & SS. ejus quidquid in regno nostro possederunt, si absque liberis obirent. Nurus quoque dotem quam ex marito acceperat, monasterio in legitimam possessionem tradidit, cum omni patrimonio quod in Lotaringia possederat, si ex eodem marito Conone liberos non generaret.

ret. Evolutis autem aliquot diebus, filius ad servitium nostrum vocatus, in bello cecidit, & sic omnis hereditas ad monasterii jus, cui traditum fuerat, rediit. Orbatus vero pater tota mente ad Deum convertitur, sublatoque corpore filii, & assumpta nuru, quæ sine prole remanserat, ad monasterium properat, exequias celebrat, celebratisque exequiis traditionem renovavit. Dat socer hereditatem, nurus dotem non conditionaliter, ut prius, sed perfecte Deo & Sanctis ejus in perpetuum; offeruntur viri militares, qui dicuntur ministeriales, cum prædiis & possessionibus suis, quos domi forisque custodes lateris habebat, quibus etiam jura statuit, ut monasterii gloriam teneant, & Abbatibus libere ac regulariter substituendis honesto loco, gradu & ordine deserviant. Traduntur familiæ diversæ sexus & ætatis, quibus etiam tertiam partem servitii sui relaxavit; hisque dispositis, traditionem consummat, & prædia plurima Deo & fratribus regulariter viventibus confert &c. Confirmavit hæc omnia Henricus Imp. Ratisbonæ anno 1073. Ita Hundius.

Schyrense monasterium, vulgo Scheyrn, *in Germania.*

SChyrum sive Schyrense monasterium, supra *Pfaffenhoven* situm Comitum initio Schyrensium magnificum castrum fuisse legitur, quod construxit *Arnolphus* Comes Chirensis, filius Arnoldi mali. In monasterium vero conversum est hoc modo: Inchoata erat ab *Ottone* & *Alberto*, nobilibus viris, solitudinemque amantibus hominibus, in dictorum Comitum ac Principum Schyrensium ditione, montanis videlicet Bavariæ, juxta altissimum ejus provinciæ jugum, quod accolæ *den Wendelstein* vocant, Eremitica quædam cella & Ecclesiola, annum Christi circiter 1077. consentientibus Ottone Schyrensi Comite, ejusque uxore *Haziga*, Aragonum Regis filia, & utriusque filiis, *Eccbardo*, *Bernbardo*, & *Ottone*, Principibus Schyrensibus. Hæc cella, jussu *Ellenbardi*, Frisingensis Episcopi, ea tempestate ægrotantis ac graviter decumbentis, à Pontifice quodam Polensi consecrata est. Decedente vero paulo post ex hac vita Principe *Ottone*, anno nimirum Christi 1079. *Haziga*, vidua Ottonis cum filiorum suorum consensu, ex humili ac Eremitarum domo celebre monasterium construere, ac dotare decrevit.

Transtulit vero monasticam sedem in paulo amœniorem locum, qui hodie adhuc à præterfluente pisculentissimo fluviolo *Vischbachaw* dici solet, & quatuordecim miliaribus à Schyro, septem à Monachio, duobus à S. Quirini Tigurino monasterio abest, ad pedem montis *Klnezagel* cognominati in Aibligensi districtu situm: ubi adhuc hac tempestate duo sunt templa, quorum aliud S. Martino, alterum B. Virgini dicatum est, & Præpositura monasterio Schyrensi incorporata. Hunc locum Haziga fundatrix & pagis & vineis plurimis ditavit: in eoque cœpit monastica D. Benedicti congregatio. In hoc fundatrix mortua & humata; at postea Schyrum translata est. Sed nec iste locus diu satis placuit: post sex enim annos à prima translatione iterum mutata est sedes: & secundo translatum monasterium è montanis in paulo liberiorem agrum ad Glavum fluvium, qui non procul inde in Ambram cadit, *Ussenbofium*, antiquitus *Glanek* à fluvio dictum, tribus milliaribus à Schyrensi monasterio situm. Illic in monte S. Petri (ubi hodie adhuc templum visitur ab Ottone Hazigæ fundatricis filio & à Bertholdo Comite de Burgheim ante duas aras ibidem sepultis, constructum) tertio inchoatum est monasterium, sub primo adhuc Abbate *Erchenboldo*. Sed post sedecim annos propter aquarum in sublimi monte S. Petri defectum, locus iste etiam parum commodus monachis visus est; quartoque translatum est cœnobium nuper inceptum, in ipsam Principum Schyrensium, unanimi eorundem omnium consensu avitam arcem ac sedem, amplam illam quidem, sed, admodum ruinosam ac fere desertam. Hæc Scyrensis monasterii initia sunt & exordia certissima. In media Ecclesia sublimis est tumulus *Ottonis* fundatoris, ac *Hazigæ* fundatricis.

In ingressu domus capitularis est alius de terra elevatus tumulus, sub quo 120. utriusque sexus Comitum ac Principum Schyrensium corpora sita, & in subterranea crypta, quasi ordine collocata esse dicuntur.

CAPUT LXVIII.

Aquicinctum ad Scarpum fl. secundo milliari à Duaco.

ANno millesimo septuagesimo nono, incœptum est cœnobium sancti Salvatoris in insula, quæ dicitur Aquicinctus, à viris illustribus Sichero videlicet atque Waltero. Qui Sicherus habebat uxorem nomine Mathildem, nobilem quidem natalibus, sed nobiliorem moribus. Quæ conjugem suum crebrius monendo, ad hoc opus aggrediendum incitavit, ideo maxime, quod sanctum quendam Gordanium inibi quondam eremiticam vitam duxisse ferebatur. *De quo vide Molanum in Natal.* Unde factum est, ut præfati viri hinc crebro colloquentes se mutuo hortarentur, & deliberantes Ansellum de Ribodimonte, nobilissimum virum adeunt, & ab eo insulam illam, quæ ejus erat juris, deposcunt. At Ansellus, alii Anselmum nuncupant, audita petitione eorum, gavisus est valde, & sine dilatione gratis, quod pete-

petebatur, concessit. Itaque ex condicto pariter properantes, Gerardum II. Cameracensis urbis Præsulem aggrediuntur, ad cujus diœcesim tunc locus ille pertinebat, quid animo gerant, pandunt, & quia ejus parochiani erant, ut voto eorum assentiat, exposcunt. Quibus auditis venerandus Pontifex libentissime annuit, receptoque fundo de manu Anselli, quem ab eo in beneficium tenebat, cum arundineto adjacente, eis tradidit. Quo accepto, cœnobium illic construere cœperunt, & de suis allodiis competenter, pro ut poterant, ditaverunt. Aggregantur ibi Deo devoti viri, se cum facultatulis suis Christo devoventes, ejus grex pusillus esse gestientes. Quorum curam memoratus Præsul gerens, duos ex monachis Hasnoniensis cœnobii, honestæ vitæ, ad instituendos eos eis misit; è quibus uni, Alardo nomine, curam commisit, & Abbatem ordinavit. De quo quia se occasio præbuit, libet paucis aperire, cujus simplicitatis, cujusque bonitatis fuerit. Is etenim, si res exigeret, ut quoquam progredi debuisset, non meliorem equum sibi eligebat, sed & sæpe animal, quo vehebatur, capistro pro freno regebat. Residentibus monachis in claustro, in medio eorum sedebat, & veluti quilibet ex eis, cum sobrietate agebat, familiariter cum eis colloquens, & Dominum eorum se esse oblivifcens. Si quis ei venerationem impendere voluisset, osculando manus, vel genua, seu alio quolibet modo, cum quadam animadversione prohibebat, dicens, se eis hunc morem indulgere, futurosque post se adserebat hujusce exactores reverentiæ. Nec ista tamen referentes, in eos invehimur, qui hæc more Ecclesiastico sibi congruenter sinunt fieri. Præfatus Pontifex cernens eosdem fratres haud segniter instare rebus cœptis, eamdem Ecclesiam omnimodis, quantum pervaluit, libertavit; propter quod baculum regiminis in manu sua retinuit ut ei daret, quem sibi congregatio canonice eligeret. Præterea contulit eis quædam altaria, sed & innumera impendit beneficia. Erat enim in Ecclesia sanctæ Mariæ Cameracensis, cui idem Gerardus præerat Episcopus, venerabilis Decanus nomine Hugo, qui tam eumdem Episcopum, quam alios fideles viros Cameracenses utriusque ordinis animabat, ut liberales existerent præscripto cœnobio. Ipse quoque omnem pœne substantiam suam illo convehebat, unde monasterium & habitacula fratrum primitus ædificavit.

Hæc ex manuscripto Sigeberti Gumblacensis Chronico, quod Aquicincti, à quodam ejus loci, ut apparet, monacho auctum adservatur fideliter hausimus.

Quomodo autem Cluniacensis instituti reformatio apud Aquicinctinos sit introducta, narrat Iperius in Chronico suo Bertinensi: Anno Domini millesimo centesimo decimo, monasterium Aquicincti ad religionem reparatum est & reductum per Dominum Lambertum (a) Abbatem nostrum, cum ex monachorum dissensionibus nactus esset oportunitatem, monachis Aquicincti inter se tumultuantibus, in tantum, ut suum Abbatem expellentes deponerent. Hoc itaque Dominus Lambertus considerans, per secretos internuntios illos induxit, ut virum venerabilem, moribus egregium, ac prudentia, facundiaque decoratum sibi sumant in Abbatem, quo collapsa eorum Ecclesia relevetur. Et eis nominari fecit Dominum Alvisum monachum nostrum reformatum, Ecclesiæ sancti Vedasti tunc intendentem. Igitur Aquicinctenses monachi Alvisum, instinctu Lamberti Abbatis nostri, in suum Abbatem elegerunt, qui consilio & auxilio ejusdem Lamberti, eandem Ecclesiam reformavit, & in spiritualibus ac temporalibus sic exaltavit, ut ejus nomen celebre fieret ubique, & idem Alvisus tandem eligeretur in Episcopum Atrebatensem. *Hactenus Iperius.*

Est vero cœnobium istud longe notissimum à Gymnasio Aquicinctino, quod in Duacena Academia R. P. Joannes Lentaillerus hujus loci Abbas excitandum curavit, & Patribus Societatis Jesu regendum commisit.

DE Aquicinctensis, sive Aquicinensis, ut veteres nuncupant, cœnobii primis Abbatibus, eorumque rebus gestis, in manuscripto Sigebertini Chronici exemplari, quod Aquicincti ab ejus loci monacho auctum exstat, ista me legere memini.

Anno CIↃ. LXXXVI. consecrata est Ecclesia hujus Aquicinensis cœnobii, in honore Domini nostri Jesu Christi, ejusdemque genitricis S. Mariæ, à Domino Gerardo Cameracensi Episcopo, decretumque ab eodem Præsule, ut festivitas illorum Sanctorum, quorum pignora hunc allata fuerant, omni anno agatur in hoc loco.

Anno CIↃ. LXXXVII. obiit Alardus primus Abbas hujus Aquicinensis Ecclesiæ. Cui successit Alelmus, ex Normannia, de cœnobio Becci.

Anno CIↃ. LXXXVIII. obiit Alelmus II. Abbas Aquicinensis cœnobii, qui quantæ bonitatis fuerit experti sunt febricitantes, dum ad tumulum ejus dormientes, febrim cum somno sæpius deposuerunt. Cui successit Haimericus, Atrebatensis monachus, litteris eruditus.

Ea tempestate venit Aquicinctum quidam nomine Gelduinus, qui ex monacho Laudunensi Abbas S. Michaelis de Terrascia, relicta Abbatia ob amorem Domini reclusus vixit Aquicincti.

Anno CIↃ. XCII. Gerardus Episcopus Cameracensis obiit, qui nostrum cœnobium valde dilexit, & sublimare studuit. Gualcherus ei succedit, aliis Gualtherus.

Anno CIↃ. XCIII. Ecclesia S. Georgii Hesdinensis traditur Ecclesiæ Aquicinensi.

(a) *De Lamberto Abbate Bertinensi plura vide. cap. 17. 11. & 40.*

Anno cIↄ. XCV. expulſo ab Epiſcopatu Gualchero, Manaſſes ei ſuccedit, *Obiit Rainoldus Remenſis Archiepiſcopus.*

Anno cIↄ. XCVI. Anſellus de Ribodimonte, fundator Aquicinenſis Eccleſiæ, *cum Godefrido Bullonio, Duce Lotharingiæ, aliiſque Principibus Chriſtianis, ad terram ſanctam Turris eripiendam proficiſcitur.*

Anno cIↄ. C. Robertus Comes Flandrienſium ab Hieroſolymis repatrians, detulit ſecum brachium S. Georgii martyris, quod Eccleſiæ Aquicinenſi transmiſit, per venerandum Haimericum Abbatem ipſius loci, illatum Aquicincti III. Kal. Julii.

Anno cIↄ. CII. Obiit Haimericus tertius Abbas Aquicinenſis, cui ſucceſſit Gelduinus.

Anno cIↄ. CV. Manaſſe Cameracenſi Epiſcopo accepto monachico habitu, Odo primus Abbas ex cœnobio S. Martini Tornacenſis Eccleſiæ, in Epiſcopatu ei ſuccedit.

Anno cIↄ. CIX. Gelduinus quarto loco Aquicincti Abbas, faſtidiens onus regiminis, potiusque eligens otium olim actæ reclufionis, reliquit curam animarum, & iterum effectus eſt recluſus apud S. Bertinum. Cui ſucceſſit in cura paſtorali Rotbertus, ejuſdem cœnobii monachus.

Anno cIↄ. CXI. Robertus Aquicinenſis cœnobii quintus Abbas, ægre ferens infectatione quorumdam ſæcularium vexari Eccleſiam ſibi creditam ſimul quia hoc ei imputabatur, conſilio accepto dimiſit Abbatiam, ſuccedente ei Domino Aluiſo.

Anno cIↄ. CXXX. defuncto Domino Roberto Atrebatenſi Epiſcopo, ſuccedit ei in Pontificatu Dominus Aluiſus Aquicinenſis Eccleſiæ ſextus Abbas, vir magnæ religionis & ſingularis ſeveritatis: Cui in Aquicinenſi Eccleſia ſubſtituitur Dominus Gozuinus ſeptimus Abbas. *De B. Goſuino Molanus in Natal. SS. Belgii ejus vita Aquicincti & apud nos MS. eſt.*

Anno cIↄ. CLI. in civitate Atrebatenſi poſt beatæ memoriæ Dominum Aluiſum Epiſcopum, qui in expeditione Hieroſolymitana obierat, ordinatus eſt Godeſcalcus IV Epiſcopus.

Anno cIↄ. CLV. in inſula Aquicinenſi dedicata eſt Eccleſia beatæ Dei genitricis Mariæ à Godeſcalco Atrebatenſi Epiſcopo, menſe Julio.

Anno cIↄ. CLXVI. piæ memoriæ Dominus Grozuinus, Abbas Aquicinenſis ſeptimus, caritate illuſtris, amator pacis & religionis, VII. Id. Octobris circa mediam noctem, die Dominica de hoc ſæculo tranſiit. Quo in Eccleſia B Mariæ ſemper virginis, in loco ubi orare conſueverat, cum magno filiorum ſuorum gemitu tumulato, Alexander, Prior ejuſdem Eccleſiæ, ei octavus ſuccedit.

Anno cIↄ. CLXXIII. Alexander Abbas Aquicinenſis pretioſas plurimorum Sanctorum reliquias de diverſis Eccleſiarum locis congregavit, quas in theca auro & argento ad hoc præparata decenter locavit.

Anno cIↄ. CLXXIX. Simon Abbas iſtius loci, in reditu à Concilio Romano Clarevallem divertit, & reliquias Domini Bernardi, ejuſdem cœnobii Abbatis, petitas obtinuit, & in hoc Aquicinenſi monaſterio decenter repoſuit.

Anno cIↄ. CLXXX. Dominus Simon Abbas Aquicinenſis nonus, communicato cum fratribus ſuis conſilio, Eccleſiam S. Salvatoris, menſe Septembri deponit, eo quod non ſufficeret tam parva baſilica magno conventui Aquicinenſi.

Anno Chriſti cIↄ. CLXXX. anno à conſtructione ejuſdem Eccleſiæ centeſimo III. menſis Martii die II. jacta ſunt fundamenta iſtius novæ Aquicinenſis Eccleſiæ. Primum lapidem in fundamento Balduinus Comes iſtius pagi, manibus ſuis cum cæmento poſuit.

Hugo, Cameracenſis quondam Decanus, qui Eccleſiæ Aquicinenſi in principio ſuæ provectionis, magno fuit adminiculo, à proprio removetur ſepulchro. Nam novæ Eccleſiæ fundamentum per ipſum recto tramite ſuum dirigebat curſum. Lapis in ſepulcro ejus repertus eſt, in quo hoc ſcriptum continebatur:

Hic eſt ſepultum corpus Hugonis Decani S. Mariæ Cameracenſis Eccleſiæ, qui conſtruxit clauſtrum, cum porticu ejuſdem Eccleſiæ, capellamque S. Gingulſi. Inſuper, ut cætera taceamus, multis annis à carne abſtinuit, ſuper plumam non jacuit, niſi forte in hoc monaſterio, juſſu Abbatis. Hic conſtruxit clauſtrum, porticum, Eleemoſynariam, capellamque B. Mariæ, & multa alia beneficia fratribus contulit. Hic in feſtivitate omnium Sanctorum, poſtquam Miſſam celebraſſet, gravi infirmitate percuſſus, monachus effectus, obiit in bona confeſſione & vera fide, anno Domini cIↄ. XCIII. VI. Idus Decembris.

Anno cIↄ. CCII. Obiit Dominus Simon Abbas nonus; cui ſucceſſit Dominus Adam decimus.

Anno cIↄ. CCIV. Dominus Adam obiit. Cui ſucceſſit Dominus Willelmus undecimus, poſtmodum Abbas ſancti Amandi, & Romam profectus & inde rediens factus eſt monachus Clarevallenſis.

Ipſo autem facto Abbate S. Amandi, Dominus Simon Abbas XII. ei ſucceſſit. Is inceptam Eccleſiam ab avunculo ſuo Simone nono Abbate feliciter conſummavit, & duobus campanilibus cum undecim campanis ſtudioſius inſignivit.

Anno cIↄ. CCVIII. Willelmus noſter Abbas undecimus, Abbas S. Amandi efficitur. Cui ſucceſſit Dominus Simon Abbas XII. de quo ſupra diximus.

Anno cIↃ. CCXIX. Honorius Papa III. concessit Domino Simoni Abbati Aquicinctensi XII. & successoribus ejus, usum mitræ & anuli.

Hactenus ex manuscripto Sigibertini Chronici exemplari Aquicinctino, quod pro sua humanitate nobiscum communicavit vir Ecclesiasticarum Belgii antiquitatum peritissimus, Franciscus Barrus, *Prior Aquicinctinus; cujus varia* de Belgicorum monasteriorum exordiis *scripta utinam typis aliquando evulgentur.*

CAPUT LXIX.

Ætlense *monasterium, vulgo* Ætl.

EST id situm in ripa Oeni, supra Wasserburgium, & fundatum ab *Arnolpho*, Comite Damasiano, amicissimo Henrici quarti Imperatoris, ibidem cum uxore Gisala sepulto circa annum 1080. quod quidem per fratrem ejus *Fridericum* dictum *Rocho*, ad tantam egestatem redactum est, ut egre tres monachos alere posset. Engelbertus Comes Wasserburgensis postea refecit, ac collocupletavit: Limpurgium arcem seu castrum suum vicinum solo æquavit, quod otio & solitariæ vitæ ac disciplinæ strepitus civiles atque aulici minime convenirent: demum Wasserburgium cum toto famulitio migravit, atque ibidem de cetero habitavit: Et hoc circa annum Domini 1160.

CAPUT LXX.

Fidemium, *vulgo* Femy, *in finibus agri Cameracensis, sesquimilliari à Landresio Hannoniæ opido.*

HUic cœnobio initium dedere, anno Christi millesimo octogesimo, nobiles Angli duo, qui patriis sedibus abjerunt, ut incogniti pacifice Deo alicubi servirent. Cumque Romam sese contulissent, Pontifex Maximus Benedictinam ipsis regulam præscripsit. Alter eorum, Stephanus nomine, primus hujus loci Abbas fuit, estque basilica ejusdem loci S. Stephano protomartyri dedicata.

Hoc porro cœnobium egregie auxit Nicolaus Episcopus Cameracensis, eo nomine primus, ut arbitror, itemque Cathedrale Canonicorum ejus urbis collegium: adeo ut episcopus iste, & Canonici Cathedrales, secundarii (ut sic loquar) fundatores habeantur. Fuit autem ab annis amplius centum viginti, inter Francorum Reges & Belgarum Principes, lis & quæstio de cœnobii hujus situs? utrorum videlicet in ditione illud situm existat. Vulgo ditionis Cameracensis esse creditur; sicque arbitri, sive legati partis utriusque cum Mondiderii anno millesimo sexcentesimo tertio conventum agerent, judicarunt.

Hæc ex manuscripto quodam codice, aliisque monumentis, Julianus Lignæus, sacerdos Cameracensis, vir eruditus, nobis per literas significavit.

Affligemium, Tertio milliari à Bruxella, urbe regia.

WEtherico monacho S. Petri Gandensis, Romani Pontificis auctoritate, per Flandriam ac Brabantiam, ad clericorum præsertim concubinariorum, populique mores emendandos, prædicante; inter alios quinque (a) milites ad pœnitentiam sunt conversi: quos inter Gerardus, cognomento Niger, eminebat. Qui quidem seculo renuntiantes Affligemiensis in Brabantia cœnobii principia inchoarunt anno millesimo octogesimo tertio. Fuerat is locus antea non nisi latrocinantium conventiculis aptus, tertio vero post anno Gerardus Cameracensis Episcopus basilicam Affligemiensem dedicavit. Sexto autem anno primus Abbas Fulgentius ibidem est constitutus. *Hæc Balduinus Ninivensis in Chronico suo manuscripto. Meyerus in Annalibus Flandriæ, concionatorem illum vocat Gedericum, dicitque monachum fuisse Blandiniensem; ex verbis tamen Balduini Ninivensis videri fortasse queat, eum monachum fuisse ad D. Bavonis, quod cœnobium istud proprie sancti Petri Gandensis nuncupari soleat.*

Idem Meyerus milites, sive Equites sex nominat Geldulphum, Theobaldum, Emelinum, Hargerum, Ulboldum, & Gerardum: quos ait ad Hannonem Episcopum Coloniensem, pro criminum remissione, à Gederico primum missos esse, indeque reversos, consilio ejusdem, in Affligemiensi solitudine cellam ædificasse. Ceterum de anno fundationis legi olim solent apud Affligemienses versiculi isti:

Annus millenus octogenus, quoque ternus
Dum fertur, locus hic principium reperit.

Vide Sigeberti Chronicon à nobis cum MSS. codicibus comparatum.

u Diplo-

(a) *Mediæ ætatis scriptoribus milites sunt, quos hodie equites nuncupamus.*

Diploma Henrici Comitis Bracbatensis, & fundatoris cœnobii Affligemiensis, qui Tornaci in hastiludio an. 1096. *occubuit.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Henricus divina propitiante clementia Bracbatensis patriæ Comes & Advocatus, omnibus tam præsentibus quam futuris fidelibus, omne datum optimum & omne donum perfectum descendens à patre luminum. Notum vobis facimus qualiter miles quidam meus Gerardus nomine, cum aliis quibusdam, quos æque divina gratia & prævenit & subsecuta est, balteo militari deposito, ut meliorem invenirent hereditatem, militiam Jesu Christi professi sunt, & in Comitatu meo, loco ab antiquis Hafflingem vocato, modo autem Novo monasterio appellato, habitationem saltuosam adhuc & desertam elegerunt, ut quanto amplius remoti à secularibus, tanto sub regula beati Benedicti Deo servirent familiarius. Erexerunt autem Ecclesiam in honore beati Petri Apostolorum Principis, ut, ubi antea erat spelunca latronum, habitatio inciperet tandem recte viventium, & qui erat locus rapinæ & homicidii, mutaretur in possessionem pacis, & fructus eleemosynarum. Quoniam vero locus ipse ad Comitatum nostrum hereditario jure videbatur pertinere, ego fraterque meus Godefridus ab eisdem exorati fratribus, & pro remedio animarum nostrarum omniumque antecessorum nostrorum, legitime, & ex toto libere ad altare ipsius Ecclesiæ tradidimus: præterea quoniam sæpissime probata valde nobis placuerit militaris eorum industria, tam pro seculari eorum amicitia, cum pro remuneratione divina, de eodem allodio adjacente, & ad servitium nostrum remanente, in silvis & pratis, in campis & pascuis, in piscationibus & venationibus omnem eis usum habere nobiscum. Ut autem per amplius beneficium majus ad Dei servitium cresceret eis desiderium, capellam nostram liberam in Wavera subterius sitam, cum tota decimatione Inperioris Ecclesiæ, cum debita instituendi presbyteri subjectione, cum terris insuper aliquibus nostræ culturæ subsistentibus, cum telonio & maceria cum molendinis & curtibus ad nos in eadem villa pertinentibus, huic traditioni legitime addidimus. Quod si, ut vere de misericordia Dei præsumimus, ad meritum eorum accesserit & (a) numeris Abbatem eligere, baculumque super altare positum ipsi committere, nullo Principe, nullo Episcopo contradicente, in eorum erit potestate, quatenus secundum eorum regulam eligatur, qui eligendus est, & per ostium Jesu Christi ingrediatur qui ordinandus est, remota omni aliena contradictione & suspecta occasione. Nos vero de aliqua sibi illata injuria si appellare voluerit, quasi pro animabus nostris, pro eis nos exponemus, nec quidquam aliunde de loco illo nisi orationes fratrum, & Dei retributionem recipere volumus. Et ut hæc nostra traditio, vel condictio omnibus retro seculis rata & inconvulsa permaneat, charta & atramento rem uti est, notamus & roboramus. Ante omnia Dominum omnipotentem & Sanctos ejus citamus, & fideles nostros, qui huic traditioni interfuerunt, idoneos testes subterfignamus. Steppo Brussellensis, & frater ejus Walterus, Balduinus de Alost, Gerardus de Cumbersaca, Adalbertus Snakart, Theodericus de Budengem, Anselmus de Erpe, Sigerus frater ejus, Herebrand de Nordingolchen, Folcardus & Godescalcus filii ejus Ingelbertus Kalvastert, Sigerus Sanderlensis Onulfus de Milverschen, Gislebertus pe Laca, Arnulfus & Obertus de Ordengehem, Henricus Cameracensis Ecclesiæ Canonicus, Alardus Canonicus, & Godero & Meinerus Clerici de Lovania, Joannes Canonicus de Petingehem, Gerardus de Leneca, Godefridus de Lathem, Franco, Amandus, Hugo de Brusselle, Amulricus de Beckensele, Higerus de Alost, Walterus de Asca, Walterus de Hamme. Actum est hoc anno ab incarnatione Domini CIↃ LXXXVI. Regni vero Henrici Regis 35. Præsulatus Gerardi Episcopi X.

Diploma Godefridi Primi, Cognomento Barbati, Ducis Lotharingiæ & Comitis Lovaniensis, qui fuit frater Henrici Comitis Bracbatensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Godefridus, Dei miseratione Dux & Marchio Lotharingiæ, & Comes Lovanii, audiens Apostolum exhortantem, dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, fratres in cœnobio Affligimiensi, Deo & sancto Petro servientes, terrenæ meæ hereditatis participes facere disposui, ut in cœlo heredum Dei, & coheredum Christi consortio merear aggregari. Quia enim idem cœnobium in meo allodio fundatum, à me & fratre meo Comite Henrico libertate donatum, Deo incrementum dante, in brevi plurimum crevit, tam fratrum numero, quam religionis testimonio, congaudens ejus provectui; & cooperari volens profectui, in quibuscumque scivi, vel potui, illud honorare, exaltare, & munire dignum duxi. Veniens igitur ad altare sancti Petri, cum duobus filiis meis Godefrido & Henrico, plurimis hominum meorum, tam liberis, quam servis præsentibus, astante etiam Petro, loci ipsius Abbate, cum tota congregatione, quod immunitatis sive libertatis jam olim cum fratre meo donaveram, filiis meis collaudantibus, innovavi. Quidquid etiam ex meo allodio, vel emtione vel hominum meorum collatione fratres acquisierant, cum omni usu, jure & servitio ad ipsam terram

(a) *Forte* muneris.

ram pertinente, in filvis, pratis, aquis, & pafcuis libere tradidi. Cellam quoque fanctæ Mariæ in Wavera, ficut etiam cum fuis appenditiis præfatus frater meus donavit, item cellam fanctæ Mariæ in Fliderbeca, quam ego eidem Ecclefiæ fubjeci, terram in Selleka, quam à Stephano de Bunlar fratres acquifierant, terram apud Cobengem, quam Arnulfus de Rode cum uxore fua Mabilia eis vendiderat. Item terram in (a) Itte, quam à Waltero Amandi filio emerant, & cetera omnia, de quibus ego, ut liber Ecclefiæ advocatus donum fufceperam, fuper prædictum altare legitime reddidi. Licentiam etiam eis indulfi, emendi & acquirendi, quæ poffent ex allodio meo, quod homines mei à me in beneficio tenebant, & à telonio meo in omni terra abfolvi. In electione Abbatis eorum nihil juris me habere recognovi, nihil dominationis, feu violentæ poteftatis fuper locum ipfum mihi retinui. Si autem de aliqua injuria fibi illata fratres me appellaverint, ibi advocatum, judicem, & vindicem me recognofcam, & contra malefactores eorum, ac fi pro anima mea, me eis opponam. Nec fas fit in pofterum ulli fucceflorum meorum, ad hoc exequendum, aliquem perfonæ fuæ vicarium fubrogare, fed quicumque Comes terræ Bracbatenfis fuit, ipfe mihi ficut honore & poteftate, ita benevolentia & affectu ad defenfionem Ecclefiæ fuccedere debebit. Hæc ergo ftatuens, pro redemptione animæ meæ, & fratris mei, & parentum meorum, in tutamen etiam falutis, & honoris filiorum meorum, & omnium fucceflorum meorum, nullum aliud munus vel fervitium exegi, nifi orationes fratrum, easdemque folas pofteris meis pro omni munere exigendas, & fervitio dereliqui. Quæ ut nota fiant omnibus & præfentibus, & poft nos venturis, fcripto ea mandari, & figilli noftri impreffione; & teftium adftipulatione, filiorum quoque meorum voluntario confenfu, roborari feci, & ne à quoquam temere violentur, in prævaricatores anathematis fententiam ab Abbate promulgari poftulavi. Teftes horum omnium fuerunt, duo filii mei, Godefridus & Henricus, Onulfus Presbyter, Godezo Capellanus, Walterus de Crainhem, Henricus de Affcha, Hugo Rampart, Walterus de Merbeca, Arnulphus de Oppendorp, Gosvinus Hirundo, Walterus de Wembiene, Nicolaus de Ozkerka, Arnulfus de Bigardis, Arnulfus de Rode, Lambertus de Saventhem, Gifelinus de Hunzeghem, Anfelmus de Capella, Franco Pincerna, Gosvinus Clubbive, Rinerus de Haverel, Gosvinus filius Modebaræ, Franco filius Mariæ. Acta funt hæc anno ab incarnatione Domini CIↃ. C. XXXVIII. Indictione prima, in Pontificatu Innocentio, in regno Conrado præfidente.

Diploma B. Idæ, matris Godefridi Bullonii, Ducis Lotharingiæ, & poft Regis Hierofolymorum.

IN nomine fanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Ida Bolonienfis Comitiffa, humilis Chrifti ancilla, cunctis in fide manentibus gaudia promereri promiffa fidelibus. Notum fieri cupio, tam præfentibus, quam futuris, fignum meæ dilectionis, erga Dominos meos, & fratres, videlicet monachos cœnobii Novi monafterii, cui vocabulum Hafflingam inditum erat ab antiquis. Quoniam mihi, multisque eorum complacuit converfatio, & religionis effectus, dignum duxi me commendare talium orationibus, nec in incerto divitiarum fperare, fed has potius cum eis participare. Igitur in allodio meo, & villa, quæ vocatur Genapia, pro falute animæ meæ, patris quoque mei Ducis Godefridi, & Comitis Euftathii Domini mei, Ecclefiam cum decimis & univerfis ejus redditibus, firmiter perpetuoque jure tenendam dedi fupradictis fratribus; in idipfum filiis meis Godefrido, Euftathio, Balduino mihi cooperantibus. Filius quoque meus Dux Godefridus in eadem villa Genapia quinque manfos terræ donavit iisdem fratribus, ad quos ego poftea in augmentum conceffi quasdam partes circumjacentes, plane fextum manfum continentes, ab omni comitatu, & cenfu tributario liberas & expertes. Infuper autem quidquid, fibi vendicabant, quippe quod à prioris doni tempore poffederant, & ufibus fuis affignaverant, five in filvis, five in pafcuis, five in (b) fartis, eis conceffi eadem libertate, qua tenui, fed & omne participium in filva, & reliquo ufuario communi, in hoc nihilominus filii meis confentientibus mihi. Factum eft autem hoc apud Trajectum in Ecclefia S. Servatii confefforis, præfentibus etiam reliquiis fanctæ Gertrudis virginis pro fimili negotio illuc tunc allatis. Ut autem hæc traditio omnibus retro feculis rata & inconvulfa permaneat, omnem rem, uti gefta eft, literarum memoriæ commendamus, & figillis noftris ego & Godefridus filius meus roboramus, & teftes idoneos, qui huic rei interfuerunt, fubter fignavimus. ¶ Signum Lamberti noftri Capellani, S. Roberti Capellani. S. Gerardi Comitis de Gelre, & fratis ejus Henrici. S. Godefcalci de Jacen, S. Henrici de Cuc. S. Arnulfi de Rede, S. Cononis de Montaur. S. Theoderici de Bemel. S. Hende Birbaica, S. Balduini de Oftruic. S. Walteri de Grimberges, S. Reyneri Advocati Leodicenfis. Denique de fcriptis teftibus, & illud notum facimus, quod Comes Henricus qui eandem villam in beneficium à nobis tenuit, duobus annis antequam hæc donatio confirmaretur, nobis reddiderit ad opus frarum, quod ad eum pertinuit. Factum eft autem hoc incarnationis Domini anno millefimo nonagefimo fexto. Indictione quarta, regnante

 Domi-

(a) *Forte* Iette. (b) Satis.

Domino noſtro JESU Chriſto: anno etiam profectionis Chriſtianorum contra paganos Jeruſalem.

DE Affligemienſis cœnobii exordiis, deque ejus filiabus, &, ut ſic dicam, traducibus, puta Waverenſi, Fraxinenſi, Andreano, Foreſtenſi, Bornehemienſi, Bigardienſi, & Fliderbecano *monaſteriis ſive cellis, diſtincta temporum ſerie, leguntur iſta in manuſcripto Sigebertini Chronici exemplari Lipſiano.*

Anno CIƆ. LXXXIII. Affligemenſe cœnobium tale, auxiliante Deo, ſumſit exordium. Prædicante Wetherico ſervo Dei, qui quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, effugandis obſcuritatibus erroris apparuit, converſi quinque milites ſuis integre renuntiant. Inter quos Gerardus Niger, qui cæteris excellentior videbatur, doctoris ſui conſilio animatus, cum ſociis locum Afflighem dictum, ſicut nomine, ſic omni barbarie incultum (quippe qui latrocinantium tantum conventiculis aptus erat) ædificare, & clauſtrum in eo exſtruere aggreditur.

Anno CIƆ. LXXXVI. Affligemenſis cœnobii fundatores, qui omnibus abjectis ita nudi ad ædificandum clauſtrum convenerant, ut nihil ſecum, præter panes tres, dimidium caſeum & pauca ferramenta detulerint, vix tribus annis exactis, à Gerardo II. Cameracenſi Epiſcopo, in honore Apoſtolorum Petri & Pauli, Eccleſiam dedicari faciunt.

Comitiſſa Adela, cum duobus filii ſuis, Henrico & Godefrido, ad ædificandum inibi cœnobium, eumdem locum libertate donavit.

Prædicti fratres monachos, à quibus monachium ordinem diſcerent, ſibi adſociaverunt.

Anno CIƆ. LXXXVII. Dominus Fulgentius hujus cœnobii primus Abbas hoc anno electus eſt in feſtivitate S. Martini.

Anno CIƆ. LXXXVIII. Dominus Fulgentius primus hujus cœnobii Abbas conſecratus eſt in feſtivitate S. Gregorii.

Anno CIƆ. XCI. nobilis vir Heribrandus divina revelatione admonitus à S. Petro apud Afflighem ad converſionem venit; qui XXX. die mox à Deo vocatur. Quem ſecuti quinque filii ejus, frater quoque magni nominis & potentiæ, nomine Ingelbertus, omnes tonſurati ad cœleſtes theſauros terrena patrimonia tranſtulerunt.

Anno CIƆ. XCVI. Ida Bolonienſium Comitiſſa tradidit nobis Eccleſiam, quæ eſt in villa Genapia, cum decimis & univerſis ejus reditibus, conſentientibus filiis ſuis, Godefrido Duce, Euſtathio & Baldewino.

Idem Godefridus Bullionius Dux, filius in eadem villa quinque manſos terræ nobis donavit; ad quos ipſa poſtea quaſdam partes circumjacentes, plane unum continentes, in augmentum conceſſit.

Anno CIƆ. XCIX. cellam Fraxinam Dominus Fulgentius Abbas ſuſcepit regendam. *Porro Fraxina ſeu Fraxinea cella*, Gallice Freſne, *Prioratus eſt in Gallo-Brabantia, cujus initia Ermenburgi piæ matronæ debentur.*

Anno CIƆ. C. cellam ſancti Andreæ prope Brugas ſitam Dominus Abbas Fulgentius ſuſcepit regendam. *De ea fuſe egimus cap. XLVIII.*

Anno CIƆ. CV. immunitas Affligemenſis Eccleſiæ etiam Apoſtolica auctoritate à Paſchali Papa corroboratur, anno VI. Pontificatus ejus.

Dominus Fulgentius Abbas locum, qui Foreſt dicitur, ſuſcepit. *Vide cap. LVII.*

Anno CIƆ. CXX. cellam in Bornehem Dominus Abbas Fulgentius ſuſcepit regendam, tradente Abbate, & Canonicis ejus monachis factis, quia per eos regi non poterat.

Eſt autem Bornehemium Flandriæ municipium, titulo Baronatus illuſtre, inter Antverpiam & Teneramondam opida, ex oppoſito Tamiſiæ, ad veterem alveum Scaldis fl. ſitum; in quo Abbatiale Canonicorum regularium olim cœnobium, circa annum milleſimum centeſimum fundatum exſtitit, cujus hodieque rudera ac veſtigia ſpectantur. Sed N. Bornehemienſi Abbate ſecundo, cum ſodalibus ſuis, inſtitutum Benedictinum in Affligemio amplectente, univerſa ejus loci prædia Affligemienſibus acceſſerunt. Hodie Bornehemium Præpoſitura eſt ac parœcia, Affligemienſi Abbatiæ annexa.

Anno CIƆ. CXXV. Dominus Fulgentius Abbas locum, qui Fliderbeke dicitur, ſuſcipit. *Vide cap. L.*

Anno CIƆ. CXXXIII. Domino Fulgentio Abbati locus Bigardis commendatur. *Vide cap. LXI.*

Anno CIƆ. CXXXIX. Godefridus Lovanienſis, Dux Lotharienſium moritur, & Affligemienſis templi ſepultura honoratur.

Anno CIƆ. CXL. Henricus Comes, filius Ducis Godefridi, ſuperiori anno defuncti, militiæ cingulo depoſito, Affligemienſis monachus factus, cœleſtis militiæ ſignaculum accepit, & cito vocatus à Deo migravit.

Anno CIƆ. CLII. in Eccleſia S. Nicolai, quæ conſtructa eſt in opido Bruſellenſi, S. Maria mater Chriſti operata eſt tanta miracula, quod à temporibus Apoſtolorum adeo magna & frequentia, in tam brevi tempore nuſquam ſunt audita. Dum enim conſenſu Abbatis Affligemenſis, & conſilio fratrum, feretrum illud in honore S. Mariæ auro & argento operiendum, ab Eccleſia (a) Waverenſi, cum cæteris reliquiis, quæ in eadem continentur, fuiſſet

(a) *Capellam B. Mariæ in Wavera Henricus Comes Bracbatenſis dedit Affligemienſibus an. 1096. vide c. XLIII.*

fuiſſet allatum, & in Eccleſiam S. Nicolai reverenter locatum, ſtatim operante divina virtute, per meritaglorioſæ virginis, cæci viſum, ſurdi auditum, claudi greſſum receperunt, & tot infirmi variis languoribus oppreſſi, à Paſchali hebdomada uſque in diem nativitatis S. Joannis ſanitatem optatam conſecuti ſunt. Si fratres ſupradictæ Eccleſiæ hæc per ſingula ſtili officio fidelium memoriæ commendaſſent, non parvum volumen poſteris profuturum conſcripſiſſent.

Hoc bono odore provincia in brevi reſperſa, non ſolum ex noſtris, ſed ex valde remotis partibus factus eſt concurſus divitum & pauperum: diverſæ ætatis, & utriusque ſexus fideles cum oblationibus ſuis convenerunt, & tantam pecuniam, quæ non facile æſtimari poteſt, hac ratione dividendam obtulerunt; partim ſcilicet in ſuſtentationem pauperum, partim in reſtaurationem Eccleſiarum, partim in uſus fratrum in Eccleſia Affligemienſi, vel Waverenſi Deo ſervientium. Abbas etiam Affligemienſis, & fratres ejus, pedites uſque ad ipſum opidum convenerunt, ubi albis veſtiti & cappis induti, proceſſionem multitudine monachorum compoſite & honeſte ordinaverunt, & ſic cantando, Deum & ejus Genitricem collaudando, cum magna gloria & applauſu totius populi: qui ea die dicuntur fere adXXX. millia conveniſſe, Eccleſiam S. Nicolai intraverunt. Atteſtati ſunt fideles, numquam ſe aliquo conventu, qui factus ſit aliquando, ſive Imperatoris, ſive juſſu Romani Pontificis, tam honeſtam, & tam bene ordinatam proceſſionem vidiſſe.

Quoddam inſuper beneficium, quod non eſſet ſilentio prætereundum, imo ſuper cetera commendandum, ipſa glorioſa Domina contulit toto illo tempore fidelibus ſuis, per quod bella multa, quæ jam, inſtigante maligno, concitata fuerant, & ſeditiones conſopitæ quieverunt. Dum enim ex diverſis partibus multi conveniſſent, de quibus auditum eſt, quod inimici eſſent ad invicem, ſtatim ſine ulla exactione pecuniæ, vel qualibet ſatisfactione, quæ inter ſæculares in hujusmodi negotiis ſolet fieri, ſolo Dei timore, & amore piiſſimæ Matris correpti, interventu fidelium in pace reconciliati ſunt.

Hoc finito tempore relatum eſt feretrum illud in ſupra nominatam Eccleſiam cum reliquiis; nec tamen toto illo anno deſiit Mater miſericordiæ à cœptis circa infirmos beneficiis.

Anno CIↃ. CLIII. Bruſellenſes opidani Dominam noſtram (ſic enim ajunt) de Eccleſia Waverenſi devote & humiliter tollentes, cum honore ſuſceperunt, & ſuo tempore pacifice & cum gaudio remiſerunt.

Hactenus ex MS. Sigeberti Gemblacenſis Chronico, quod à monacho Affligeminenſi auctum, V. Cl. Juſtus Lipſius è ſua nos bibliotheca transmiſit.

Affligemienſe porro cœnobium, inter Bruxellam & Aloſtum opida loco amœniſſimo ſitum viſitur; cujus quidem loci dignitas Abbatialis, Apoſtolica ac Regia auctoritate, Archiepiſcopatui Machlinienſi patrum memoria inſtituto, eſt annexa.

CAPUT LXXI.

Munſterienſis *ſeu* Monaſterienſis, *B. Virginis Abbatia, olim extra, nunc intra muros urbis Luceburgenſis ſita.*

Haud longe à muris urbis Luceburgenſis, in jugo montis, inter ruinas caſtri Veteris Luceburgenſis, & caſtri Mansfeldici, à Petro Erneſto Mansfeldio, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo, exſtructi, celebre olim exſtitit cœnobium, BB. Apoſtolis Petro & Paulo primitus dicatum, poſt Deiparæ Virginis cognomento donatum, quod ob excellentiam præ ceteris ejus tractus cœnobiis vulgo Munſter *eſt nuncupatum. Iſtud an. Chriſti milleſimo octogeſimo tertio à Conrado Comite Luceburgenſi cui uxor fuit Clementia, Henrici IV. Imp. filia, conditum eſſe, mihi per literas R. P. Joannes Bertelius, hujus olim cœnobii, nunc Epternacenſis Abbas ſignificavit.*

Bellis porro ſævientibus inter Carolum V. Imp. & Franciſcum I. Galliæ Regem, Munſterienſe cœnobium à noſtris hominibus, ne Gallis hoſtibus domicilium præberet, incendio abſumptum eſt. Eſtque id temporis in ſepulcro fundatoris inventa tabula plumbea, cujus hanc fuiſſe inſcriptionem teſtatur Caſpar Bruſchius in Chronologia monaſteriorum Germaniæ.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, quieſcit hic Comes Conradus. Hic cum inter ſeculi principes fama probitatis eſſet celeberrimus, ſepulcrum vitæ principis adiit amore divino ſuccenſus, indeque rediens, divina vocante clementia, obiit peregrinus, ſepultus in terra decenter, non ſua: indeque anno dormitionis ſuæ ſecundo ſublatus, an. quarto, ipſo die annuæ migrationis ſuæ de ſeculo, hic fuit repoſitus, præſente conjuge ſua Clementia, per manus filiorum ſuorum, Adelberonis Primicerii Metenſis, Henrici Comitis, Conradique Comitis, præſente Rodolpho Abbate, filio Comitis, quem ipſe proviſorem & ordinatorem hujus loci ſtatuerat. Facta ſunt hæc regnante permiſſu Dei, Henrico tyranno damnato, ac piæ memoriæ Gregorio Pontifice Romano. Obiit autem VI. Idus Auguſti, anno Dominicæ incarnationis 1086.

Ceterum Carolus V. Imp. monachis Munſterienſibus Xenodochium pauperum, baſilicæ S. Joannis Baptiſtæ contiguum, atque in ipſa urbe Luceburgenſi ſitum, cœnobio novo excitando, poſtmodum donavit,

quod hodie ædificiis ac disciplina monastica est illustre. De Munsteriensis cœnobii origine atque Abbatibus, plura qui volet, Joannem Bertelium, in Historia Luceburgensi nuper edita consulat.

Aldeburgense monasterium, secundo milliari ab Ostenda, Flandriæ opido olim situm.

ALdeburgum primæ olim notæ apud Flandros opidum fuisse constat. Sed Attila Hunnorum Rege Galliam vastante, cum aliis opidis excisum est; & monstrant bodieque castrorum Attilæ locum, primo lapide ab Aldeburgo, quem vernacule Attilaghem *nuncupant. Tradunt autem a Balavino Calvo, Flandriæ Comite, ad annum Christi octingentesimum sexagesimum quintum*, burgum Brunense, *cum a patre ejus muniri cœptum esset, Aldeburgi ruderibus eo advectis, cinctum fuisse.*

In hoc porro Flandriæ tractu S. Ursmarum, *Episcopum & Abbatem Laubiensem, Evangelii olim doctrinam sparsisse, tradit Anso Abbas Laubiensis, in historia vitæ ejus, quæ a Ratherio Veronensi Episcopo emendata, & à Laur. Surio, quamquam non plene, typis est edita. Nos eam integram ex manuscriptis codicibus Laubiensibus nacti sumus, in qua sic inter alia legitur:* ipse provinciæ dominus Aldo nomine, B. Ursmari prædicatione ad fidem Christi conversus, donavit de suo dictum vocabulo Aldeburch vicum, in quo construxit, atque consecravit Ecclesiam in honore Petri Apostoli, & mille passus undique per circuitum: de quo postea dotavit Ecclesiam Laubiensem, quatenus ipse B. Petrus Apostolus, cui à Domino ligandi atque solvendi collata est potestas, patrocinaretur Flandrensibus atque Menapensibus, qui de diversis idolorum cultibus revocati, facta erant una Ecclesia Christi. *Sic Anso & Ratherius. Anso obiit an.* 713.

Alii tamen Aldeburgum, sive Oudeburgum, quasi vetus castrum, ab antiquitate sic dictum volunt. Utut sit, illud constat an. Christi millesimo octogesimo quarto, à S. Arnulfo Suessionum Episcopo monasterium insigne Aldeburgi, in honorem SS. Petri & Pauli Apostolorum, exstructum. De his rebus sic Meyerus in Annalibus Flandriæ: An. CCCC. LIII. factum est memorabile illud prælium ab Aetio Romano adversum Hunnos in campis Catalaunis. Stabant pro nomine Romano, præter Aetii exercitum, Visigothi, Alani, Burgundiones, Franci & Saxones, magis Attilæ Regis odio, quam Romanorum studio adducti. Attilæ præter Hunnos aderant Ostrogothi, Quadi, Rugi, Gepidæ & Marcomanni. In his Reges sex nominatim memorati, Attila Hunnorum, Valamirus Ostrogothorum, Theodericus Visigothorum, cum filio Thurismundo, Ardaricus Gepidarum, Meroveus Francorum, & Sigebar Alanorum. Ceciderunt CLXXX. millia hominum, in quibus Theodericus Rex Visigothicus. Victus Attila de morte sibi consciscenda cogitavit, sed eo omisso consilio, in Pannoniam se recipit. Ea tempestate vix ulla per Gallias civitas Hunnicam subterfugit rabiem. In hac nostra Belgica Tornacum & Tarvanam & Aldenburgum excisa lego. Tum Colonia Agrippina, (teste Rhenano) Tungrorum opidum, Novesium, Vtricesium, Castra Herculis, Vetera, Asciburgum, Noviomagum, Antennacum, Bingium, Magontiacum, Argentaria, Augusta Rauricorum, multaque alia opida partim ab Hunnis, partim à Francis funditus destructa sunt, quorum de vastatione Sidonius Apollinaris.

Etiam terrificis diffuderat Attila campis
In campos se, Belga, tuos:
Francus Germanum primum, Belgamque secundum
Sternebat.

An. CIↃ. LVI. Aldenburgenses collapsum longa ætate D. Petri templum, lapidibus opidi jam olim eversi reædificarunt: qua tempestate eo in opido tantus est cœmiterio Virginis Matris habitus honos, ut in illo nisi nobiles non sepelirentur, aliique omnes, qui obscuri essent generis, ad D. Petri humarentur. Pro ejus templi restituti memoria hos fecere versiculos:

Anno milleno quinquageno quoque sexto,
Hujus opus templi cœptum cognoscitur esse,
Lignea Basilica fuerat quo condita primum.

De miraculis, quibus est illustratum anno CIↃ. LXXXI. templum Aldeburgense, vide Epistolas quas edidimus de Viris illustribus.

Anno CIↃ. LXXXIV. Conon Roberti Flandriæ Comitis cubicularius, Aldenburgensis Ecclesiæ gentilitium tenebat sacerdotium. Cæterum Hasecca ejus uxor, mulier religiosa templum tantis miraculis insignitum diutius retinere formidabat. Quapropter Conon suasu uxoris Roberto Comiti, Robertus Episcopo Rabodoni, (a) Rabodo autem S. Arnulfo Episcopo Suessionum id ipsum tradidit: quod ipsum Arnulfus, assentiente Roberto Comite, statim convertit in cœnobium Benedictinorum monachorum.

Anno CIↃ. LXXXVII. XVIII. Kal. Septembris Aldenburgi defunctus est divus Arnulfus Episcopus Suessionum, sepultusque ibi in æde D. Petri. Tunc Arnulfus ejus nepos ex Aszela sorore primus factus est Abbas Aldenburgensis. *Hactenus Meyerus. Vita Arnulfi exstat apud Surium Tom.* 4.

Porro

(a) *Fuit iste Rabodo seu Ratbodo Noviomensis ac Ternacensis Episcopus. An.* 1087.

Porro Aldeburgense monasterium, anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, à Calvinianis pœne funditus est eversum; loci vero hujus monachi hodie Brugensi in urbe agunt, pacatiora aliquando tempora exspectantes.

Cæterum inter Abbates Aldeburgenses olim Hariulfus *emicuit, qui vitam* S. Arnulfi *Suessionensium Episcopi litteris consignavit, quæ manuscripta exstat integra in Ursicampo, Ord. Cisterciensis monasterio, apud Noviomum Picardiæ urbem, cujus hoc est initium:* Domino Lamberto Dei gratia Tornacensi Episcopo filiorum ultimus Hariulfus. *Hanc ipsam Surius Tom. IV. edidit sed præfatione triplici omissa.*

Hujus etiam Aldeburgensis cœnobii alumnus fuit Arnoldus Wionus *patria Duacensis, qui bellis civilibus apud Belgas renascentibus, in Italiam se contulit, optimeque de universa familia Benedictina est meritus, libris aliquot, de illius origine, progressu ac viris illustribus, in lucem editis, quos* Ligni vitæ *titulo prænotavit.*

Hammense Monasterium, inter Aeriam & Lilariam, Artesiæ opida.

JOannes Bertinensis Abbas XXXIX. consecratus est an. Domini millesimo octogesimo primo. Hujus Abbatis anno tertio Balduinus Ghisnarum Comes, & Ingeiramus Lilariensis Dominus à peregrinatione S. Jacobi redeuntes per Pictaviam, hospitati sunt in monasterio Carofenum. Et videntes ibi religionem bene vigere, de monachis Carofensibus secum ad has partes adduxerunt. Et quidem Balduinus Andrense, Ingelramus vero Hammense monasteria in honorem S. Salvatoris fundaverunt, an. Domini millesimo octogesimo quarto. *Sic Iperius in Chron. MS. Bertinensi. Cui Meyerus in Annalibus Flandr. æ subscribit:* Anno CIↃ. LXXXIV. Balduinus Comes Ghisnensis, & Engerannus Lilariensis, reversi ex Hispania à Compostella D. Jacobi, monachos secum deportaverunt ex monasterio Carofensi in Pictonibus, permissuque Gerardi Morinorum Episcopi, Ghisnensis Andriense, Lilariensis vero Hammense condidit cœnobium. *Hactenus Meyerus. Haud abs re fuerit hoc loco subnectere fundationem cœnobii, Capellensis seu Merkensis, ex Iperii ejusdem citato Chronico:* Anno Domini millesimo nonagesimo Eustathius Boloniæ Comes, & uxor ejus Juda Ida parentes ac genitores illius clarissimi atque illustrissimi Godefridi de Bullione, ac Balduini postea Regum Hierusalem, fundaverunt monasterium B. Mariæ de Capella, intra terminos de Merck, juxta Calesium, in loco, qui prius dicebatur Broucham, & monachos ibi Hammenses instituerunt. Ubi & ipsa Ida Comitissa XI. de capillis B. Mariæ virginis, quos ab Hastulfo Rege magnis precibus impetraverat, cum aliis Sanctorum reliquiis obtulit. *Idem tradit Meyerus in Annalibus Flandriæ.*

Porro Merckense seu Capellense hoc cœnobium secundo fere milliari à Caleto olim situm, postea adjunctum est cœnobio Morinensi S. Joannis in Monte, de quo supra diximus. c. 19.

S. Dionysii Monasterium, in Broqueroia, *secundo lapide à Montibus Hannoniæ metropoli situm.*

RIchildis Flandriæ & Hannoniæ comitissa, quæ obiit an. 1086. & filius ejus Balduinus, piis operibus & eleemosynis intendentes, in suo allodio Ecclesiam S. Dionysii construxerunt, in qua monachos S. Benedicti instituerunt, & ipsam villam, multisque in locis terras cultas & incultas, silvas, & aquas, & prata, servos & ancillas eidem Ecclesiæ contulerunt, & qua potuerunt libertate, atque honore adfecerunt. In diebus illis Montibus Hannoniæ in Ecclesia sancti Petri tredecim erant Canonici, quorum præbendæ ad donationem Capituli sancti Germani, ejusdem urbis, pertinebant. Unde Richildis Comitissa, & Balduinus ejus filius tantum effecerunt, ut illæ præbendæ in usus monachorum sancti Dionysii converterentur. Et cum omnes oblationes altarium Montensium, & Capellaniarum ad Sacellanos sanctæ Waldetrudis, scilicet ad Canonicos sancti Germani, excepto monasterio S. Petri, pertinerent, compositum fuit ut Ecclesia sancti Germani monasterium sancti Petri, ab Ecclesia S. Dionysii sub annuo censu sex denariorum in ipsius S. Dionysii festo solvendorum, in ipsa Ecclesia S. Dionysii, susciperet perpetuo tenendum. *Hæc fere Jacobus Guisianus in MS. Hannoniæ Chronico.*

CAPUT LXXII.

Zuiphaltense monasterium in d. Constantiensi.

ZUiphaltum sive Zuifaltaha, Latine *ad duplices aquas*, cœnobium à duobus rivis Aych cognominatis, in ipso monasterio concurrentibus sic dictum, Constantiensis diœcesis, non procul à Danubio inter Hanigum & Riedlingum oppida, tribus miliaribus supra Ulmam in Alpibus Sueviæ situm, fundatum amplissimeque dotatum est anno Christi 1088. in honorem B. Mariæ Virginis, pro XII. monachis ex Hirsaugia adductis, ab illustribus Comitibus de Achalm *Luitholdo* & *Chunone* duobus germanis fratribus, pontificatum Urbano secundo, imperium vero Henrico quarto tenentibus. Dotatum est mox ab *Adalberto* quodam Comite Calewensi Sindelfingiacensis cœnobii fundatore.

CAPUT LXXIII.

S. Martini Cœnobium, in urbe Tornacensi.

S. Eligius Noviomensis ac Tornacensis Episcopus, dentes duos Sancti Martini Turonensis Episcopi cum haberet, quos pio adfectu, ex maxilla beati Præsulis extraxerat, cum sacrum ejus corpus à Lothario Galliæ Rege aureæ capsæ includendum accepisset, indignum judicans sacratissimos hosce dentes, diutius apud se, sine honore publico, retinere, statuit eos publice in basilicis honorandos deponere. Cum itaque apud Tornacum Nerviorum, prædicationis Evangelicæ munus obiret, montem amœnissimum reperit, in quo sanctum Martinum olim orasse, mortuumque ad vitam revocasse, constanter incolæ adfirmabant. Ratus itaque optimam propositi sui exequendi occasionem sibi oblatam, in dicto monte, opidi muris nunc incluso, basilicam & monachorum cellas exædificavit, eoque in loco alterum beati Martini dentem (alterum enim Noviomensi Ecclesiæ dedit,) quem hodieque monachi pie adservant, reliquit. Destructum est autem hoc S. Martini cœnobium à Normanis Belgicam vastantibus, anno octingentesimo octogesimo secundo, soloque æquatum, præter sacellum quod inter ruinas, meritis haud dubie beatorum Præsulum, subsistens, post instaurationi occasionem dedit. Anno namque Christi millesimo nonagesimo secundo (a) postquam Odo, summæ vir eruditionis, Aureliis Tornacum à Collegio Canonicorum B. Virginis evocatus, scholisque præfectus annos quinque Rectoris munere laudatissime functus fuisset, & sanctioris vitæ genus cum discipulis suis aliquot, amplecti jam statuisset, Radbodi Noviomensis ac Tornacensis Episcopi rogatu, B. Martini sacellum, apud muros urbis inter rudera adhuc subsistens, comitante clero, populoque applaudente, postridie Kal. Majas (qui dies tunc Dominicus erat) cum sociis possidendum accepit. Vixit autem cum suis primum juxta regulam S. Augustini: at postmodum, Haimerici III. Abbatis Aquicincti consilium secutus, S. Benedicti habitum atque institutum adsumsit. Anno vero millesimo centesimo quinto, ab instauratione monasterii decimo quarto, dictus Odo Abbas, ad Episcopatum Cameracensem raptus est; relictis in monasterio, à se nuper exstructo, monachis Benedictinis amplius octoginta, quibus abiens Segardum virum optimum præfecit, qui annis viginti & uno, magna cum laude, præfuit. *Hæc fere ex loci istius monumentis desumta nobis transmisit R. P. Petrus Loberius, ejusdem cœnobii Abbas, noster olim in studiis Theologicis Lovanii collega. Ceterum Odo sede sua Episcopali postmodum pulsus, quod virgam & anulum, quæ consecratus ab Ecclesia acceperat (ut ipsemet scribit lib. de blasphemia in S. Sanctum) ab Henrico IV. Imp. iterato nollet accipere, ad Aquicinctinum cœnobium se contulit, ubi & obiit anno millesimo centesimo decimo quarto. Scripsit is varia, quæ Trithemius, Henricus Gandavensis, & nos in Bibliotheca Belgica recensemus: ex quibus in Bibliotheca SS. Patrum exstat Commentarius in Canonem Missæ ad Vulbodonem monachum Affligemiensem conscriptus.*

Est autem in hoc Martinensi cœnobio pulcherrima atque amplissima librorum manuscriptorum Bibliotheca, quam aliquando cum admiratione lustravimus.

VArios inter manuscriptos codices, ad quos Sigeberti Gemblacensis Chronicon à nobis cum Appendice Anselmi Abbatis Gemblacensis evulgatum, comparavimus, & Ortelianum exemplar à Tornacensis hujus cœnobii, ut apparet, monacho auctum usui nobis in primis fuit. In eo autem non pauca de monasterii istius instauratione leguntur inserta, quibus nostratis Ecclesiasticæ antiquitatis studiosum nequaquam duximus frustrandum.

Anno CIↃ.XCII. in suburbio Tornacensi ad septemtrionalem plagam urbis, monasterium sancti Martini construere incipit Odo Aurelianensis, VI. Non. Maji, die Dominico. Ex condicto namque prædicta die eo adveniens, comitante eum solemni processione Domino Radbodo ejusdem urbis Episcopo, & clericis Ecclesiæ beatæ Dei genitricis Mariæ, cum populi maxima multitudine, locum ab eodem suscepit Episcopo, una cum IV. fratribus secum ibidem Deo militaturis regula Canonica, sub habitu clericali. Qui Odo Aurelianis oriundus, Tornaci tunc temporis Scholasticus, nullo Cisalpinorum inferior fama celebrabatur, Dialecticæ artis, ceterarumque liberalium scientia. Qua ex re, undequaque ad eum clericis confluentibus, unus è peregrina superveniens regione, annulum aureum illi obtulit, in quo monostichon hoc insculptum fuit.

Annulus Odonem decet aureus Aureliensem. Hæc retulimus, ut ex iis conjiciatur, quantum apud unam regalium Ecclesiarum honorem habere potuisset, si illo tetendisset, dum maluit Christo adhærere in loco pauperiei & indigentiæ.

Anno CIↃ.XCIII. Odo Aurelianensis, invalescente religionis fervore, monachicum habitum una cum ceteris fratribus suscipit, secum in hoc monasterio S. Martini Tornacensis constitutis. Et quia tanta fama viri, ut prædiximus, circumquaque diffusa, tantumque lumen sub modio latere diu non potuit, Dei ordinatione, qui eum altius in posterum sublimare disponebat, cuncta congregatio jam, Deo largiente, numerosior adulta, unanimi voluntate parique voto, eumdem Odonem Abbatem sibi præficit, assensu Radbodi jam prædicti Episcopi. Cui in tantum divina gratia adfuit, ut cum ante ejus adventum, idem locus per

(a) *Meyerus in Annal. Flandriæ tradit id factum an.* 191.

per CCC. fere annos desertus fuisset, nec quidquam omnino appendiciorum haberet, plusquam LXX. monachos infra XII. annos in eo congregaverit, constructis sufficientibus eis officinis, tanta agrorum amplitudine acquisita, tantaque substantia, quæ superabundaret ad necessarios usus, tam supervenientium hospitum, quam inhabitantium monachorum.

Anno CIↃ. CV. Manasse Cameracensi Episcopo accepto monachico habitu, Odo primus Abbas ex cœnobio sancti Martini Tornacensis Ecclesiæ in Episcopatu ei succedit. *Hactenus ex manuscripto Sigebertini Chronici exemplari quod olim Abrahami Ortelii, Cosmographi Regii fuit, nunc in bibliotheca Soc. Jesu Antwerpiæ adservatur.*

Obiit autem Odo XIII. Kal. Julii, an. Christi millesimo centesimo decimo tertio, (non decimo quarto, ut alibi legitur:) quod ex libello seu (a) Epistola longiore, de ejus vita & obitu à N. monacho Aquicinctino scripta certo didici. In qua de scriptis ejus hæc inter alia leguntur: Extant apud nos quædam ejus opuscula, quæ digna habentur memoria, scilicet de Canone Evangeliorum, & Canone Missæ libelli duo, Disputatio contra Judæum, Homilia de Villico, Liber unus de originali peccato, & alius de blasphemia in Spiritum sanctum, quem interrogationi meæ dignatus est respondere, meoque nomini consecrare.

Commentarius porro in Canonem Missæ scriptus est ad Wolbodonem monachum Affligemiensem, unum è sex illis primis militibus, qui cœnobii Affligemiensis fundamenta jecerunt.

CAPUT LXXIV.

Formpachense monasterium, vulgo Formpach, *in Bavaria.*

DE fundatione istius monasterii scribit Aventinus, quod omnino non convenit cum infra scriptis monumentis & confirmatione Lotharii Imperatoris, ex quibus, quomodo se res habeat, certius comprobatur. *Incipit commemoratio traditionum cœnobii sive monasterii S. Mariæ, quod est ad Formpach. Ego Berengerus, Formpachensis cœnobii primus non meis meritis Abbas, & hi, qui mecum congregati sunt fratres, animadvertimus, alternæ charitatis & debitæ esse retributionis illos describi, qui primum, & qui deinceps suæ hereditatis heredem fecerunt Ecclesiam nostram, quæ est ad Formpach consecrata in honore S. Dei Genitricis Mariæ, pariterque loca, à quibus & quomodo ad hanc tradita sint, adnotari, ut notitiam illorum, qui ea tradiderunt, successoribus nostris relinquamus, & per hanc memoria eorum nominatim fiat & longa. Tradidit namque in primis Domina Himelrud, venerabilis matrona, ad eandem Ecclesiam, cum manu Advocati sui, in usus ibidem Deo servientium, hæc suæ proprietatis loca, quæ hic sunt nominata, villam scilicet Tremnaten, Winebartesheimin, Machingen, Hartheim, Rischermin, Minicheimin. Accepit quidem ea ipsa materfamilias Thiemonem Comitem in Advocatum sibi, etiam dictæ Ecclesiæ, & his omnibus, qui vel quæ ad hanc pertinent; ea ratione & complacitatione, ut nunc post illum ejusdem advocationis curam & regimen susciperet, qui in filiis ejus primus esset ætate, & sic simili modo de filiis in filios suæ posteritatis hujus tutelæ procuratio transiret, quatenus eo propensiori cura susceptis in patrocinatum patrocinaretur, quo se vicem & locum patris, avi, etiam proavi procurare sciret: postea Eckpertus Comes quarto loco a prænominato avo Thiemone ejusdem procurationis debitor effectus, consilium habuit cum Abbatibus, cum Marchionibus, & aliis honestioribus religiosis viris religionis, & maxime cum Episcopo Pataviensi Udalrico, & ex fiducia & auctoritate consilii eorum, congregatis, in eodem loco Formpach monachis, effecit Abbatem Berngerum, monachum expertum atque probatum, quem Episcopus Pataviensis ille, qui supra, anno Incarnationis Dominicæ* 1094. *indictione secunda*, 16. *Kalend. Januarii, Abbatem consecravit, & faciens sermonem pro eo ad populum, enunciavit ea, quæ ipse Advocatus Eckpertus, & cunctus qui aderat populus collaudavit videlicet, ut ea ipsa Abbatia ad Formpach sit libera, & monachi illi post mortem Abbatis sui liberam potestatem habeant ad eligendum sibi Abbatem, undecumque huic nomini idoneum invenire possint, sive in suo sive in alio vicino, seu longinquo monasterio, & is qui electus fuerit, ad designationem suæ electionis baculum ab altare sui monasterii sumat, & si forte monachi illi in electione dissentiant, tunc adveniens Episcopus Pataviensis, cum Advocato ipsorum eos suis exhortationibus coadjuvet, & ut mediator sanioris partis sententiam tenere persuadeat; moxque idem Præsul hæc ita suo decreto cum clericis & Abbatibus, qui præsto erant, stabilivit, & Episcopali banno confirmavit. Aliunde hæc firmari non erat propter schismata & dissensiones, quæ tunc temporis in sede Romana erant, & in regno.*

Burrhonium sive Burrhense monasterium, in d. Constantiensi.

MOnasterium istud situm est in Ducatu Wirtembergensi, secundo lapide ab Ulma Sueviæ metropoli, fundatumque circa annum 1095. ab *Anselmo*, ejusque filiis *Henrico* & Hugone, Palatinis Tubingensibus.

In eadem d. Constantiensi visitur *Biblingum*, cœnobium pariter Ordinis Benedictini, in honorem S. Martini anno 1099. ab Othone & Hermano, fratribus, Comitibus de Hirchberch.

(a) *Exstat ea MS. apud me & alibi.*

Castellum monasterium, in Palatinatu Superiore.

IN honorem Dei ac S. Petri fundatum est hoc monasterium anno Christi 1098. à *Frederico* Comite de Castelberch & *Bertha* ejus conjuge.

Abbatiæ Ordinis S. Benedicti, quæ hodieque perstant ac florent ex Chronico Constantiensi Joannis Pistorii Præpositi Vratislaviensis anno 1607. *edito.*

PEtri-domus, alias *Petershausen*, in urbe Constantiensi.
Augia major vulgo Reichenow.
Zwyfalten.
S. Georgii in nigra silva.
Alberspach.
Blaubeuren.
Ochsenhausen.
Wiblingen.
Weingarten.
Engelberg cœnobium tam monachorum quam monialium Ord. S. Benedicti in tractu Lucernensi.
Augia Prigantina.
Ysni sive Isni.
Cella B. Mariæ.
S. Truperti in Nigra silva prope Friburgum.
S. Petri in Nigra silva.
Rynow.
S. Joannis in Turtaal.
S. Galli.
Muri S. Benedicti A.
Truob.
S. Georgii in Stain.
Thuregum, monialium.
S. Blasii.
Omnium Sanctorum in Schafhusen.

Isnense monasterium.

SItum est hoc monasterium, intra muros Isnæ, opidi Imperialis apud Suevos, & fundatum in honorem SS. Jacobi & Georgii an. 1096. à *Mangoldo* Comite Veringensi, ejusque filiis *Waltero* & *Walfrado*, ut scribit Bruschius libro citato.

Neresheimium, tertio lapide à Nordlingiaco Sueviæ opido.

FUndatum ac dotatum legitur an. 1095. ab *Hartmanno* Comite Dillingensi & *Adelheide* ejus conjuge: consecratum vero ab *Ulrico* Hartmanni Comitis filio, Episcopo Constantiensi.

Ochsenhusium, in Suevia.

EST in Suevia quoque Ochsenhusiensis Abbatia, duobus milliaribus à Memmingiaco, totidemque fere à Biberaco sita: cujus primi fundatores ignorantur. Fuit olim non nisi Præpositura, à S. Blasii monasterio in Hercynia silva dependens, sed anno 1420. facta est Abbatia libera & à S. Blasii jugo prorsus exempta.

Anno 1540. totum cœnobium in corporatum est, ut loquuntur, Episcopatui Constantiensi.

CAPUT LXXV.

Augia major Germanice Reichenovv *ad locum inferiorem, in d. Constantiensi.*

ILlustris hæc Abbatia, olim utriusque sexus, nunc solummodo monachorum, fundata legitur anno Christi 1098. ab *Udalrico* Rhetorum & Brigantiæ Comite, templumque dedicatum est ab *Ulrico* Constantiensi Episcopo. Fuit hoc monasterium exemptum, nunc vero Episcopatui Constantiensi est incorporatum. In Augia majore quiescunt reliquiæ *S. Marci* Evangelistæ, Venetiis eo advectæ ante annos sexcentos: ut tradit Jo. Pistorius in Chronico suo Constantiensi, itemque *S. Pirminii* hujus loci Abbatis, ut idem commemorat.

Alba Augia Narcostorum aut potius Norici, Germanice Weissenavv *im* Nordgev, *in diœcesi Bambergensi.*

FUndatum legitur hoc monasterium an. 1053. à Gebhardo Comite, qui Eistetensis Ecclesiæ Episcopus, ac tandem post Leonem IX. consanguineum suum, Romanus Pontifex factus, Victor II. cognominatus est.

Postea

Poſtea anno circiter 1130. quaſi poſt liminio renovatum atque ampliatum eſt à S. *Otthone* Bambergenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Pomeranorum Apoſtolo. Ita Bruſchius lib. de monaſteriis Germaniæ.

Eſt & Alba Augia Sveviæ, hoc eſt Album Pratum, ſive ut alii vocant minor Augia vulgo *die Minderow*, magnificum ordinis Præmonſtratienſis monaſterium prope Ravenſpurgum opidum Imperiale, de quo vide chronicon noſtrum Præmonſtratenſe.

Augia dives, vulgo *die Reichenow*, monaſterium ampliſſimum in inſula fundatum eſt circa annum 724. à *Priminio* Epiſcopo Meldenſi ejusque loci primo Abbate, auxiliis Caroli Martelli: ad quod non niſi Principes, Comites, ac Barones olim admitti ſolebant. Ceterum Abbatia iſta Conſtantienſi Epiſcopatui eſt incorporata circa annum 1544. conſentiente Romano Pontifice.

CAPUT LXXVI.

Caſale Benedicti, vulgo Chezaubenoiſt, *in Francia.*

TEmporibus Leodegarii Archiepiſcopi Bituricenſis qui ſedit anno 1098. fundatum fuit *Caſalis Benedicti* cœnobium ac dotatum, auctore Andrea, illius monaſterii primo Abbate, qui obiit anno 1120.

Eſt hoc monaſterium caput Congregationis reformatæ in regno Galliæ. Exſtatque Bulla Leonis X. de erectione Congregationis Caſalis Benedicti, ad inſtar Congregationis Montis Caſſini, alias S. Juſtinæ de Padua, reformatæ, data Kal. decembris anno 1516. Sunt autem Abbatiæ quinque ex reformatione Caſalis Benedicti in Francia ſatis notæ: quarum Pontificia Regiaque privilegia citat Choppinus lib. 2. de Domanio Franciæ tit. 10.

Ceterum Caſalis Benedicti Abbates non niſi triennales ſunt.

Sub Congregatione Montis Caſalis, quot monachorum, totidem Virginum ſunt monaſteria, nimirum *Bituricenſe* S. Laurentii, *Lugdunenſe* S. Petri, *Nivernenſe* Noſtræ Dominæ, *Iſeurienſe* ſeu *Molinenſe* in Borbonia, & *Charentonenſe* in provincia Bituricenſi: vide Choppinum lib. 1. Monaſticon tit. 1. & tit. 2.

CAPUT LXXVII.

S. Crucis monaſterium in opido Imperiali Donawerda.

PRæclarum hoc monaſterium fundatum initio legitur pro virginibus Deo dicatis an. 1100. à *Mangoldo* Comite Dillingenſi & Hiburgenſi, ejusque conjuge *Tuta*, & auctum poſtea à duobus aliis Mandoldis ejusdem ſtemmatis Comitibus. Quorum omnium communis exſtat tumulus, hac epigraphe.

Tres fundatores Mangoldi, Tutaque, flores
Cœleſtis prati, pauſant ſimul hic tumulati.

CAPUT LXXVIII.

S. Andreæ Cœnobium, apud Brugas Flandrorum.

ANno CIↃ. XCVIII. Robertus Hieroſolymitanus, Flandriæ Comes, jubet per litteras uxori Clementiæ, cœnobium aliquod conſtruat in honorem D. Andreæ, ideo quod is Divus Petro Maſſilienſi ſacerdoti apparuerat, auctorque exſtiterat ſacræ inveniendæ lanceæ. Clementia ſtatim impetravit ab Baldrico (*aliis Balduino*) Tornacenſi Epiſcopo, & Lamberto Archidiacono, Reineroque Perſona gentilitia, altare in Stratis, alio nomine Bertferkerk, juxta Brugas cœpitque mox ibi conſtruere cœnobium nationis Benedictinæ.

Anno CIↃ. C. Robertus Comes ex Syria rediit domum, acceptus à ſuis popularibus incredibili lætitia, & cellam à ſe conſtructam juxta Brugas in honorem D. Andreæ, Fulgentio commendavit, Abbæ Haffligemenſi, ea conditione, ut is ex ſua domo monachos eo mitteret.

Anno CIↃ. CLXXXVIII. Andreani cœnobitæ juxta Brugas, qui hactenus ſub Haffligemenſibus fuerant, agente Philippo Elſatio, Flandriæ Comite, Hugonem ſibi peculiarem ac proprium acceperunt Abbam.

Anno CIↃ. CCVI. obiit Hugo primus Abbas. *Meyerus in Annalibus Flandriæ. Eadem fere tradit Chronographus Affligemenſis, cujus verba, fidei apud Lectorem augendæ, ſubjungam:* Locus iſte datus fuit nobis à Clementia Flandrenſium Comitiſſa, confirmante Balduino Tornacenſium & Noviomenſium Epiſcopo, ut ibidem monaſterium conſtrueretur. Actum anno Domini milleſimo centeſimo. Confirmavit nobis cellam iſtam Paſchalis ſecundus Papa, anno Pontificatus ſui ſexto, Chriſti vero milleſimo CV. Item rogante Frandrenſium Comite Roberto, Epiſcopus Tornacenſis liberam eam nobis fecit. Item Calliſtus II. anno ſui Pontificatus primo, Domini vero milleſimo centeſimo nono decimo, cum ſuis pertinentiis, nobis eam confirmavit. Item Eugenius tertius, anno ſui Pontificatus quarto, Chriſti milleſimo centeſimo quadrageſimo octavo. Item ab Alexandro diviſum eſt hoc monaſterium ab Haffligemienſi, de conſenſu Abbatis Haffligemienſis, ut idem Abbas eligatur, per Guilielmum Remen-

menſem Archiepiſcopum. Actum anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo octavo. Item præſente Philippo Flandrenſium Comite, monaſterium Haffligemienſe quitavit Eccleſiam prædictam & liberam ab omni jurisdictione penitus, & abſolutam clamavit, conſentiens ſuper electione Abbatis ibidem. Actum an. Domini milleſimo centeſimo octogeſimo octavo. *Hactenus ille.*

CAPUT LXXIX.

Monaſterium S. Petri in monte Matrona apud Bavaros.

IN vertice Matronæ montis, qui in ſuperiori Bavaria D. Petro dicatus, Oeno continuatur, ſupra caſtrum *Falckenſtain*, atque in illius ditione ſitum monaſterium *Berchtoldus* Comes *ab Andechs & Diſſen*, Monachis S. Benedicti ædem condidit, circa annum 1100. Sic Aventinus. Alibi ſic ponit, *Arnulphi Comitis filii*, *Poppo*, *Berchtoldus primus*, *Otto Wolfratshuſius*, *& Gebhardus*, *hoc monaſterium fundarunt*. Defecit hoc monaſterium poſtea, atque exciſum eſt eo bello, quod Rudolphus Dux Bavariæ, juſſu ſoceri, ſui Adolphi, Rom. Regis, contra Menardi Ducis Carinthiæ & Comitis Tyrolenſis filios rebelles Imperii, geſſit. Monachis in exilium actis, Conradus ad *Hornſtam* ejusdem religionis, ſacras reliquias ac librum Miſſalem perveterem (quæ adhuc hodie monſtrantur,) ſecum abſtulit, anno 1296. atque in ſanctum montem *Andex* portavit, juxta Aventinum lib. 7. Annalium. Deinde monaſterium hoc in Præpoſituram abiit, quam Princeps plerumque alicui ex aulicis ſacerdotibus confert, qui ibi vicarium habet, absque ulla animarum cura, quæ ad parochiam *Flinſpach* ditionis prædictæ in Falckenſtein pertinet. Ita Hundius.

Spanheimenſe ſeu Sponheimenſe monaſterium in d. Moguntina.

ANno Chriſto 1044. *Everardus* Comes de Sponheim Eccleſiam in loco qui *Mons Campi* dicebatur antiquitus, fundavit. Anno 1101. Stephanus Comes de Sponheim Eccleſiam in Monte Campi à ſuis progenitoribus fundatam in cœnobium monachorum Ordinis D. Benedicti erigendum curavit. An. 1123. Megenhardus Comes, Stephani filius Eccleſiam & monaſterium Sponheimenſe, dedicandum curavit in honorem B. Mariæ & S. Martini Turonenſis Archiepiſcopi. Plura vide in Chronico Sponheimenſi Joannis Tritemii hujus loci Abbatis qui obiit Abbas S. Jacobi majoris apud Herbipolim.

S. Dyſibodi monaſterium, in d. Moguntina.

ANno 1108. cœptum eſt monaſterium conſtrui in honorem S. Dyſibodi. Piæ namque memoriæ Burchardus Abbas D. Jacobi Moguntiæ, quem Ruthardus Archiepiſcopus Eccleſiæ S. Dyſibodi primum Abbatem præfecerat, II. Kal. Julii primum fundamenti lapidem juſſu præfati præſulis poſuit, ita Dodechinus in Chronico: Vide Serarium lib. 5. Rerum Moguntiacarum in Ruthardo Archiepiſcopo.

Malharſtorf, alias Malharzdorf, & Madilhartiſtorf.

MOnaſterium iſtud fundatur per *Henricum & Erneſtum* filium, Comites de Kirchperg, anno 1109. Aventinus in Annalibus ita ponit: *Eadem tempeſtate Henricus & filius ejus Erneſtus Comites à Kirchperg, arcem ſuam Mallerſtorf, in inferiori Bavaria prope Laber amnem ſitam, in templum commutant; Hartwicus Ratisbonenſis Epiſcopus dicat, ſacris D. Benedicti initiat, Burchardum Magiſtrum, id eſt, primum Abbatem legit.* Primo ibi juxta caſtrum, in quo comites illi reſidebant, ædificata eſt capella in honorem S. Burchardi, quæ adhuc hodie vetus & prima fundatio appellatur; *die alt Stifft*, & non tantum pro Abbate & monachis, ſed etiam pro Prioriſſa & monialibus S. Benedicti Ordinis, quæ poſtea defecerunt; ſicque totum caſtrum in monaſterium tranſivit. Sunt autem in illa capella S. Burchardi non ſolum fundatores ſepulti, verum etiam ſex alii illius familiæ; quod teſtatur vetuſtus lapis ibi cum hac inſcriptione.

Hic fundatores Comites tumulus capit iſte,
In cœlis Chriſte, facies tibi proximiores.

Hoc monaſterium fuit per manum liberi hominis Eberhardi Eccleſiæ Bambergenſi collatum, confirmatumque per Innocentium Pontificem anno 1139.

CAPUT LXXX.

Regni Scotiæ monaſteria varia.

MUlta olim Benedictini Ordinis monaſteria in regno Scotiæ exſtiterunt, multique ex eo regno viri Apoſtolici in Germaniam ſuperiorem atque inferiorem transmigrarunt: Ut ex Joanne Molano in Natalibus Sanctorum Belgii; ex Vigileio Hundio in Metropoli Salisburgenſi, ex Gaſpare Bruſchio in Chronologia monaſteriorum Germaniæ, aliisque diſcere licet.

Inter Scotiæ monaſteria hæc celebria fuere, *Dunelmenſe*, *Dunſermelinenſe*, *Scovenſe*, *Novocaſtrenſe* ut alia.

Dun-

Dunfermilinensem Abbatiam excitavit *Edgarus* LXXXIX. Scotiæ Rex, & frater ejus, atque in regno successor Alexander fastigio imposito perfecit, multisque prædiis locupletavit; Edgarus anno Christi 1109. & regni sui nono vivere desiit; Dunfermelini sepulturæ traditus.

In Novo Castro *David* I. eo nomine Rex duo monasteria exstruxit, unum ordinis S. Benedicti, alterum ordinis Præmonstratensis. Hæc tradit Jo. Lesleus lib. VI. de rebus Scotorum.

CAPUT LXXXI.

Michaelis campus, Germanice Michelsfelt.

MOnasterium istud generis nobilitate conspicuis destinatum circa annum Christi 1119. excitavit *Otho* VIII. Episcopus Bambergensis & Pomeranorum Apostolus, ut ex illius diplomate constat, quod Bruschius recitat in Chronologia monasteriorum Germaniæ.

Monasterium & Congregatio Bursfeldensis in Germania.

ANno 1420. quo Constantiæ in Germania Synodus est celebrata, Capituli, ut loquuntur seu Congregationis Bursfeldensis reformatio sumpsit exordium. Hujus auctor fuit *Joannes Rodius*, Abbas cœnobii S. Matthiæ apud Treveros, qui generalis ordinis Visitator à Constantiensi Synodo constitutus, seipsum inprimis ac monasterium suum reformavit, & decretorum à se editorum confirmationem à Romano Pontifice impetravit. Inter cetera vero ordinis hujus monasteria *Bursfeldia*, pauperculum Saxoniæ cœnobium, Reformationis istius decreta primum suscepit, & in *Reinhausense*, aliaque vicina aliquot Saxoniæ monasteria derivavit. Mortuo deinde Joanne Rodio, *Joannes Hagensis*, Abbas Bursfeldensis, qui in monasteriis aliquot veterem disciplinam jam instaurarat, agente Jacobo Treverensi Archiepiscopo, successor illi datus est. Sed cum nollet pauperculum Bursfeldense suum cœnobium relinquere, alius in Rodii locum, ut generalis Reformator est suffectus; sed exiguo admodum fructu. Itaque temporibus istis in Germaniam venit *Nicolaus Cusanus* Cardinalis & Sedis Apostolicæ Legatus, qui Joannem Hagensem, pietatis opinione celebrem, ad se evocatum, generalem Ord. Reformatorem pronuntiavit. Quo factum est; ut idem Cusanus conventum, seu Capitulum, ut vocant, annuum pro conservatione Reformationis institueret, Præsidis seu Præfecti domicilium è S. Matthiæ Treverensis cœnobio Sursfeldiam transferret, omniaque Reformationis decreta à Romano Pontifice curaret approbanda. Huic porro Bursfeldensi Congregationi pleraque Germaniæ ac Galliæ Belgicæ monasteria sese olim aggregarunt: quæ Congregatio sive societas hodieque perdurat.

CAPUT LXXXII.

Ostbroucanum Cœnobium, milliari uno ab Ultrajecto, Germaniæ inferioris opido.

ANno Domini millesimo centesimo vicesimo secundo, Godebaldus Episcopus Trajectensis XXIV. superædificavit in palustri solitudine de Oestbrœck cœnobium monachorum, & monialium in honore sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis, & sancti Laurentii pretiosi martyris. Quod monasterium propter arctam religionis observantiam, dicebatur olim Carcer Ordinis. Ibidem enim congregatio maxima fuit, & rigor monasticæ disciplinæ secundum regulam S. Benedicti districtissime pullulavit.

Et infra: Anno millesimo centesimo vicesimo octavo, Godebaldus Episcopus morbo gravatus, in Oestbroeck habitum religionis accepit postquam Trajectensem Ecclesiam annis XV. in pace rexisset. Qui demum II. Idus Novembris defunctus est, & in eodem monasterio satis honorifice sepultus. *Ita Joannes Becanus in manuscripto Ultrajectensis Ecclesiæ Chronico. Eadem narrat Joannes Leidanus in suo manuscripto Hollandiæ Chronico: vult tamen, anno millesimo centesimo vicesimo primo, cœnobium istud à Godebaldo ædificatum. Quamquam alii notant Godebaldum non tam incohasse, quam ea, quæ ab Hermanno, Theoderico & Henrico Equitibus, aliisque nobilibus viris incohata, & à Machtilde Imperatrice, anno millesimo centesimo vicesimo secundo, erant dotat, aperfecisse, & auctoritatis suæ munimine stabilivisse, anno millesimo centesimo vicesimo quinto. Fuit itaque principio monasterium hoc sexus utriusque sed an. millesimo centesimo tricesimo octavo, monialium prædia à monachorum prædiis sunt divisa; virginumque cœnobium in silva haud procul dissita à fundamentis ædificatum, & Deiparæ Virgini dedicatum Belgice* Vrouwenclooster, *Latine* Dominarum monasterium *dixeris.*

Primus Abbas Ostbroucanus fuit Berengerus, quo præside miraculum insigne contigisse Rupertus Abbas Tuitiensis commemorat. Qui quidem (a) *Rupertus ex S. Laurentii apud Leodicenses cœnobio, ipsis initiis, ad hoc Ostbroucanum se contulit, indeque postea Tuitium, quod ad Rhenum fl. est, ex adverso Coloniæ Agrippinæ est situm, ubi & Abbas creatus demum obiit.*

CAPUT LXXXIII.

Viennense Scotorum monasterium in Austria.

BEnedictini monachi, cum Scotam monasteriis refarcissent nec Britannicæ insulæ angustiis diutius coerceri possent, in Germaniam late redundarunt, & variis in locis ut *Viennæ* in Au-

(a) *Lib. 8. de div. Offi. Cap. 3.*

Auſtria, *Herbipoli* in Franconia, *Coloniæ* in Ubiis, & alibi liberalitate principum ſuorum popularium ſeminaria excitarunt. *Henricus* certe Auſtriæ Dux anno Chriſti 1121. monaſterium, cenſu lautiſſimo auctum, Viennæ in favorem Scotorum excitavit, atque edicto cavit, nequis extra Scotos in illo monaſterio vel Abbas crearetur, vel monachus, adſciſeretur ut tradit Joannes Lerleus Epiſcopus Roſſenſis lib. 6. de rebus Scotorum.

Eichenbrunnum, in d. Auguſtana.

EXſtructum eſt hoc monaſterium in honorem SS. Petri & Pauli à *Gumberto* domino de Fochberg, ejusque filio *Chrinone*, idque Calixto II. P. M. anno 1122. confirmante.

Mellicenſe monaſterium in Auſtria.

FUndatum eſt hoc monaſterium anno 1122. non procul à Vienna Auſtriæ atque à Calixto II. conſecratum. Ab eo nomen induit Congregatio Mellicenſis, ad quam hodieque ſpectat *Tegeruſtenſe* monaſterium juxta Ingolſtadium & alia. vide Wionium lib. 5. Ligni vitæ cap. 11.

Elchingum, infra Ulmam, ad Danubium.

IN diœceſi Auguſtana quoque viſitur monaſterium Elchingenſe an. 1128. fundatum à *Cunrado* duce Saxoniæ ejusque conjuge *Lucia* Suevíæ duciſſa, Conradi III. Imp. ſorore.

Biburgenſe monaſterium, in Germania.

ANno à nato Chriſto 1124. *Ulricus* & *Gebhardus*, majores natu fratres germani, filii Henrici de Biburg & Berthæ, patriam diviſerunt hereditatem. Ulricus & Gebhardus ſortiti ſunt *Hilpoldſtain*, Conradus autem Erbo atque Bertha *Biburg*. Alii duo fratres *Eberhardus* & *Meginwardus*, ſacris initiati erant, ille Canonicus Bambergenſis, ac deinde monachus Prufelingenſis; hic veteris Capellæ Ratisbonenſis Præpoſitus. Quatuor alii filii *Otto*, *Magnus*, *Albertus*, *Hazilo*, ante obitum parentum ex hac vita migrarant. Nam Henricus ille ſuperior undecim liberos ex Bertha ſua conjuge progenuit, decem mares, & unam femellam Bertham.

Proximo deinceps anno, nimirum 1125. *Cunradus Erbo*, & *Bertha*, conſilio & auxilio S. Ottonis, Epiſcopi Bambergenſis, de ſuo patrimonio Benedictinis viris & feminis cœnobium, item pauperibus atque egenis Xenodochium ædificare cœperunt, & octavo anno compleverunt, hoc eſt, anno 1133.

Quo etiam anno in die Simonis & Judæ, *Otto* Bambergenſis Epiſcopus, & *Henricus* Comes de Wolffratshauſen, cognatus Berthæ, uxoris Henrici ſuperioris, Pontifex Ratisbonenſis, templum Biburgenſe conſecrarunt. *Eberhardus*, monachus Prufelingenſis, eo tempore frater fundatorum fit Abbas; frater ejus *Ulricus de Stain*, Advocatus, qui cum uxore Halica & filio Burchardo villam Perchach dono dedit monaſterio. Innocentius ſecundus, Pont. Max. comprobavit hanc fundationem, & diplomate confirmavit.

D. *Eberhardus*, primus Abbas, Canonicus Bambergenſis, deinde monachus à D. Ottone, Epiſcopo Bambergenſi, translatus in Prufeling, manſit ibi usque ad conſecrationem monaſterii à fratribus ſuis conditi, cui ipſe præfuit annis tredecim. Deinde Cunrado primo Archiepiſcopo Salisburgenſi, de Abenſperg oriundo, cognato ac vicino ſuo in Epiſcopatu ſucceſſit, electus anno 1147. Præfuit annis ſeptemdecim, obiitque anno 1164. ſepultus in majori Eccleſia, ubi adhuc religioſe colitur. Sic Hundius in Metropoli Salisburgenſi.

CAPUT LXXXIV.

Fliderbecanum, ſeu Vlirbacenſe cœnobium, olim extra, nunc intra muros urbis Lovanienſis.

HUjus cœnobii auctor fuit Godefridus, eo nomine primus, cognomento Barbatus, Dux Lotharingiæ & Comes Lovanienſis, de cujus initiis ac progreſſu Chronographus Affligemienſis audiatur: Iſte locus traditus fuit monaſterio Haffligemienſi à Godefrido Lovanienſium Comite, ut ibidem cella conſtrueretur, & monachi ponerentur. Deinde uſum tam in ſilvis, quam in paſcuis & aquis, fratribus ibidem annuit, atque à telonio & omni exactione eos liberos fecit. Datum anno Domini milleſimo centeſimo viceſimo quinto, & confirmatum ab eodem, anno milleſimo centeſimo triceſimo octavo.

Idem locus ab Henrico Leodienſi Epiſcopo nobis confirmatus eſt anno Domini milleſimo centeſimo quadrageſimo ſeptimo, anno Præſulatus ejus tertio, & ab Eugenio Papa tertio anno Pontificatus ejus quarto, Domini melleſimo centeſimo quadrageſimo octavo. Diviſum eſt autem hoc monaſterium ab Haffligemenſi cœnobio, cum conſenſu utriusque conventus, ſub certis conditionibus, anno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio, Indictione ſexta. *Hactenus ille.*

Fliderbecanum itaque cœnobium primitus non niſi cella ſeu Præpoſitura, ut vocant. Haffligemienſi monaſterio annexa exſtitit. Primusque ejus loci Præpoſitus N. à Godeſchalco Abbate Affligemienſi, anno milleſimo centeſimo quinquageſimo octavo, eſt conſtitutus. Cujus ſucceſſor Arnulfus, N. Lothoringiæ & Brabantiæ Duce rogante, ipſis indulſit, ut Abbatem ſibi, ſed ex

Afflige-

Affligemiensium monachorum cœtu, diligerent. Demum prædiis cœnobii paullatim imminutis, Alexandri IV. Pont. Max. jussu Vliderbacenses ab omni subjectionis jure, quo Affligemiensibus erant obnoxii, an. 1259. sunt absoluti, concessumque ut Abbatem suo è corpore adsumerent.

Porro Bursfeldensis Capituli reformatio apud Vliderbecanos introducta est per N. S. Jacobi Leodicensis Abbatem, & Sedis Apostolicæ Commissarium, Joannes Langrodii Abbatis ævo, qui an 1484. creatus Abbas, an. 1519. vivere desiit. Joanni Langrodio successit alter Joannes Panhusius, qui primus infulam seu mitram à Rom. Pontifice impetravit, obiitque an. 1543. Fuit cœnobium istud olim dimidio fere milliari à muris Lovaniensibus situm, quod cum anno 1572. Sept. 25. propemodum in cineres ab hæreticis redactum esset, Vliderbecanis Lovaniense Beggardorum cænobium, anno 1590. Apostolica & Regia auctoritate est concessum; Beggardis qui supererant, Benedictinum institutum amplectentibus. *Hæc fere Joannes Bapt. Grammajus, vir eruditus, ex ejus loci monumentis nobiscum communicavit; cujus & Brabantiæ historiam, plura qui volet, legat.*

Diploma Godefridi eo nomine primi, Ducis Lotharingiæ & Comitis Lovaniensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Godefridus Dei ordinatione, Dux & Marchio Lotharingiæ, atque Comes Lovaniæ, omnibus fidelibus cælestes mercari divitias. Considerans omnem mundi gloriam instar fiuminis raptim præterfluere, & omnes amatores suos subito inanes & vacuos relinquere, utile mihi fore perspexi, & necessarium, ut de divitiis, divina mihi largiente bonitate concessis, aliqua servis Dei vivens impartirer, quæ moriens integra invenirem. Locum itaque quemdam Fliderbeca appellatum, ab omni potestate, tam mea, quam Ecclesiæ Lovaniensis, liberum, beato Petro Haffligemiensis Ecclesiæ (sicut moris est Principibus) cum omnibus pertinentiis suis libere tradidi, ut Abbas Haffligemiensis cellam ibi, Dei & mea meorumque opitulatione, exstrueret, monachos poneret, qui die noctuque pro mea, meorumque salute Deò supplicarent. Ut autem firma pax & concordia, inter clericos & monachos, sicut decet, inviolabiliter perseveret, ex utraque parte immutabiliter decretum est, ne altera pars quidquam, quod juris sit alterius partis, sibi usurpet. Advocatus vero loci erit, quicumque Lovaniæ Comes fuerit, qui Advocatum alium pro se numquam constituet, nec de Advocatia illa aliud beneficium exiget, aut recipiet, nisi devotas à fratribus orationes, & æternam à Christo remunerationem. Præterea omnem usum tam in silvis quam in pascuis, & aquis meis, fratribus libenter annui, & ut à telonio, & omni hujusmodi exactione, in omni loco mei juris, perpetuo sint liberi. Ut autem hæc traditio nostra firma & inconvulsa perseveret, præsentem paginam sigillo meo signavi, & idoneis testibus, quorum subscripta sunt nomina confirmavi. ☩ Signum Meuronis Decani S. Richesonis Scholastici. S. Everardi. S. Joannis & Henrici de Bierbeke. S. Henrici de Landen. S. Willelmi de Bechevoort. S. Arnulfi de Oppenthorp. Datum est hoc Lovaniæ anno incarnationis CIↃ. CXXV.

CAPUT LXXXV.

Gerardi-Montense S. Hadriani Cœnobium, in Flandria.

FUit hoc cœnobium primo situm ac fundatum in vico quodam Declivio, seu Declivim nuncupato, per Manassem Episcopum Cameracensem, circa annum millesimum nonagesimum quintum; sed consentiente Manasse Archiepiscopo Remensi, ejusque Coepiscopis, propter loci angustias à Declivio ad Gerardi montem translatum est, anno millèsimo nonagesimo sexto, petente id Roberto Hierosolymitano Flandriæ Comite, & Hinrincboldo ejusdem opidi Castellano. *Hæc nobiscum R. P. Hieronymus Moncæjus, ejus loci Abbas, Francisci Moncæi viri scriptis editis clari frater, communicavit. Ceterum Gerardi-mons opidum est Flandriæ, ad quod S. Hadriani, martyris Nicomediensis reliquiæ ex Raulicuria Hannoniæ pago, ab Eubaldo sacerdote, an. millesimo centesimo decimo, sunt translatæ. Quæ quidem reliquiæ hoc in cœnobio hodieque adservantur, tantoque piorum hominum concursu frequentantur, ut & cœnobium & opidum ipsum S. Hadriani cognomento fere innotescant. Meyerus in Annal. Flandriæ an.* 1110.

CAPUT LXXXVI.

Abusium corrupte & vulgo Anhusium in d. Augustana.

DIstat hoc monasterium quarto milliari ab Ulma Suevorum metropoli, & constructum est in honorem S. Martini Episcopi à *Manogoldo* Comite Palatino Tubingensi ejusque filiis, *Gualtero* Episcopo Augustano, *Mangoldo*, *Adalberto* & *Udalrico* Comitibus, sub annum Christi 1125. ut tradit Caspar Bruschius in Chronologia monasteriorum Germaniæ.

Est & Anhusium cœnobium monachorum Ordinis Benedictini in Marchionatu Brandeburgensi fundatum anno Christi 958. in d. Aureatensi, ab *Ernesto* Comite de alto Truhendingen ejusque Sororio *Hartmanno* Barone de Lodenburg.

Aſpachenſe *monaſterium*, *vulgo* Aſpach, *in Bavaria.*

EST iſtud cœnobium fundatum à *Chriſtiana*, vidua *Geroldi* Comitis, conſecratum ab *Ottone*, Epiſcopo Babenbergenſi anno 1127. Aventinus in Annalibus ſuis ponit, Geroldum & Chriſtinam conjugem prætorium ſuum Benedictinis tradidiſſe. Pertinebat autem hoc monaſterium jure Advocatiæ, ad ditionem *Fraunſtam* & *Ering*, quæ olim ad Eccleſiam Bambergenſem ſpectabant. Unde ſuperioribus annis, tempore Willelmi & Ludovici, Ducum Bavariæ, Epiſcopi Bambergenſes prætendebant neſcio quæ jura ad iſtud monaſterium, volebantque Prælatos jura temporalia & Epiſcopis in feudum recipere annuamque penſionem ſolvere. Sed renuebant Principes, & ſub ſua ditione ac proteſtione ſicut ipſorum anteceſſores, retinuerunnt. Ita Hundius.

CAPUT LXXXVII.

S. Odolphi Staurienſe Monaſterium, in Friſia Occidentali.

COenobium iſtud inſtitutionem ſuam debet B. Odulpho presbytero, Orſcoti in Campania Brabantica nato; qui cum eſſet Canonicus Ultrajectenſis, in S. Salvatoris baſilica, à B. Frederico, ejus urbis Epiſcopo, apud Friſios prædicante, circa annum Chriſti octingenteſimum triceſimum, in Friſiam, ad hæreſim Arianam, qua tunc ea provincia laborabat, exſtinguendam, & Catholicam religionem propagandam, eſt evocatus. Itaque B. Fredericus ad ſuos rediens Staurienſem Odulpho Eccleſiam gubernandam commiſit, qui ea in urbe, tum celeberrimo Friſiæ emporio, inſigne clericorum, ſeu Canonicorum cœnobium inſtituit. Canonicorum, inquam, cœnobium, non regularium proprie, ut hodie loquimur, ſed libere, & ſine profeſſione, intra clauſtrum tamen, in communi, ſecundam regulam, ſub Epiſcopi obedientia viventium, Tale enim conſtat ab ipſis initiis fuiſſe Ultrajectinum ſancti Salvatoris monaſterium, in quo S. Odulphus eſt inſtitutus. *Hæc fere Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii*, *& in lib. de Canonicis. Vita S. Odulphi exſtat apud Surium Tom.* 3. *Junii* 12.

A motis porro ob liberiorem vitam Canonicis, (a) *Andreas Cuquenſis*, *XXV. Epiſcopus Ultrajectinus*, *Benedictinum ſexus utriuſque cœtum Oſtbrucano*, *cœnobio tum florentiſſimo evocatum*, *ſubſtituit. Qua de re Joannes Becanus in manuſcriptis Ultrajectinæ Eccleſiæ Chronicis :* Præſul, *inquit*, Andreas amovit duodecim presbyteros Staurienſes propter eorum demeritum, adducens ibidem ab Oeſtbrœc utriuſque ſexus conventuale collegium. *Videturque Becanus id referre ad annum Chriſti milleſimum centeſimum triceſimum ſecundum*, *aut quartum. Joannes tamen Leidanus in manuſcripto ſuo Hollandiæ Chronico ſignanter ait*, Andream Præſulem paucis diebus ante mortem ſuam *id feciſſe. Obiit vero Andreas anno* 1138.

Fuit autem hoc cœnobium primo ſitum extra muros urbis Stauriensis ad Occidentem quod hoſtili incurſu vaſtatum, *inde in urbem à Frederico Ultrajectenſi Epiſcopo anno* 1415. *ſive*, *ut alii volunt*, *anno* 1419. *eſt translatus.*

CAPUT LXXXVIII.

S. Ægidii monaſterium, *apud Noribergam.*

EREctum eſt hoc monaſterium anno Chriſti 1140. à *Conrado* III. Imp. Suevorum duce.

S. Viti monaſterium, *in d. Salisburgenſi.*

FUndavit id *Diethmarus* Comes de Leonberg ac Lungionum. Leonburg, nunc Leonberg arx eſt inferioris Bavariæ, quam Iſera præterfluit, Lungionum Charinorum pagus eſt ultra Taurum montem, vulgariter *Im Lungaw*. Diethmarus filius fuit Babonis Comitis Abenſpergenſis, prole 32. filiorum inclyti. Hic Diethmarus inferiori Bavaria, ad amnem *Rot*, in loco qui *Elſenpagen* dicitur, inſtituit monaſterium pro Benedictinis; translatum deinde anno 1171. per hujus filium aut nepotem *Volframum* Comitem de Dornberg; ad montem S. Viti, prope vicum *Neumerckt* (unde hodie S. Viti monaſterium dicitur) idque cum conſenſu Adalberti Salisburgenſis Archiepiſcopi & Henrici Abbatis Elſenpacenſis; quia locus hic multo commodior erat monaſticæ quieti ac devotioni. Hac tamen lege, ut in Elſenpacenſi Eccleſia nihilominus duo vel plures fratres ad exſequenda ibi divina officia permanerent.

Aſtipulati ſunt huic translationi Eberhardus de Julbach, & Henricus de Schaunberg, prædicti Wolframi uxoris fratres, ad quos advocatia ejus loci ſpectabat, qui aliquot prædiis & aliis adminiculis monaſterium juvarunt. Ita Hundius.

Urſinium ſive Irſingum, *in Germania.*

URſinium vel (ut nunc corrupte dicitur) *Irſingum*, olim caſtrum eo ipſo loco conditum, ubi hodie S. Stephani templum in editiore colle conſpicitur, nunc vero monaſterium ordinis Benedictini ampliſſimum ac pulcherrimum, paululum infra Khauffburnium oppidum Imperiale, non procul à Wertachio amne, in mediis denſiſſimisque nemoribus ſitum: fundatum & locupletatum eſt anno Chriſti 1182. regnante *Friderico Barbaroſſa*, Suevorum Duce, & Imperatore, ab *Henrico* Marchione de Rumſperg & ejus filiis *Godefrido* ac *Bertholdo*, & *Irmelgarde* filia, in media Eccleſia ibi ſepultis, cum tali inſcriptione:

His

(a) *Quidam notant id factum an.* 1132. *in feſto Pentecoſtes.*

Hic generosorum feliciter ossa quiescunt.
A Rumsperg Comitum Bertholdi, & Godfederici
Irmelgarde simul dilecta cumque sorore,
Hujus cœnobii qui primi rite fuerunt
Auctores, vera commoti religione.
Ergo Deo vivant æterna pace fruentes.

Henricus fundator profectus cum Friderico Barbarossa ad recuperandam terram sanctam, obiit Neapoli anno Christi 1188. qui exceperat ex Udilhilde conjuge Godefridum primum filium, qui mortuus est Augustæ sub cura medicorum, & revectus inde ad Utenburram, ibi honorifice est sepultus; postea ex Utenburra ad Ursinense monasterium relatus una cum fratre Bertholdo honorifico mausoleo conditus est, sub Abbate ejus loci XXIII. Paulo Necchato. Secundus Henrici filius fuit Bertholdus, qui obiit in quodam conflictu prope Rhenum. Irmelgardis autem filia nupsit Baroni cuidam de Ultimis, genuitque Udalricum de Ultimis, magnum inprimis Ursinensis cœnobii benefactorem, habitantem in Adelburgo Athesinæ regionis castro.

CAPUT LXXXIX.

Seon, sive Seun, monasterium in Germania.

Est illustre monasterium *Sein* in valle *Sein*, provinciæ Treverensis, conditum ab *Henrico* Comite de Sein, quod confirmavit Joannes Archiepiscopus Treverensis, anno 1202.

Aliud à Seiensi monasterio, est Bavaricum monasterium *Seon* sive *Sewm* vel *Sewen*, secundum vetera diplomata nuncupatum, & fundatum ab *Arbone* Comite Damasiano ac Andecensi, qui in Bavarica Norica, non procul à Chiemensi lacu, Burgilium castellum suum in templum vertit, D. Lamperto dedicavit, tradiditque Benedictinis monachis. Incolæ à l cubus, qui ibi sunt frequentes, vocant *Socum*. Henricus Sanctus, hoc & alia monasteria largiter locupletavit.

Ulricus Abbas Seunensis & conventus elegerunt Ludovicum Palatinum Rheni, Ducem Bavariæ in Advocatum & protectorem suum vigore privilegiorum suorum, tam Pontificiorum quam Imperialium, ita ut post illius obitum sive pater, sive alii ipsius proximi agnati eandem advocatiam irrevocabiliter tenerent, alii vero nemini eandem concederent, monasterii privilegia & jura defenderent. Extat latinum diploma, datum anno 1247. Ita Hundius.

Munichmunsteriense Monasterium, in Bavaria.

Istud monasterium ad Danubium infra Vohburg fundavit *Drepoldus* Marchio de Vohburg, hujus nominis quartus, qui duo insuper alia monasteria, *Reichenpach* & *Waldsassen*, fundavit: secundum Laurentium Hochwart, in Catalogo Episcoporum Ratisbonensium.

Hoc monasterium olim ab Ugris exustam, Henricus nonus, Dux Bavariæ & Deipoldus Vohburgensis Marchio, pro Benedictinis monachis instaurarunt: ut scribit Aventinus.

Ludovicus Dux Bojariæ confirmavit huic monasterio parochiam in Moching, quæ antiquitus huc pertinebat. In illis literis nominat Arnoldum Ducem Bojariæ tyrannum, propterea quod monasterium magnis malis adfecerat. Testes Albertus Lenzmannus, Albero de Prugperg, Hadmarus de Laber, Meinhardus Comes de Roteneck, Winhardus de Rorbach, Otto & Ulricus fratres de Lapide, Albertus Schilwaz, Jordanus de Starzhausen, Otto de Werd, Dietricus de Sanderstorf, Berchtoldus de Wackerstein, Marquardus de Gruenharzhoven, Henricus & Ulricus, fratres de Otling, Ulricus Marschalcus dictus de Perge, Conradus de Munster. Datum Ilmendorf anno 1264.

Extitit in hoc monasterio liber antiquissimus in membranis compactus, in quo descriptæ sunt vitæ Sanctorum, à Paschasio è Græca lingua in Romanam translatæ. Item Hilarion D. Hieronymi adeo antiquis litteris, ut lectori repuerascendum, & ad prima elementa redeundum sit. In fine hæc verba leguntur: *Hic liber fuit inchoatus in Hunia in exercitu, anno Domini* 918. *IV. Non. Junii, & perfinitus apud S. Florianum, pridie Idus Septembris in hebdomada quinta decima.* Meminit Joannes Aventinus lib. Annalium 4. quem post diligentem investigationem anno 1580. ibi non reperi; puto autem translatum esse Monachium ad bibliothecam Ducalem una cum quibusdam aliis libris.

Ita Hundius in Metropoli sua Salisburgensi.

CAPUT XC.

S. Nicolai de Arenis monasterium, in Sicilia.

Fuit hoc monasterium olim extra, nunc intra urbem Catanensem situm: à quo nomen olim habuit Congregatio S. Nicolai de Arenis circa annum Christi 1300. Sed desiit ea anno 1506. quando dictum Catanense monasterium, cum aliis quinque, Congregationi Cassinensi accessit.

CAPUT XCI.

Etalense monasterium, vulgo Etal *in d. Frisingensi.*

IMp. Ludovicus quartus (ut habet historia monasterii, sed Joannes Aventinus in Annalibus suis, lib. 7. non meminit historiæ sequentis, forte non satis fide dignæ,) cum propter nimias impensas, quas in Italia fecerat, ita ut ei jam necessarii sumptus pro reditu in Germaniam deficerent, admodum sollicitus esset, veniente quadam die ad se monacho, & spem facienti, illum ex his malis emersurum; ea conditione, si postquam in Germaniam rediisset, monasterium in loco suæ ditionis, *Ampherang* dicto, in honorem Dei & beatissimæ virginis Mariæ exstrueret; fidem dedit, se illud sedulo exsecuturum, & cœnobium in prædicto loco conditurum. Quamobrem illico à quodam Regulo Italiæ, quem una cum ditione sua libertatis jure donavit, magnam pecuniæ vim accepit; ita ut oppignorata omnia redimere posset: In Germaniam itaque reversus, in *Partenkirchen* à quodam venatore, Henrico *Vend* nomine, exceptus est, ex quo de loco illo *Ampherang* quæsivit. Cumque ille in vicinia jam esse diceret, eoque Imperatorem deducere jussit Imperator illic ligneam domunculam pro venatore ædificari, silvamque olim latronum receptaculum extirpari, & ita monasterium, quod promiserat erigo, in honorem B. Mariæ Virginis, posuitque primum lapidem simul quoque offerens effigiem B. Virginis ex alabastro factam, quam illi monachus in Italia dederat, quæ usque hodie adhuc ibi ostenditur in die Vitalis Martyris, anno 1330. Instituitque Abbatiam S. Benedicti pro 20. monachis, quorum 14. sacerdotes esse deberent Primus Abbas ex monasterio Reichenpach hic positus, nomine Fridericus Heinrichcenter. Ita Hundius.

Andechense *Monasterium, vulgo* auf dem heiligen Berg Andech, *in Bavaria.*

LUdovicus, Bojariæ Princeps, pater Ludovici Imperatoris, *Andechs* ædem, quæ cum arce ante quinquaginta annos diruta erat, refecit. Vide Comites Andecenses, & tractatum singularem de fundatione & sacris reliquiis Andecensibus impressum: item Vitum Arnpeck in Chronicis Bavariæ. Anno 1388. sacra, quæ ibi diutius sub terra latuere, (hinc mons *Andechs* sacer appellatus) à Jacobo Dachauer Franciscano reperta, jussu Principum Monachium translata sunt, ibidemque ostensa populo: postea ad montem sanctum *Andechs* relata sunt per Ernestum Ducem, qui ibi collegium pro septem mystis instituit. Albertus Dux Bavariæ, Comes Vochburgensis, filius Ernesti, auctoritate Summi Pontificis amotis Præposito & Canonicis secularibus, ibi substituit monachos Benedictinos. Ita Hundius.

CAPUT XCII.

Monasterium S. Justinæ de Padua, caput Congregationis Italicæ, quæ nunc Cassinensis dicitur.

LUdovicus Barbo, natione Venetus, fuit primum Prior monasterii S. Georgii de Alega, quod est Canonicorum secrearium Ord. S. Augustini apud Venetos. Anno 1408. creatus postea Abbas cœnobii S. Justinæ de Padua, à Gregorio XII. Papa, mox de reformando ordine monastico cogitare cœpit, à suo monasterio Paduano exorsus. Unde natum mox nomen Congregationis seu Unionis S. Justinæ de Padua, quæ nunc Cassinensis dicitur ob reverentiam illius archimonasterii, quod anno 1504. à Julio II. Papa Congregationi S. Justinæ incorporatum fuit, ea lege ut deinceps Congregatio Cassinensis dicitur, Ceterum Ludovicus Barbo, tandem ab Eugenio IV. quamquam invitus, factus Episcopus Turnisinus, obiit anno 1443. in suo monasterio Paduano conditus.

Ceterum monachi hujus Reformatæ Congregationis à carnibus perpetuo abstinent, nisi ægri sint. Eorum Generales seu Præsidentes non perpetui, sed annales sunt.

Catalogus monasteriorum Abbatialium Congregationis Cassinensis, alias S. Justinæ de Padua.

MOnasterium S. Justinæ de Padua.
Monasterium S. Fortunati, juxta Bassanum.
S. Mariæ de Carupta, in diœcesi Veronensi.
S. Jacobi de Agriano, ibidem.
Monasterium de Tortona.
S. Nicolai de Buschetto, in districtu Genuensi, ad unionem accessit anno 1417.
S. Spiritus de Papia, an. 1417.
S. Benedicti de Padolyrone, in agro Mantuano.
S. Pauli de Roma, an. 1425.
S. Sixti de Placentia. an. eodem.
S. Georgii Majoris, de Venetiis, 1429.

S. Petri

S. Petri Mutinenſe monaſterium, an. 1434.
S. Mariæ Florentinum 1436.
S. Petri Peruſinum, anno eodem.
Ingeſſati Mediolanenſe, anno eodem.
S. Severini Neapolitanum, anno 1438.
S. Angeli Cajetanum, anno eodem.
S. Nazarii Veronenſe, anno 1443.
S. Eugenii Senenſe, anno 1447.
S. Mariæ de Pratalea, anno 1448.
S. Mariæ de Pera, apud Conſtantinopolim, anno 1449.
S. Columbani Bobienſe, in Inſubria, anno eodem.
S. Salvatoris Papienſe ſeu Tirinenſe, an. 1451.
S. Nicolai de Littore, Venetiis, anno eodem.
S. Mariæ de monte, prope Ceſeam, anno 1453.
S. Euphemiæ Brixienſe, an. 1457.
S. Petri de Saviliano, an. 1459.
S. Hieronymi de Silvaria, an. 1460.
S. Fuliani de Albario, an. eodem.
S. Mariæ de Maguzano, an. 1462.
S. Fortunati de Vincentia, an. eodem.
S. Mariæ Lachromæ, juxta Raguſium in Dalmatia, an. 1466.
SS. Floræ & Lucillæ, de Aretio, anno 1474.
S. Vitalis Pavennenſe, an. 1476.
S. Joannis Evangeliſtæ, Parmenſe, anno 1477.
S. Bartholomæi, Aſtenſe, an. 1479.
S. Benedicti Majoris Ferrarienſe, anno eodem.
S. Proſperi de Rheigo, an. 1481.
S. Michaelis de Caveoſo, an. 1484.
S. Jacobi de Pontida, an. 1487.
SS. Fauſtini & Jonitæ Brixienſe, anno 1491.
S. Mariæ de Pompoſia, Ferariæ, anno 1492.
S. Trinitatis, Cavæ, an. 1495.
S. Pauli de Argon, juxta Bergianum, anno 1494.
S. Benedicti monaſterium in Monte Caſſino ſitum Julius II. Papa anno 1504. univit cum Congregatione S. Juſtinæ de Padua. Ob cujus reverentiam voluit eam Congregationem deinceps vocari Caſſinenſem, quæ antea S. Juſtinæ de Padua vocabatur.

Anno 1505. die 12. Januarii Patres Congregationis Paduanæ monaſterium Caſſinenſe ſolemniter intrarunt, ſuntque in eo centum monachi collocati ſub Abbate Eugenio Mutinenſio.

Anno 1506. Congregatio Sicula, quæ vocabatur S. Nicolai de Arenis, & ſex monaſteria complectebatur, unita eſt cum Congregatione Caſſinenſi, alias S. Juſtinæ de Padua, per Julium II. Papam. Sunt autem iſta ſex monaſteria.
S. Nicolai de Arenis monaſterium, tunc extra, nunc intra urbem Meſſanenſem, Congregationis Siculæ olim caput.
S. Martini de Scalis, Panormi.
S. Placidi, extra Meſſanam.
S. Mariæ de Monte Regali.
S. Mariæ de Gangis.
S. Mariæ de Fondrono.

Anno 1513. S. Catharinæ Genuenſe monaſterium acceſſit Congregationi Caſſinenſi.
S. Laurentii Averſanum, anno 1514.
S. Mariæ de Gratiis, in diœceſi Placentina, anno 1515.
SS. Benedicti & Scholaſticæ monaſterium Sublacenſe, ſive de Sublaco, anno 1516.
S. Honorati monaſterium Lerinenſe, in regni Galliæ provincia, anno eodem.
S. Simpliciani Mediolanenſe, anno 1517.
S. Mariæ de Ponte vivo, anno 1520.
S. Mariæ de Farſa, anno 1567.
S. Benedicti Caſtrovillarum, an. 1577.
S. Mariæ de Andria, anno eodem.

Monaſterium S. Mariæ de Catalavixetta, quod eſt opidum Siciliæ, haud procul à Naro opido.

CAPUT XCIII.

S. Benedicti monasterium in urbe Vallisoletana, in regno Castellæ.

REformatæ Congregationis in Hispania, quæ ab hoc monasterio *Vallisoletana* nuncupatur, primarius auctor exstitit circa annum Christi 1520. *Garsias Cisnerus*, monasterii S. Mariæ in Monteferrato Abbas, in districtu Barcinonensi. Scripsit is inter alia *Exercitatorium vitæ Spiritualis*, in 69. capita partitum, variisque locis sine nomine auctoris editum: quem librum Soc. Jesu Patres in primis commendatum habent. Obiit Cisnerus circa an. Christi 1540. Ceterum monasterii hujus Vallisoletani auctor exstitit *Joannes I.* Castellæ Rex, utpote qui veterem arcem in monasterii Benedictini formam convertit; teste Joanne Mariana in historia Hispaniæ. Obiit autem Joannes Rex anno 1390.

CAPUT XCIV.

Hulsbergense Monasterium, apud Hattemum Geldriæ opidum.

FRatrum, seu Clericorum Hieronymianorum in communi viventium Ordo, à Gerardo Magno Daventriensi, anno circiter millesimo trecentesimo septuagesimo nono institutus, illustrium virorum, & gymnasiorum, in quibus & juventutem optimis & moribus & litteris imbuebant, copia apud Germanos, Belgasque ad nostram usque ætatem, mirifice floruit. Inter illustres viros fuere Gabriel Bielius, *celebris apud Tubingenses Theologus*, Gerardus Sutphanius, *scriptor asceticus*, Christianus Massæus, Georgius Macropedius, *aliique plurimi, à Thoma Kempensi, & à nobis alibi commendati. Inter gymnasia fuere apud Belgas, seu Germanos inferiores*, Daventriense, Hulsbergense, Groningense, Ultrajectinum, Bruxellense, Silviducense, Gandense, Cameracense *& alia. Ad* Hulsbergense *quod attinet, situm illud fuit in Velania apud Hattemum, munitum Geldriæ opidum, quod Isalæ fl. impositum quarto distat à Daventria milliari. Quod quidem cœnobium, Henrico Bavaro, Ultrajectensi Episcopo consentiente, à Carolo Egmundano Geldriæ Duce bellicosissimo, & Catholicæ religionis augendæ, atque adversus hæreses, id temporis exsurgentes, stabiliendæ studiosissimo, anno millesimo quingentesimo vicesimo quinto, die VII. Maji, in monasterium ordinis S. Benedicti est commutatum. Abbas vero ejus loci primus, anno eodem, XIII. die mensis Maji, electus est* Paulus Becanus, *presbyter, & Benedictini instituti vetus assecla, monachis aliquot aliunde evocatis.*

Porro fratres Hieronymiani, cum indicta caussa monasterio sese pulsos quererentur, defuncto Carolo Duce, postliminio pristinum in locum sunt restituti.

CAPUT XCV.

S. Benedicti monasterium Olisiponense, in Portugallia.

EStHoc monasterium in urbe Olisiponensi an. 1566. exstructum, à quo reformata Lusitaniæ Congregatio, nomen *S. Benedicti de Olisipona* accepit. Cujus quidem congregationis primus auctor fuit *Jacobus de Murcia* Ordinis S. Hieronymi, & S. Nicolai in Portugallia Abbas commendatarius, qui anno 1549. obtenta à Paulo III. facultate Ordinem Benedictinum ad veterem disciplinam revocavit. Reformationis suæ fundamenta jecit Conimbricæ, in qua urbe an. 1555. nobile monasterium excitavit, & juvenes duodecim sub regula S. Benedicti alendos atque instituendos collegit: qui postmodum virtute ac doctrina crescentes congregationem istam admodum illustrem reddiderunt.

Favit huic sacro instituto in primis *Sebastianus* Portugalliæ Rex, & *Henricus* Infans S. R. E. Cardinalis, qui an. 1566. à Pio V. Facultatem impetrarunt, Abbatias Portugalliæ vacaturas huic novellæ congregationi adjungendi.

Idem anno eodem in urbe Olisiponensi, regni totius metropoli amplum ac magnificum *S. Benedicti* Cœnobium à fundamentis excitarunt; & ab eo congregationem istam S. Benedicti de Olisipona nomen trahere voluerunt.

CAPUT XCVI.

Melidæ insulæ monasterium in Dalmatia.

JUxta Ragusium Dalmatiæ opidum, Republica libera nobile visitur insula nomine *Melida* & monachorum in ea Benedictinorum cœnobium. Ab isto congregatio reformata Melidæ nomen habet, quæ circa an. Christi 1560. incohata est à *Chrysostomo* monacho Cassinensi & postea Archiepiscopo Ragusino: ut tradit Arnoldus Wionus lib. 5. Ligni vitæ cap. 11.

FINIS.

INDEX
Monasteriorum, in hoc Collectionis Tomo I. descriptorum. Littera M. cifris præfixa Monasteriologiam. O. Origines Benedictinas designat.

Ægidii apud Noribergam O. 92
Æmiliani de Cuculla O. 11
Ætlense s. Ætl O. 77
Affligemium O. 77
Afræ Augustanum M. 3
Agaunense O. 13
Ahusium vid. Anhusium.
Album castrum O. 19
Alcianense S. Silvini O. 73
Aldeburgense O. 82
Altimontense O. 32
Amandi Elnonense in Pabula O. 22
Andechense M. 63. O. 94
Andreæ in Castello Cameracensi O. 70.
- - apud Brugas Flandrorum O. 87
Anhusium O. 91
Aquicinctum O. 74
Arnulphi in Ducatu Valesiæ O. 30
Arremarense O. 52
Aspachense O. 92
Augia alba Narcostorum: aut potius Norici O. 86
- - Major O. 86
Bantum s. Banz O. 73
Bavonium O. 21
Benchorense O. 11
Benedicti Monasterium Regium prope oppidum de Sanagum O. 55
- - in urbe Olisiponensi O. 96
- - in urbe Vallisoletana O. 96
Bertini Sithiense intra muros urbis Audomaropolitanæ in Artesia O. 19
Beurn M. 19. O. 46
Biblingum O. 85
Biburgense O. 90
Blabyrense vid. Burrhonium.
Blangiacum O. 41
Bobiense O. 13
Brauvveiler O. 64
Burrhonium O. 85
Bursfeldense O. 89
Campidonense M. 32. O. 45
Capellensis præpositura in urbe Bruxellensi O. 69
Casale Benedicti O. 87
Cassinense s. Casinense in Monte Casino, ad Beneventum in Italia O. 1
Castellum in Palatinatu Superiori O. 86
Cavense O. 70
Cella Monachorum O. 44
Cellense in Diœcesi Trecensi O. 30
Centula apud Caletum O. 10
Chezaubenoist O. 87
Claudii ad muros urbis Legionensis O. 3
Cluniacense O. 55
Complutum O. 37
Crispinium O. 35
S. Crucis juxta Aretium O. 72
- - Donavverdæ M. 45. O. 87
Deckingen M. 65
Dionysii secundo lapide à Lutetia Parisiorum O. 26
- - in Broqueroja O. 83
- - de Nogento Rotrodi O. 31
Dysibodi in Diœcesi Moguntina O. 88
Ebersperg O. 61
Egmundanum O. 54
Eichenbrunnum O. 90
Einhamense O. 72
Einsidlen M. 37. O. 54
Elchingen M. 58. O. 90
Elvvangense O. 50
Emmerami Ratisponæ M. 13. O. 27
Etalense O. 94
Ethonis O. 44
Fabarium O. 46
Femy O. 77
Fidemium O. 77
Fliderbecanum O. 90
Florinense O. 67
Fontanellense O. 9
Formpach O. 85
Fosvverdense O. 54
Franciæ cœnobia varia O. 29
Fuldense O. 47
Galli apud Helvetios O. 19
Galliæ Monasteria varia O. 15
- - - - - - exemta O. 29
- - Belgicæ Monasteria Benedictina O. 16
Gemblacense O. 60
Gerardi Broniense O. 59
- - Montense S. Hadriani in Flandria O. 91
Germani de Pratis ad muros urbis Paris. O. 8
Gisleni in Hannonia O. 31
Gladbach O. 63
Grafrath O. 61
Grandimontensis Abbatia O. 70
Hæcmundanum O. 54
Haimerani Ratisbonense O. 27
Hammense O. 83
Hasnonium s. Hasnon O. 37
Hirsaugiense O. 52
Hispanica Monasteria O. 3
Honorati Lerinense O. 9
Huberti Andaginense O. 37
Hulsbergense O. 96
Hunocurtense ad Scaldim fl. O. 43
Jacobi in Insula Mosæ fluminis O. 66
- - intra muros Ratisbonenses O. 53
Joannis in Monte in Urbe Iprensi O. 41

Joannis Baptistæ apud Messanam O. 2
Irsingum M. 61. O. 92
Isidori de Duenas in Regno Legionensi O. 45
Isnense O. 86
Justinæ de Padua O, 94
Lætiense O. 48
Lambach M. 49
Laubiense ad Sabim fl. in ditione Leodic. O. 33
Laurentii apud muros urbis Leodicensis O. 67
Lubensense O. 68
Luxoniense O. 13
Madilhartistorf O. 88
Magni in faucibus M. 10. O. 45
Malharstorf O. 88
Malharzdorf O. 88
Malmundarium O. 36
Mamedy O. 36
Mansee M. 10. O. 46
Marchianense O. 23
Mariæ ad Martyres ad urbem Treverens. O. 44
- - de Bricolio O. 53
Maricolense s. Maroilles O. 26
Martini de Ferran in regno Castellæ O. 50
- - de Ihama O. 50
- - Treuerense O. 10
- - Majoris in urbe Coloniensi O. 63
- - de Campis in urbe Parisiensi O. 70
- - in urbe Tornacensi O. 84
Matthiæ apud Treveros O. 4
Mauri O. 12
Mauritii Tholegiense O. 25
Maursmunster O. 12
Maximini extra muros urbis Treverensis O. 14
Medardi ad muros urbis Suessionensis in Gallia O. 12
Melidæ Insulæ Monasterium in Dalmatia O. 96
Mellicense O. 90
Metten M. 35. O. 55
Michaëlis campus O. 89
Michelsfeld O. 89
Millan de la Cogolla s. San Millan de Suso O. 11
Mons Monachorum extra muros urbis Bambergensis O. 68
Monstierameii O. 52
Munichmunsteriense O. 93
Munsteriensis s. Monasteriensis, B. Virg. Abbatia, intra muros urbis Luceburg. O. 81
Murbachium O. 46
Naboris apud Lotharingos O. 25
Neresheimium M. 55. O. 86
Nicolai de Arenis in Sicilia O. 93
Nidernaltaich M. 23. O. 47
Oberaltaich O. 47
Ochsenhusium O. 86
Odolphi Stauriense O. 92
de Ona O. 3
Ostbroucanum O. 89
Ottenbura O. 50
Pantaleonis in urbe Coloniensi O. 63
Pauli in urbe Ultrajectina O. 65
Peterschusium O. 63
Petershausen M. 41
Petri Blandiniense O. 21
- - consecrati, vulgo Weys S. Peter O. 53
Petri de Cardena Hispania. O. 3
- - de Eslonza in agro Legionensi O. 64
- - de Monte in Hispania O. 39
- - Domus in Diœcesi Constantiensi O. 63
- - Gandense O. 21
Petri de Nigella O. 53
- - in Monte Matrona apud Bavaros O. 88
- - Salisburgi M. 7. O. 11
Pfeffers O. 46
Placidi apud Messanam O. 2
Rassonis Comitis Diessensis Monaster. O. 61
Reichenovv O. 86
Richarii apud Caletum O. 10
Romani de Hornisga s. de Ornixa in Diœcesi Toletana O. 39
Rota s. Rotense Monasterium O. 73
Sagaguntinum O. 55
Salvii ad Scaldim fl. apud Valentianas O. 51
Scheuren M. 52. O. 74
Scheyrn vid. Scheuren.
Schvvarczachium O. 52
Schyrense vid. Scheuren.
Scotiæ Monasteria varia O. 88
Scotorum extra muros Ratisbonenses O. 53
Seon s. Seun M. 44. O. 93
S. Sepulcri prioratus in Diœcesi Tricassina in Gallia O. 64
- - Dominici Cœnobium, in urbe Cameracensi O. 69
Sereni de Cantumerula O. 53
Sonegiense O. 32
Spanheimense O. 88.
Sponheimense O. 88
Stabuletum O. 36
Stavelo O. 36
Tegernsee M. 26. O. 63
Thierhaupten M. 30
Tinecense O. 68
Toribii de Lievana Hispanicum O. 3
Trudonis Sarchiniense O. 37
Tuitiense O. 64
Vallis Caulium O. 71
Udalrici Augustanum M. 3. O. 68
Vedasti in urbe Atrebatensi apud Belgas O. 4
Viennense Scotorum in Austria O. 89
Vinearum Monasterium O. 50
Viti in Diœcesi Salisburgensi O. 92
Ulirbacense O. 90
Ursin M. 61. O. 92
Utenburra O. 50
Walciodorense O. 62
Walerici apud Caletes in Gallia O. 10
Wasor O. 62
Weichenstephense O. 68
Weissenavv O. 86
Weissenburgium O. 19
Weltenburgense O. 12
Werdenense O. 51
Wesserbrunnense O. 49
West O. 14
Willibrordi Epternacense O. 44
Winoci intra muros Winocibergensis oppidi O. 42
Zuiphaltense O. 83

FINIS.

Joannis Baptistæ apud Messanam O. 2
Irsingum M. 61. O. 92
Isidori de Duenas in Regno Legionensi O. 45
Isnense O. 86
Justinæ de Padua O, 94
Lætiense O. 48
Lambach M. 49
Laubiense ad Sabim fl. in ditione Leodic. O. 33
Laurentii apud muros urbis Leodicensis O. 67
Lubensense O. 68
Luxoniense O. 13
Madilhartistorf O. 88
Magni in faucibus M. 10. O. 45
Malharstorf O. 88
Malharzdorf O. 88
Malmundarium O. 36
Mamedy O. 36
Mansee M. 10. O. 46
Marchianense O. 23
Mariæ ad Martyres ad urbem Treverens. O. 44
- - de Bricolio O. 53
Maricolense s. Maroilles O. 26
Martini de Ferran in regno Castellæ O. 50
- - de Ihama O. 50
- - Treuerense O. 10
- - Majoris in urbe Coloniensi O. 63
- - de Campis in urbe Parisiensi O. 70
- - in urbe Tornacensi O. 84
Matthiæ apud Treveros O. 4
Mauri O. 12
Mauritii Tholegiense O. 25
Maursmunster O. 12
Maximini extra muros urbis Treverensis O. 14
Medardi ad muros urbis Suessionensis in Gallia O. 12
Melidæ Insulæ Monasterium in Dalmatia O. 96
Mellicense O. 90
Metten M. 35. O. 55
Michaëlis campus O. 89
Michelsfeld O. 89
Millan de la Cogolla s. San Millan de Suso O. 11
Mons Monachorum extra muros urbis Bambergensis O. 68
Monstierameii O. 52
Munichmunsteriense O. 93
Munsteriensis s. Monasteriensis, B. Virg. Abbatia, intra muros urbis Luceburg. O. 81
Murbachium O. 46
Naboris apud Lotharingos O. 25
Neresheimium M. 55. O. 86
Nicolai de Arenis in Sicilia O. 93
Nidernaltaich M. 23. O. 47
Oberaltaich O. 47
Ochsenhusium O. 86
Odolphi Stauriense O. 92
de Ona O. 3
Ostbroucanum O. 89
Ottenbura O. 50
Pantaleonis in urbe Coloniensi O. 63
Pauli in urbe Ultrajectina O. 65
Peterschusium O. 63
Petershausen M. 41
Petri Blandiniense O. 21
- - consecrati, vulgo Weys S. Peter O. 53
Petri de Cardena Hispania. O. 3
- - de Eslonza in agro Legionensi O. 64
- - de Monte in Hispania O. 39
- - Domus in Diœcesi Constantiensi O. 63
- - Gandense O. 21
Petri de Nigella O. 53
- - in Monte Matrona apud Bavaros O. 88
- - Salisburgi M. 7. O. 11
Pfeffers O. 46
Placidi apud Messanam O. 2
Rassonis Comitis Diessensis Monaster. O. 61
Reichenovv O. 86
Richarii apud Caletum O. 10
Romani de Hornisga s. de Ornixa in Diœcesi Toletana O. 39
Rota s. Rotense Monasterium O. 73
Sagaguntinum O. 55
Salvii ad Scaldim fl. apud Valentianas O. 51
Scheuren M. 52. O. 74
Scheyrn vid. Scheuren.
Schvvarczachium O. 52
Schyrense vid. Scheuren.
Scotiæ Monasteria varia O. 88
Scotorum extra muros Ratisbonenses O. 53
Seon s. Seun M. 44. O. 93
S. Sepulcri prioratus in Diœcesi Tricassina in Gallia O. 64
- - Dominici Cœnobium, in urbe Cameracensi O. 69
Sereni de Cantumerula O. 53
Sonegiense O. 32
Spanheimense O. 88.
Sponheimense O. 88
Stabuletum O. 36
Stavelo O. 36
Tegernsee M. 26. O. 63
Thierhaupten M. 30
Tinecense O. 68
Toribii de Lievana Hispanicum O. 3
Trudonis Sarchiniense O. 37
Tuitiense O. 64
Vallis Caulium O. 71
Udalrici Augustanum M. 3. O. 68
Vedasti in urbe Atrebatensi apud Belgas O. 4
Viennense Scotorum in Austria O. 89
Vinearum Monasterium O. 50
Viti in Diœcesi Salisburgensi O. 92
Ulirbacense O. 90
Ursin M. 61. O. 92
Utenburra O. 50
Walciodorense O. 62
Walerici apud Caletes in Gallia O. 10
Wasor O. 62
Weichenstephense O. 68
Weissenavv O. 86
Weissenburgium O. 19
Weltenburgense O. 12
Werdenense O. 51
Wesserbrunnense O. 49
West O. 14
Willibrordi Epternacense O. 44
Winoci intra muros Winocibergensis oppidi O. 42
Zuiphaltense O. 83

FINIS.

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Kuen, Michael, 1709-1765

Collectio Scriptorum Rerum Historico-Monastico-Ecclesiasticarum Variorum Religiosorum Ordinum

Bd.: 1

Ulmae 1755

2 H.mon. 129-1/2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10940113-7
VD18 80282598-001